




V
B J
C

neo.lat.

PETRI FIRMIANI

OPUSCULA

Quibus Continentur

GYGES GALLUS
SOMNIA SAPIENTIS,
&
SÆCULI GENIUS.

Accessêre

Indices rerum copiosissimi.

Editio Correctissima.



Juxta Exemplar Parisinum.

Impressum GEDANI
Anno 1686.



NOBILISSIMO ET INTEGERRIMO VIRO,

RENATO DE LONGUEIL,

DOMINO DE MAISONS,

IN SUPREMO GALLIARUM SENATU

PRÆSIDI INFULATO,

PETRUS FIRMIANUS Salutem!

AT *suprà cæteros placeres,* Vir Nobilissime, *teque operis huius patronum nuncuparem, effecit jam perspecta mihi singularis virtus tua, quã antehac famæ perillustris commendatione acceperam. Non is sum quem facilè decipiat secundus rumor: quantis imponere soleat, scio: ubi de merito statuendum est, suspiciosus senex, nec solâ ætate*

te, ſed & experientiâ trepidus, expecto oculorum ſuffragium. His te probaviſti, Vir Illuſtriſſime! *ſecurus te æſtimo teque, colo. Tuus ille apud nos ſeceſſus, quem tantoperè doluit Lutetia, hoc mihi beneficium contulit, ut tuis moribus fruerer: ſciremque haud mentitam famam eſſe, quæ te ſimul ad ardua, & ad quieta genitum nuntiaverat. Vidi te, cum forenſibus curis expeditus, eâ alacritate animi, atque conſtantiâ, aliis duriſſimam ſortem excipiebas, ut ſtrenuum, nec omnino vacuum jocis ipſa que perculerat fortuna ſuſpiceret. Comitati tuæ nihil detraxit temporum iniquitas; alterum te hominem nemo vidit; cumque te Senatus, optimam ſui partem, te, ſine quo fauſtè geri non poterant, ipſa quoque negotia expeterent, oſtendiſti in ipſo otio ſtare poſſe felicitatem tuam. Quamdiu duravit injuria, inter amicorum pauciſſimos ita honeſtis remiſſionibus pacatiſſimum animum tradidiſti, ut tamen potior eſſet cura pietatis, & te inſtaurante, quæ priùs invenuſtè ſurrexerant, novâ impensâ, novoque ingenio altaria niterent. Templis diſpoſitionem, marmora, ſtatuas dedit ſucceſſio tua; ipſiusque beneficium haud ingrati cives agnoſcunt, mo-*

dicâ

dicâ in urbe jam conſpici, quod vel in præcipuis eximium ſit. Nobiliſſimæ ſtirpis tuæ genius is eſt, divinis impenſe ſtudere. Magna adhuc annorum ſerie à viventium cœtu aberas, cùm tui majores, Numinum ſimulachris infenſiſſimi, Deorum maximum eliquabant, tot ſeculis cultum, ut ex Jove Capitolino, per vos Petrum emergere Roma jam Chriſtiana lætaretur. Stat adhuc eâ in urbe inter egregiæ artis miracula, cum veſtris inſignibus, æneum illud Principis Apoſtolorum ſignum, & ubi jam tot Cæſarum trophæa, vel edacibus annis, vel barbarorum ſævitiâ periere, meliore fato, avitæ pietatis veſtræ monumenta perſeverant. Vt Religioni quondam officioſus eſſes, oſtenſâ quam ſequereris pietate, olim anteceſſores tui providerunt. Verùm non tantum imitaris; præſtas; & hinc tibi ingens gloria gentilitiæ virtutis, in ſacrorum cura ſedulitatem, atque magnificentiam ſuperaviſſe. Nec ſola, cùm remotus à turbis nobiſcum degeres, pietas fulſit; mirati ſunt in cæteris, quotquot te videre, integritatem tuam, ſimulque, (quod arduæ affinitatis eſt) ſagax illud ingenium, quo aliquando, moleſtis plane temporibus, puero Rege aula-

que professis odiis conscissâ, creditum tibi ærarium ita curaveras Princeps Minister, ut damnosa profusione exhaustum priùs, citò nec iniquè tamen restitueres; civiumque, opinione ad publicas solutiones Regius thesaurus haud sufficiens, data nominis tui fide jam propè rebellantes turbas sisteret, & à fœderatis qui ad obsequium vocati martem suum venalem habent, solita auxilia mercaretur. Fulgebat in eo secessu stirpis dignitas, quam per tot ætates cohonestaverunt, purpura civilis; hæreditarium tribunal; clarissimarum urbium toties commissa sollicitudo: Prætores eximii, fortissima traditæ sibi, non semel, Neustriæ propugnacula: legati, præcipua apud exteros sapientia, suis Regibus chari: sacrorum Antistitum longus ordo: Cardinalitii denique culminis, in vestro Richardo, Eminentia, ut nihil vobis dare augustius ipsi Reges, aut supremi Pontifices possent. Hæc sunt, quæ te mihi præ cæteris charum spectabilemque effecere: Sed dulcius fuit, quod quæ me genuit patria, tuos etiam majores procreavit, qui sub famosissimo Principe, & ipsi inclyti superato oceano, subactisque primo certamine insularibus, inter victores numeran-

meran-

merantur. Noſtras es, licet altera te, cum tuis, in promptius Regum conſilium, jam terra poſſideat. Ad nos utcumque redibis quoties indigenæ tui opus, ad negotiorum levamentum, placebit benignè inviſere. Senatoris vultus aliquando ponebat Cato, & Deos ludentes ſæpe nobis poëtæ deſcribunt, ut non erubeſcat præſidum gravitas, ad ingenuas relaxationes è ſolio ſuo nonnumquam deſcendere. Quia tamen Sapientis voluptates ſeveræ ſunt, nihil tibi liber hic proferet quod omnino à ſeriis ſublimem animum avertat. Vbique videbis Gygen te dignum, & in ludicris quoque non degenerem philoſophiam. Probabis viri ingenium, mores: una vobis erit de mortalium ſorte, ac meritis ſententia. Quod fruſtrà optaverint plurimi, fœlici veſtigio percurres hoc opus, nam te per omnia integerrimum nihil lædet in ſontes quosque liberior inſultatio: quin, gaudebis juſtiſſima querela obliquè laudari æquitatem tuam damnarique illas cupiditates, quas rectus, ac ſimilis tui, Judex nullus abſolverit. Nec te ænigmata terrebunt, aut ſiſtent; totus lux es: vel levi acie penetrabis quodcumque humilio-

ribus

ribus ingeniis calignosum occurret, aut etiam impervium. Vbi Gygen reliqueris, alius succedet noctium suarum explanator haud illepidus, quo cum, si mihi fides est, non inutiliter aut injucundè somniabis.

Vale!

ICON

ICON
AUTHORIS.

HOminum ingenia novi, curiosa sunt: non satis est scivisse nomen Authoris; de persona quoque quæritur: nosse me omnes volent, antequam legant: nam quis mortalium os dicentis non prius libentur intuitur quàm verba percipiat? Ergò; ut is ordo servetur (quod ante me forsitan nemo fecerit) ingenuus pictor adumbrabo vultus meos. Mihi quam alteri, puto, notior sum, & tot annos ipso me familiariter usus, securiùs inde ac certiùs, priusquam de Gyge narravero, quis homo, quis homo sim, dicam.

Patria mihi Gallia est, eâ parte quæ septentrionem versus extremâ Sequan alluitur. Sub mitissimo cœlo solum ferax, ea nutrit ingenia, quæ & cito maturescunt, & ea sedulitate æquo student, curant sua, alienas fraudes devitant; ut apud in sinceros, suspiciososque, ac debiles non rarò in crimen vocetur notissima sapientia.

Tellus hæc Maiori Britanniæ Reges dedit: Siculis Principes, justitia armorum, ac fortunæ fœlicitate ita Herculi per omnia æquandos, ut suas etiam fabulas à Poëtis meruerint. Hinc ortum duxere Heroës illi quorum terror ad hostium cladem olim pene sufficiens manet, adhuc; æterni odii materia, æternum nomen; & nutriendæ invidiæ cibus, tot victoriarum in prostratis quondam gentibus, memoria perseverans,

San ct

Sanctiori Philosophiæ adhuc adolescens nomen dedi: & illa quietissimo exceptum sinu, postmodum vix sentientem perduxit ad canos. Inter plurimas corporis afflictationes, jucunda senectus, neque mihi, aut aliis gravis. Ut multa discerem, vidi multa: plura audivi: cætera contulit oculatior meditatio, & nobile inter sapientes otium: neque tamen cum illis semper: Aliquando solus, ut æternis liberius fruar, ne socium habeam, me quoque fugio: quippe illud haud nesciens, nisi à se homo discedat, sæpè sibi quàm alteri nocentiorem esse.

Vis & scire ubi habitem? in modico colle tranquillissima mihi sedes; ex qua ad oram fluminis, latè diffusam, suoque portu notissimam urbem quoties lubet, conspicio, ni vapores obstiterint: nam sæpè ad radices collis jacenti incumbunt nebulæ, & civitati nondùm sol totam noctem abstulit, cum jam mihi, templorumque fastigiis.

Hortum non situs tantummodò sed & industria commendat. Lata planitie facilis primùm ambulanti, mox ad gratissimum laborem, inter densissimas arbores, callesque, suis erroribus haud inofficiosos, assurgit, ac deprimitur. Multæ voluptati accedit sæpissimè avium cantus, & lusciniarum frequens æmulatio, tanquam sententiam à me expectantium, utra suaviùs, aut longiùs cecinerit.

Inter hæc, ubi divina res, aut necessaria corporis cura operam meam non postulant, libros evolvo; in hoc maximè beatus, quod semotus à negotiis, quibus tot homines dilaniantur, non ignoro fœlicitatem meam.

Novi-

Novisti Firmianum: sed cur scribis inquies, non satis est legisse? Orbi natus sum: frustrà me peperit mater, si otio quasi congelatus torpesco, neque me sentiat ætas mea utilem sibi. Parum est profuisse suo sæculo, spes altior animum subit: nascituris volo loqui, quis viventium impediat? Et vobis igitur, ô Posteri! scribo: ad vos enim, si rectè auguratur præsaga mens, nec decipit scribentem sui operis amor, liber iste perveniet. Plurimæ veterum artificum statuæ breves, ad nos usque manent: Rhodiorum Colossus vix ad quinquagesimum annum steterat tota urbe excelsior, cùm tremente basi excussus est; adeò non moles æternitatem præstat operibus, sed felicitas sua.

At nimiæ forsitan spei indulgeo: leve crimen est, & cunctis penè mortalibus commune, sibi grandiora de libris polliceri, illudque non perfunctoriè sperare, quod maxime cupiunt. Cæterùm, nullus mihi pudor erit de isto opere tàm libere pronuntiasse: nam si illud posteri videant, verum dixero: sin, & pessimo fato breves annos maneat, illo penitùs extincto nemo sciet quid speraverim. De his satis; me agnito, Gygen nosce.

LECT-

LECTORI.

VEre extiterit Gyges iste, an fingatur, quæris, Lector? quid tua interest Gygen alter homo, an calamus genuerit? Magno expectantium agrorum, & publicæ utilitatis incremento sitiens Ægyptus Nilum recipit, nesciat licet cui fonti saluberrimum amnem debeat, & fœcundius quolibet imbre, certiusque beneficium. Ideone aurum respuas, quòd dubius utrum sol radiorum patientia, an Raymundus, syderibus ipsis diligentior, advocato in societatem operis igne, artemque regente Philosophia, illud in musæo suo fecerit? quid utilissimi metalli originem inquietus dives scrutaris? quid dubitas frui? aurum est, illo utere. Ubi res habetur, quæritur frustra unde illa ortum ducat. Prima auri nativitas terram spectat, non te: illud cum cœpisti tenere, tibi natum est. Ecce narrationem non modò non fastidiosam, sed maximè utilem: ultrò oblatam volens, & serenus excipe, nec desiderium subeat ea importunè investigandi, quæ rei ad hæc usque tempora ignotæ, fidem tollant, aut faciant. Magnum tibi imponis onus si Gygen excutis. Verùm labori tuo parcam: etiam annuente me, crede quod lubet. Commentum si existimabis, non succensebo; si historiam, & te oculatum probabis, Lector, & me veritatis candidissimum scriptorem non ægrè suscipies. Vale.

GYGES

PETRI FIRMIANI
GYGES GALLUS.

ADMIRANDA scire qui volet, euntem me in remotissimas oras vel impiger comes sequatur, vel expectet redeuntem. Ad proavos iter facio: ea narraturus meo sæculo, quæ prior ætas cum viderit, affirmare tamen posteris propè non audet, vixque ipsa fatetur sibi: stupendorum enim ea ferè conditio est, ut suis etiam spectatoribus ægrè se probent, & cum sensu referente maximè credi meruerint, hærenti tamen animo, timentique præstigiis ludi, aliquam sui dubitationem faciant.

Priscis illis temporibus, cùm adhuc sub Regum suorum primâ stirpe variè ageret, & ad meliora servaretur nostra Gallia; vir fuit, perspicacissimo ingenio, & morum, qui tum maximè vigebant, notitiâ clarissimus. Nomen illi à patre Charmion; à casu, Gyges; à natura, sagax animus, sciendique quæ apud mortales agerentur, ingens cupido. Tanta meditanti solitudo nihilominus in deliciis fuit, quòd putaret raros esse, qui latentem hominem sinceris vultibus præferant, neque tot vitiorum fucos, ipse ingenuus, tot larvas ferre posset. A mortuis igitur viventium mores accipere tutiùs ratus, omnis penè ævi philosophos, studiis velut carminibus vocatos, indefessus lector admittebat in consiliorum secretum; collectisque suffragiis, æquissimus judex, decernebat, sua vel vitiis supplicia, vel præmia vir-

tutibus. In eo reconditæ vitæ, securissimæque otio, sibi fœlix, & ad arbitrium latitans, quomodo repentè mutatus, novis consiliis incubuerit, referam.

Eâ adhuc tempestate plurima Druydarum, qui olim suis sacris, suis legibus inclyti per totum orbem fuerant, monumenta visebantur. Stabant mediis in agris, & in sylvis maximè, sub annosa quercu marmora, ut nec sepultis sacerdotibus arbor illa deesset quam viventes coluerant. Inter tot nobilissimæ vetustatis opera, sub suis frondibus sepulchrum eminebat, secto lapide, ita in acumen surgens, ut non pyramidis præaltæ, sed depressæ molis speciem exhiberet spectantibus, impolitum opus, neque ullâ artis industriâ conspicuum, nisi quòd figuris aliquot, improba manu ductis, ostendebat sub ea lapidum congerie eruditos cineres delitescere, & in philosophi memoriam, plusquam sui, laborasse artifices; signa enim cœlestia totam illam struem ex ordine, variis formis impleverant, ut non dubitares astra olim coluisse, quicumque sic meruisset sub eis condi. In summo apice sphæra ingens videbatur intextis circulis per tot annos propemodùm intemerata, & colore magis quàm jactura operis, temporum victrix, fatebatur suam ętatem.

Fama erat Druydarum principem, fato illic interceptum, pias superstitum manus reposuisse; occultissimæque Philosophiæ arcana eo in loco asservari, nec magis cineres quàm sapientiam reperturum, quicumque in abdita molis, cui tot pepercerant anni, non impius

ad-

admitteretur: nam funus violare ſummum nefas putabant, illique ab ultore Deo maxima ſupplicia parari, qui ſepulcrum ſolviſſet. Hinc magna buſti illius apud omnes reverentia, ſimul & ruinæ expectatio, ut cadente ſcilicet vel injuria temporum mole, vel fulminum ictu, curioſa ſciret poſteritas, quid in ea majores condiderant.

Fœlicisſimè Charmion in hæc loca pervenit, cum ingentibus pluviis laxata nuper humus antiquisſimum monumentum adeò moverat, ut recens ex diſcedentium lapidum vitio meatus, qui corpori humano ſatis eſſet, virum invitaret ea quærendi quæ fortuna obtulerat. Vt ſe recepit in tumulum, quia à ſole ad umbram venerat, primùm nihil intuitus Charmion, donec è ruina lumen erumpens caligantibus oculis ſuum ſenſim uſum reſtitueret, formam loci aliquid inſolens ſpirantis, utraque manu, tremente veſtigio, cœcus luſtravit. Ex tactu conſtabat ædiculam eſſe, fornice adeo humili, ut nec ſub eo rectus incederet. Reddita non multo poſt luce, effigiem viri ſtupens conſpicit, ita jacentis ut dormire videretur; nam & lacerto cadentem vultum excipiebat, & quaſi inexpectatus legenti ſomnus obrepſiſſet, liber ex altera manu fluebat, quem non ex cortice confectum, aut membranis, ſed plumbeis laminis gravem, inter marmorei ſenis articulos poſuerant qui procuraverant funus.

Ad ſaxeum cervical adhærebat ænea pyxis; quæ poſtquam avido Charmioni ſpem dulciſſimam inſinuaſſet, mox ut reſerata eſt, nihil

præter annulum dedit: & is pariter æneus erat, rudiſque, palâ latiore, ut grandiuſculum lapidem, ſed inamœnum, dentato orbe exciperet. Majora expectanti non placuit munus quod ei ſors obtulerat; confuſus itaque, dolensq; ſe fruſtrà avarum, ſe facilem qui opes expectaſſet à mortuis, ſpreto volumine, & cum ſua pyxide, annulo, diſceſſum parabat, hanc in adverſo pariete ſcripturam advertit:

O quisquis es mortalium, benigniſſimæ fortunæ gratias habe, & ante cæteros admiſſus ne contemne ſortem tuam. Nemo te.

Plura murus acceperat quæ poſteris redderet; ſed ætas, & ex longo ſolis abſceſſu malignior aër, inmadente ſaxo vetuſtiſſimos apices ita corruperat, ut non verba ſed ſyllabas & quiddam ipsâ lirurâ obſcurius intuenti proponerent. Ingens tamen aliquod bonum eo in tumulo jacere, illique maximam fœlicitatem portendi qui in eum primus intraſſet, cætera ſcriptura indicabat: verùm ultro ſe deferens beneficium non capiebat Charmion, jam licet in novam ſpem creſcens, & ſuo propemodum gaudio impar, quod primus, quod ſolus ad ſepulchrum acceſſerat, aditum opportuniſſimâ ruinâ diſponentibus fatis; Itaq; non ante exire decrevit quàm ſcripturam ejusmodi, ſuamque fœlicitatem intellexiſſet: & inter ſpem, metumque medius, iteratâ diligentiâ oculisque ex affectu, ut ſolet, acutioribus, locum ſcrutatur, exiſtimans repoſitas illic à majoribus opes, ſecundi laboris præmium fore. Sed nihil præter eum quem ex materia deſpexerat librum invenit, arculamque æneam quæ

quæ ignobilem annulum reſerata protulerat.

Ad hæc rurſus animo cadente, quid fortunæ, inquit gratias agam? nihil ultrà ſtimulos dedit, animumque ea inquirendi, quæ aut omnino nulla ſunt, aut improbè celat, non datura quod ſperare imperavit. Vide tamen ô Charmion! addebat ille, ne in eam contumelioſus exiſtas, quam fortè propitiam habuiſti. Aurum non dat quidem, aut gemmas; ſed quid, ſi in plumbo, quid, ſi in annulo, quæ tibi adeò vilia ſunt, quam non ſentis adhuc fœlicitatē liberaliſſimâ manu porrigit? Nec mora, rapit librum, annulum digito induit, & in philoſophi reverentiam ſalutata effigie, quanta ferret ignarus adhuc, ſepulchro digreditur.

Fortunatiſſimè illuc adveniſſe Charmionem evolutus ad ſolem liber oſtendit. Annos quippe promittebat ſuo lectori, proſperumq; longiſſimæ vitæ uſum, ſi præceptis, quæ nec multa, nec gravia erant, ſtare vellet, ſibique imperare. Ex eo didicit Charmion, Druidas, qui maximè ſacris dediti erant, non ſacerdotes tantum fuiſſe, ſed etiam medicos; qui generis noſtri charitate ducti, non queſtu, aut proprii nominis famâ, ideò naturæ arcana penetraverant, quòd ſanctius ad illa acceſſiſſent, & myſteriorum abſtruſiora meruiſſet quæ jam apud nos rara eſt, inquirentis ſcientiæ ſimplicitas.

Mira hic liber de plantis quæ apud nos natę, viles ſunt; contemptæque, eas habent virtutes, quas ſæpè in ignotis quęrimus fruſtrà. Faciles herbas, quæ agricolis tantum uſui ſunt, reſtituebat in ſuam dignitatem liber iſte, monebatque medicinam quæ tot ſuccos am-

bitiosâ prudentiâ miſcet, infœliciter ægrotis optimè ſibi conſuluiſſe. Neque remedia tantum ægro corpori ſufficiebat utiliſſimus liber, ſed animis quoque, ſive innato, ſive ad contactum mutuato vitio laborantibus.

Ardua res; ſed & apud multos iniurioſa, ęgrotos ſanare, quibus pro morbo eſt ſua voluptas, aut ex temporum quibus vixeris ratione, admiſſa in animum opinio: nam quis neſciat ad ſua paſſim remedia pavere, iraſci hominum genus? Ideò pauciſſimi inveniuntur qui mederi morboſis affectibus velint, eamque artem profiteri, cujus merces odium, livor, ipſiusq; beneficii maligna ut plurimum interpretatio, quaſi non levare illo fomento ægritudinem velis, ſed addere vires morbo nova inſania, & quietis, ubi non tanguntur, vitiis dolorem excitare. Ille tamen liber docebat qua ratione ſuos ægros demereri medicus poſſet, & ſuaviſſimo poculo ita querulam naturam conciliare, ut valens arti accederet & ſanitatem pateretur.

Saluberrimę philoſophiæ cognito, ut per tempus licebat, libro, annulum quoque diligentiùs intuetur, miratusque, quod ignotis, quacumq; verteres, figuris cælatus appareret, ſimul ex colore Heliotropium lapidem in pala ſuſpicatus, novo gaudio exiliit. Non candida luce ut Adamas; non ut Carbunculus, purpureo ſplendore oculos mulcebat rariſſimus lapis: nihil quod avarum pectus ſollicitaret, in eo natura poſuerat; nihil quod ingentibus æquaret prædiis, leviſſimi ſexus ambitioſa luxuries. Obſcura, nec æqualis per omnia viridi-

tas, sanguineis venis distincta, fecerat ut altiùs in eo lateret naturæ parentis, fortunæque beneficium. * Lapidem hunc, ut plerique scriptores tradidere, si flori ejusdem nominis admoveas, utriusque virtutis nexu efficies, juvantibus stellis, ut omnium oculis subductus, ipse omnes videas, & qui tibi propiores erunt, ut absentem desiderent.

O me beatum, inquiebat Charmion, si cognitus quidem ex authorum fide, verùm frustrà quæsitus lapis sic se ultrò incogitanti obtulerit! Quis mihi vel secretissimos mores occulat, si non visus domos penetrem, si invito domino recedentis vitæ testis fiam, si cupiditates humanas abjecta persona, amotisque præstigiis, contemplari conceditur? securus pergam quocumque ire placuerit; nam quis obstet, aut noceat? quas superbas fores vel exorem demissus, vel pulsem tremens, si non videar? ad accessum meum nemo admonitus se componet, aut adscititio vultu ludet oculos, qui persæpè non sinceras virtutes mirantur, ubi in publico verecunda perversitas se ex arte regit, proprii dedecoris conscia, statim ut aspectum fugerit, ad quodcumque audax, non Deum aut innocentiam reverita, sed famam. Benè est: quod semotus non satis didici à libris, vultus ostendent, homines noscam, si figuræ istæ, quod suspicor, ad Cœlum factæ, eam à benignissimis syderibus virtutem hau-

* *Hoc veteres, & inter recentiores Nicolaus Perrottus, Episcopus Sipontinus, Cornucop. Epigram. 2.*

ſerunt cujus jam ſpem inſinuant, neque deterior lapis conjecturam fefellerit. Stolidos, aut etiam ſceleſtos mores poſtquam ubique admiſſus certiſſimè cognovero, & de illis forſitan ſcribam; non prius tamen id fecero, quàm ex iſto volumine commodior mihi ad vitiorum inſectationem pateat via. Illo, illo duce, ita acer in vitia ero, ut me omnes ament, omnes quærant, omnes teneant, cum viderint in nequitiam, non in ullum hominem me armari, & absque veneno inſultare ſceleribus. Nulli parcam vitio, quod in notitiam venerit, neminem pungam. Ita placebunt vel amariora, aculeos ipſe laudabit qui merebitur. Seria modeſtiſſimis jocis ita ſæpe temperabo, ut ſi revocetur ab inferis triſtiſſimus mortalium Heraclitus, non abnuat plurima eſſe quæ riſum à viro ſapiente non indecenter obtineant. Ut me æſtus impulerit oſtendam ætatis meæ ineptias: Voluptati ſuum pretium, opinioni ſuam tyrannidem eripiam; & hoc dilectiſſimæ Galliæ preſtabo, ut me non mœſtum authorem habeat, verum licet, infeſtumque iis moribus, qui communi propè inſania legum inſtar recepti ſunt.

Hæc cum ille cogitaret, non fortunæ, non ſibi ſatis gratulabatur, quod moralis philoſophiæ nova inſtrumenta ſic in manus veniſſent, modò votis Deus annueret, profutura mortalibus. Adhærentem domui hortum habebat diligentiſſimus florum cultor Charmion, ſed illorum præcipuè qui amicum ſolem ita ſequuntur, ut cum illo ſurgant cadantque, id non invenuſtè imitati, quod in ampliſſima face,

face, & ad orbis bonum mobili, jure miramur. Solaris & ipse Charmion erat, ideoq; amabat solaria; & Astrologiæ deditus libentissimè intuebatur in ludente humo cursus astrorum. Celeriori itaque quàm solebat pede domum reversus, in viridarium concessit: mox Heliotropio Heliotropium maritans, ut ex floris contactu adjutus lapis occultissimam virtutem proderet, figurisque aliàs in ære otiosis etiam daretur sua potestas, levissimo vestigio, ne accedentem pedum strepitus proderet, triclinium intravit. Plures tum ex amicis in eo erant: nullustamen illorum Charmioni assurrexit, licet ille prior honestissimos viros salutavisset, & inde certissimè agnovit se non videri. Amplius tamen ad majorem lætitiam experimentum capturus, uni amicorum, qui remotus à cæteris suas volvebat cogitationes, nescio quid in aurem insusurravit; quo ille, cum neminem videret, tanto terrore correptus est, ut sublatâ primum voce, mox tremens amisso spiritu oculisque nihil certum contuentibus, insanire videretur. Aliquem ei loquutum credidit nullus, licet ad majorem fidem protensâ manu, per cœlum, per sanctissimas aras sæpius juraret, non sine stomacho repetitâ Religione. Dum trepidum auditorem omnes derident, illeque magis irascitur, interim, eodem quo venerat silentio, Charmion ab jucundissimo amicorum tumultu se proripuit.

In cubiculum deinde receptus, vix sua solatia capiebat; jam sibi plusquam Charmion videbatur; & quia spirituum more ubiq; adesse

non visus poterat, suâ etiam sententiâ cunctis maior, digniorque corporibus. Nunc mihi, inquiebat ille, suum Gygen jactet Lydia, qui similis ope annuli tot mactavit in patria hostes, tot illegitimæ potestatis impedimenta intrà paucos menses sustulit, ut ex vilissimo pastore Rex fieret; illius sortem quæ tot libris, tot carminibus celebrata est, mea certè fortuna æquat; verùm annuli meliore usu laudabiliorem efficiam. Ad hoc mihi tantum proderit, ut certiùs de genere meo sentiam; quid juvat elementorum qualitates, pugnas, aut mutuam in mixtis agnovisse patientiam, si hæc ipsa quæ apud nos sunt, non observes in homine? maioris momenti apud me sunt Eclipses animorum, quam syderum: quomodo emergat, occidat, redeat ratio, mea res est; sed absque annulo major certè eorum pars me lateret, quæ expedit nosse, non ad meos tantum usus, sed &, si voluntas maneat, ad publicam utilitatem.

Exin, per varias domos Charmion cœpit errare, ut abditus testis nulli pudorem aut metum incuteret, & ita melius privatos cujuslibet fortunæ mores intueretur. Quia tamen in ingenti turba plura se ac maiora visurum sperabat, quàm si in modica civitate, aut in agris tantum scrutaretur occulta hominum studia, vitæque liberioris rationem; mense expleto, in urbem regiam placuit ire, ubi per aliquod tempus moratus, ea vidit quæ sine stupore meâ ætas non audiet.

VIr Religiosus erat Charmion, neq; prius voluit aliquid eorum tentare quæ de-

creverat, quàm in templo solvisset quod Deo deberi novit ratio, & libenter pendit pietas. Ergo sacras in ædes cæterorum more receptus, ut vota concepit, licuitque adstantium ora intueri, omnes vidit una Religione colere Deum, & in ea consentire quæ publicè agebantur. Probaturus tamen an aliqui maligna arte sibi illuderent, statuit, induto cum suis foliis annulo, ita in plurimorum ædes admitti, ut nescirent secretorum testem adesse, securiusque agerent quodcumque placuisset: & hoc illi prima domus spectaculum exhibuit.

HIRUDINES.

IN intimis ædibus quidam senex, humanissimum vultum præferens, & aliquot etiam in egenos largitionibus, urbi notus, cubiculum habebat, in quo quidquid literarum esset ad familiæ curam, solebat recondere; præter hæc variæ solicitudinis instrumenta nihil penitus mensa acceperat, nisi librum; & hic videbatur esse Aristotelis, erat enim de inventione; quod ut ex titulo agnovit curiosus librorum inspector Charmion, statim apud se hilaris: Iste vir, ut video, ex nostris est, inquit, & certe in omen accipio, quod hâc die, quæ ad inquirenda mortalium secreta, in ista civitate prima mihi est, in philosophum inciderim: sed ut subitarium, ita breve gaudium fuit: nam titulus quidem scholæ notus: verum materiæ immanes, & de pecuniis investigandis atrox disciplina, detexere subito virum, qui

ex frontis fide, ac donationum verſutia credebatur ab homine non recedere.

Dum in ſuo libro hæret avidus ſenex, quæritque inveniendarum opum compendia, & ſedens animo imbibit ſubtilioris fortunæ varias artes, interim Charmion, ſene altior, & ipſe legebat quàm multiplici via ad facultates itur, quamque ſtolidè per tot pelagi errores, ventorumque minas ac pericula, Argonautæ Colchos profecti ſint ad diripiendum vellus aureum, cum illud quisque in patria ſua habeat, & ſolo propè ingenio tolli, atque dolis, toties fœlix nequitia oſtenderit: Non ſudores æſtivos, non profectiones hybernas, non jeiunia, aut rei domeſticæ ſordes, tanquam opum comparandarum certiſſimos modos, cupidiſſimo ſeni proponebat ſuum volumen: tota ferè in acerbitate ſcientia: ut ſi feſtinanter quis vellet diteſcere, ſervatâ ad famam quadam oris comitate, ſermonumque blanditiis; intus tamen, ne quid detrimenti negotia paterentur, aut tarde procederent, humanitatem abjiceret.

Superſtitiones quoque diræ eo in libro continebantur; ex infantium cruore, ac parentum lachrymis compoſitionem quandam fieri, quâ ſi liniantur ædium poſtes, brevi in eas irruet tanta opum vis, ut fodinas ipſas æquent, & ad properantis fortunæ dona tabeſcat invidia, cæteri ſtupeant.

Horrebat Charmion; & à libro tantillum averſus, dum mente & oculis Numen precatur, ut aut feritatem illam perderet, quod gratiæ erat, aut ſenem: ſervus derepentè adfuit qui domino nuntiaret inſtare tempus ſacrificii,

com-

comportatum ignem, thura, vittas quoque & ſerta, quibus ex veteri ritu diis immolanda ornabantur, victimas expectare. Non moleſtum ſeni fuit à ſtudiis avocari, ut ad gratiora pergeret. Sed quæ illæ apud Chriſtianos cerimoniæ, ajebat Charmion, an forte iſta in domo viget adhuc, ſub virtutis inſignibus, dæmonum cultus, & extincta dudum ſacra, hic ego conſpiciam? heu mihi! in quas ædes mea me curioſitas intulit? ſed gradum revocare non placet, neque tempus eſt: ultrà pergam, & ne quid eorum, quæ clam hic agentur me lateat, ſenis huius, qui me adeſſe non ſentit, hærebo veſtigiis.

Sub effoſſa terra ſpecus erat, ad quam non aliqui gradus ducebant; ſed longo tramite ſenſim molliterq; deſidens humus commodiſſimam viam fecerat. Talis propemodum apud Romanos locus ille abditiſſimus, in quo celebrabant Conſualia. Alta illic nox, quam ut amoverent duo ſervuli, non ſine pavore (nam metum præferebat vultus exanguis) faces geſtabant; & cogitabundus ſenex, ſilensq; ſequebatur, ex proximi ſacri immanitate jam ipſe pallidior. Ubi profundiùs in terram ſe penetraverat horrida ſpecus, inter odores, quos undante fumo per multa volumina acerræ ardentes ſpirabant, ac ferrugineos ornatus, ara ſurrexerat, & hanc Diti ſacram voluerant; ut ſcilicet opum dominus, quas natura invidioſiſſimo ſinu occulit, auri ſubſidium cultoribus ſuis largiretur, & longè ab illis recederet malorum omnium graviſſimum, Egeſtas.

Ad placandum Numen ſertis coronati pueri

tres,

tres, totidemque matres cum infulis, vinctis post terga manibus, & ipso jam propè metu exanimes, mortem opperiebantur, ex ossibus quæ multa illic & plerumq; cruenta jacebant, admonitæ, frustrà misericordiam expectari, nec gemitus, aut lachrymas apud eos valere qui Diti facerent. Mirum est senem illum, cum maximè sæviret, à verbis atrocioribus abstinuisse, veteres imitatum qui se in casuras pecudes mitissimè agere existimabant, si non occidi, quod crudelitatis verbum est, imperarent: sed ad rem divinam cultros illis admoveri, ut ex tactu quem jubebat Religio, postulabatque laborantis Reipublicæ salus, Deos haberent propitios.

Modico spacio sex hostiæ immanissimi viri manu cecidere: & ne pereuntium ultimæ voces miserationem facerent, datis ictibus, utraque manu senex aures obturabat, fluentesque ante aram sanguinis rivos, igneis oculis per longum tempus intuitus, abominanda voluptate fruebatur; quin, & sumpta patera sanguinem hausit, & stupentibus servulis (qui tamen præbuerant) ore cruento gustabat suum scelus. Peracto sacrificio aquam sibi dari jussit, ut os manusque ablueret; & indice ori superposito, significans ne quid servi garrirent, iisdem facibus præviis quæ accedentibus lumen fecerant, in cubiculum suum, tanquam nihil à legibus, nihil à Deo grave immineret, frigidus revertitur.

Non plura intueri in illa domo sustinuit Charmion; nam quid nisi atrox cerneret, quidve placaret animos quos tot scelera, tot mise-

rorum

rerum inutiles gemitus, tot funera accenderant? abscedens igitur, nimiamque simplicitatem, quam hucusque professus fuerat, sibi objiciens; O me hebetem, inquiebat, quandiu mihi imposuit nequitia! quandiu, ubi cæteri vident, cæcus fui! Ex vero certè mihi dictum fuerat aliquos esse divites, qui non nisi mortibus ad illud fastigium pervenere ex quo modestiores fortunas superbe despiciunt. Quàm solerter in egenos, & ad populi conspectum miseratio longam sævitiem celat; & modicæ in divinum cultum collatæ opes, manum apud credulos absolvunt, quæ rapinis ingentibus meruit rescindi à corpore, insepultamque feris dari!

Funestissimas credebam carnificum domos, ubi in trabes, in scamna, in mensas facinorosorum cruces transeunt, illudque omne fit familiaris supellex, quod priùs supplicium reorum fuerat, & legis iratæ publicum spectaculum. Aliquid hodie vidi tetrius; hominem sua manu homines jugulantem, sceleratas ędes, ubi quidquid surgit, funus est. Haustum ore humano sanguinem humanum, neque perpotantis tamen attonitum pectus, ut ipso Thyeste funestior, recepto cruore, diceret:

Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
Quid tremit intus? sentio impatiens onus.
Meumq; gemitu non meo, pectus gemit.

Mitiùs profectò in Iudęos olim sæviere Romani milites, cum captâ urbe, aurum, quod miseri voraverant ut secretius lateret, scrutaban-

bantur ense, & insuetos in avaro stomacho cibos quęrebant vulneribus. Sanguinem fuderunt milites, sed militum nullus bibit; & sævientium furorem ex parte excusabat, quòd Judæi plùs merebant quam passi sint; quod priores sacrilegâ manu latens in domini venis pretium eruerant; & ne quid tantarum opum in extincto corpore maneret, apud mortuum quoque ferro reliquias quæsivere.

Addam & illud: sinente Principe furebat Romanus miles, & victorum licent â fundebat sanguinem, cui parci, cum ipsius Numinis causa ageretur, vel iniquum fuisset. Senex hic non effuso cruore placatur, nisi & potet; immeritos necat; & quia feritatem illam lex prohibet, damnatque, si sciat humanissimus princeps, specum fecit, ut à luce amotum scelus non alios testes haberet quàm qui & judicium timent, manusque ad illud horrentes licet crudeli tamen obsequio commodavere.

Ab hoc divite ad alios qui pauperum creatores simul & tortores dici non immeritò possunt, quia cum miseris vel levissima vitæ subsidia avellunt, opus suum vexant, facilis memoriæ transitus fuit. Paucos inveniri qui eo furore suas opes consequuti sint, equidem credo, inquiebat; nam ut virtus ingens, rara est, ita rarum, ingens scelus; natura ex operum dignitate sibi famam ambiens, ægrè patitur aliquid ab ea discedere: ni potestas major vim inferat, sapienter quodcumque agit: & ideò monstrum omne, insolens est, quod vix causę illæ, quarum nexu omnia generantur, ab instituto

stitu-

ſtituto ordine deflectunt, ut portenta non expectato ortu omen faciant, ſuumque ſæculum infament. Idem & de moribus cenſeo; rarò enormiter peccant: pudet enim multum à recto deſciviſſe. At viſis quæ ego in divitis ſpecu conſpexi, facile adducor, ut credam aliquos eſſe, qui epoto ſanguine, illorum ſcilicet tenuibus qui ab injuria ſe tutari nequeunt, ita ſaginantur, ut in prædam natos putes quoſcumque eorum cupiditas voraverit.

Grammaticorum eſt, nominum origines inveſtigare; curam hanc cum illis partiri certè nolim; mea me ſatis plilosophia tenet: totus illius ſum: ſed in meſſem alienam breviter falcem miſiſſe nullius erit injuria. Opes ſubſtantiam vocant; an quia ſine illis homo non ſtat, & accidentium ingenium videtur induiſſe, quæ, ſi ſubtrahatur firmius illud cui ex naturę ſuæ indigentia inhærent, illicò deficiunt? An quia ſine opibus homo inter homines ita perit, ut in vivis propemodum non cenſeatur? aut ſaltem facultatibus amiſſis ita tenuis eſt, ut dicere queas, quidquid adipis prius conceſſum fuerat, quaſi fortunę quodam morbo evanuiſſe? Certè ſi ſubſtantia hominum illud rectiſſimè vocatur, quo vita efficitur commodior, quisquis iniuriâ alienas opes in ſuam familiam tranſtulit hominem abſorpſit. O ſcelus! & nulla poteſtas Cyclopes hos inſectatur; ut provocato vi ſtomacho, benè vomant quod malè voraverunt: & nimium edax cupiditas, ſuas ipſa epulas horreat, dum cogetur egerere.

Quærebat deinde quâ ratione ſcelus illud quod viderat, detegeret; non placebat enim

deferre judici, ut occultus teſtis ipſe fuiſſet, ne ſecretum de annulo proderetur, & ita periret conſilii utilitas, quo volebat apud neſcientes agere, ut ubique latens certiorem de moribus humanis ferret ſententiam. Talia volventi, illud potiſſimum animo ſedit.

Regis ærarium non plurima tantum bella, ſed & improvidi in variis ſumptus exhauſerant: jacturam toties reſarcire plebs non poterat, & ad iteratas calamitates quæ afflictis jam laribus graviſſimæ incumbebant, amiſerat patientiam, timendumq; erat ne eâ populi injuriâ magnatum aliquis opportunè uteretur: neque enim deerant, qui procellas movere in votis haberent, ſi commodas in excelſioris faſtigii comparationem cenſuiſſet effrænis ambitio, ac utiles in ſcelera: & his qui negotiorum miniſtros vel ex poteſtatis invidia, vel ex negatis gratiis oderant, ingens voluptas fuiſſet, in ſigni aliqua calamitate regimen infamari. Vnum ad tot mala remedium, ſi ſineretur plebs exiguis facultatibus, poſt tot fortunarum ærumnas, placidè frui, & apud illos qui peſſima arte in immenſas opes citò creverant, pecuniæ quærerentur: multæ enim tum ſpongiæ totum illud quod ad irrigandas provincias ſatis eſſet, ſi latè ſpargeretur, traxerant; & ex juſtitia erat ſuprà modum inflatas comprimere, ne ſiccitate deficiens imperium diutiùs laboraret.

In ea cogitatione Charmion ſtatim ut in ſuam domum receptus eſt, corruptis de induſtria literis, ne authoris manus ex conſueta ſcribendi ratione poſſet agnoſci, pluribus in chartis hæc verba exaravit: Pecu-

Pecuniam, ô Regis miniſtri! apud vacuam plebem quæritis: finite impleri, ut tribuat, jam nihil præter lachrymas habet: diſcite ubi ſit quod tantoperè ardetis: dum populus gemit, dum etiam lugens laborat, ut calloſæ manus cibum (quo vel alii canes nolint) ſibi comparent; principi opes, vobis quoque, ſi uti non pudet, delicias: interim acervos auri qui regno debentur, præteritis. Ite, ite, ad Petiliani domum (hoc diviti nomen erat) petite ſpeluncam, vobis oſtendi, ubi ingens theſaurus nuper inventus eſt; totum ſibi vult, alieni appetens homo cum major pars ad Regem pertineat, quæ ſi in publicos uſus convertetur, nec bellum militibus, nec pax, quæ jam ex inanitate ſua nutat, commodis indigebit. Si negat vir, teſtes ex ſervulorum numero duos habete, Praxeam atq; Numerium, qui deſcendenti in antrum comites fuerunt, faceſque prætulere.

Ubi hæc ſcripſit Charmion ſumpto ne videretur annulo, in regias ædes dirigit greſſus: quo cum perveniſſet, variis in locis indices ſchedulas ſpargit, ut ſi quas perire contigiſſet, aut vanas ab obviis contemni, in tanto numero inveniretur aliquis qui regi aut miniſtris de invento theſauro nuntiaret.

Non diu latuit divitis ſcelus; qui primus ex Regis cubiculariis in ejusmodi chartam inciderat, detulit, ſtatimque miſſi qui referrent, verumne quod ea ſcriptura indicabat, & an debitis opibus regnum privaretur maligna ſenis hujus cupiditate, qui eas, monſtrante bono Galliæ genio, non tam ſibi inveniſſet, quàm Principi. Pecunias quidem illas audacter nega-

bat

bat: ſed ad antri mentionem, non ſibi conſtare vultus videbatur: & ut in latebras illas viam cæteris prȩire minacibus verbis juſſus eſt, ſtatim in genua provolutus, ſeque reum non abnuens, miſericordiam Regis implorabat: ſed omnium judicio timor ille pro celatis pecuniis nimius, cùm ad gratiam citò promerendam ſufficeret theſaurum tradidiſſe. Verum majora ſenem turbabant; ara illa quam in ſpecu Plutoni erexerat: ſacrificiorum furor: proſtrata cadavera, quæ recente adhuc religione nondum amota fuerant, ut accipiendis novis hoſtiis locus ille purgaretur: quem ut intuiti ſunt qui à Rege venerant, horror omnes & propè ſtupor invaſit. Nec diu crudele ſpectaculum ſuſtinuere: quaſi non compotes mentis, plures in fugam converſi per tenebras illas ſolem quærebant, incerti an ultrà luceret oculis qui tam nefaria conſpexiſſent. Correpto deinde cum duobus ſervis Petiliano, Regi defertur, non in totum mentitum fuiſſe qui ſchedulas ſcripſerat, inventam ſpeluncam, maxima in ea delituiſſe, ſed quæ furorem, non cupiditatem facerent. Cùm poſtea ex legum præſcripto in illud crimen diligentius quæreretur, factum eſt, ut per multa indicia judices plura noſſent, qùam vel ipſi putaverant: nempe multos eſſe, qui ſimiles aras conſtruxiſſent, nec mitiùs ad ingentes divitias perveniſſe, qui tam citò pervenerant.

Ita unius cauſa plurimorum fortunas exagitavit, Regemque impulit, ut deinceps plebe relictâ, quæ jam opibus omninò deſtituta erat, apud eos, qui non regiâ benevolentia atq; donis, ſed nefario ambitu tam ſubitò ſupra prin-

principes ipsos creverant, subsidia belli pacisque quærerentur. Mirum est quantum pecuniarum dederit nova apud Gallos diligentia: quod vix provinciæ exangues fisco solvebant, in privatis ædibus inveniebatur, & ex pauperum malis tot bona, ut ministros ipsos pœniteret damnosas opes, ubi nequiter latebant tardè quæsivisse.

Maxima etiam inde processit utilitas: temperantiores fuere qui postea in præcipuos gradus assumpti sunt: non amplius palatia construebant quæ Regum videri possent; non hortos pensiles invitâ naturâ in domorum fastigiis locabant; non fontes ducentibus fistulis ascendebant in cubicula, ut vigilanti domino aquarum suavissimo murmure somnos efficerent; sobrie ditescebat quisquis curabat Regis negotia, & quod virtus solummodò priùs fuerat, jam fortunæ quoque securitas erat, in ipsa dignitate modestia. Multis etiam post annis nemo in egenos nisi timide atrox fuit; suam vitem lætus agricola putabat, certus uvas sibi daturam, cum antea præter laborem nihil, vinumque omne quæstor, aut fiscus biberet. In egente familia nemo ea quæri metuebat quæ in illa non erant; non turbabat miseros satellitum pavor; securè pascebant pecora; elementis quisque utebatur absque metu: non implebant carceres egeni, ut inopiæ suæ pœnas luerent; aut sublatâ culcitrâ ægroti cogebantur in paleis infœlicissimæ vitæ tragœdiam absolvere; omnibus quos fortuna damnaverat, concedebatur à principe quies; cavebaturque ne divitum onera in eos

ca-

caderent qui portare leviora non poterant. In hac populi fœlicitate gratior apparebat principum majestas, promptissimosq; habebat ad quæcumq; pericula subditos, qui priùs in malis duxerant eam potestatem servavisse, à qua, restitutis rebus, nihil sperandum esse auxilii.

Regiis armis bona precari, votum omnium erat, quod scirent fortunatos successus constantioris tranquillitatis certissima esse præsagia, & jam fato meliore apud Gallos patriæ gloria atque amplificatio audaciam potentioribus non facerent, populis iram, aut consternationem. Ad victoriæ famam lætus civis nullo jubente triumphales ignes excitabat in publicæ hilaritatis significationem: redeuntemque ab hostibus principem non triste silentium, sed faustus omnium ordinum clamor excipiebat, ambitiosè optantium ut civium annos Deus in unam Majestatem conferret, cui suprà mortalium sortem in plura sæcula fœlicissimi dies debebantur.

Nihil Regis fide firmius, quòd cùm ipse non egeret, tot in ærarium congestis absque invidiâ opibus, gauderet quoque non tardè aut malè solvere quæcumque ab inferiorum fortunis reddenda acceperat.

Antequam regiæ pecuniæ, & provinciarum spolia ab ejusmodi hominum manibus eriperentur, ea inopia laborabant principes, ut à suis antecessoribus inceptam domum ipsi non possent absolvere. Circùm multa palatia in Regum dedecus quotidie surgebant, & in tanto privatorum luxu, conducere artifices sola Majestas non poterat; unde ignobilis ad-

cò regiæ domus accessus, sordidusque, ut sæpè ad ipsas fores quæreretur ab exteris. Absolutas ædes Regibus novæ pecuniæ dederunt, eâq; diligentiâ festinavit pulcherrimus labor, ut completo triennio nemo quereretur principi apud suos subditos melius quàm in suis penatibus esse, & ex tecto quisque agnosceret quàm distat à Rege civis.

Sed ut diuturna esse ea fœlicitas quæ tot votis petita, tam tardè & jam præter spem venerat; ex prudentum consilio, quibus in publicis negotiis Rex utebatur ad nimiæ potestatis vitandam ostentationem, statuit, ut quolibet decennio conflaretur ex severiorum Iudicum numero emendatorium tribunal (ab luce & ardore flammeum vocabant) quod de vita & fortunis eorum quæreret, qui ex famæ relatione publicoque odio, aut nimia etiam opulentia meruissent pro suspectis haberi.

Quodcumque integerrimi Iudices decreverant, hoc ratum apud Regem erat; neque Magnatum ullus audebat nocentium causam amplecti, aut precibus sollicitare principis misericordiam, ut irrita vellet ea esse quæ à sanctissimo tribunali emanaverant. Inter conscios penè habebantur qui nimis anxiè pro reis vel orabant, vel metuebant, & ne pecunia quoque corruptos esse appareret, quisquis propriæ fortunæ amore à miseratione abstinebat, quam exagitatis amicorum dignitatibus inutilem fore sciret, sibique nocituram. Ita præcisa spe indulgentiæ, sibique relictis legibus, ut ad arbitrium sævirent, non frustrà laborabat judicum ocu-

lata diligentia, nec more Gallico cadebat ſtatim quod mature ſtatuerant.

Facultatum expoliatio, perpetuum exilium, leviſſima cenſebantur ſupplicia peculatus. Plurimis qui acrius ſub principis invidia plebem vexaverant, negatum eſt ultrà vivere: & cognitâ Regis in ſubditos charitate, quidquid procelloſo ſpiritu in commotâ plebe intumuerat, ſincere ſedatum eſt. Interim tributa quod modica eſſent, jucunde ab omnibus ſolvebantur, nam deberi Majeſtati quisque noverat; & quia non diſtracto curſu undique ad Regium ærarium confluebant, factum eſt, ut locus ille qui ex penuria communi vocabulo ξηρὸς dicebatur, appellaretur oceanus.

Magna præfectorum ærario neque unquam ſordidis conſiliis corrumpenda fides, bona hæc negotiis ingentibus ac regio decori copiosè ſubminiſtrabat, ut jam nihil vel ad imperii ſubſidium deeſſet, vel ad pompam. Videbat hanc fœlicitatem populus, maximè gaudens, quod quę tributa lubens ſolveret, in neceſſarios reipublicę uſus pulcherrimosque, non in unius aut alterius faſtum profusè ac nequiter abſumerentur.

Non ęgriùs inter vina ſitim ſervet ebrioſus, quàm inter pecunię acervos abſtineat à furto avarus animus, maximè ſi criminis occultandi ſpes datur, nec traditę gazæ, ut in privata commoda ceſſerit, timetur à deluſo Rege rationem poſtulari. Sæpe in ejusmodi viros Regni opes inciderant, magno cùm civium, tum principum malo; nam ingentes licet, bre

viter

viter tamen, neque opportunè rebus afflictis succurrebant; & immanes hiatus, ac bibacem humum nactæ citò siccabantur, quæ torrentium instar collectæ festinanter, suo etiam tumultu in plerisque locis, quà cursus non erat, fecerant meatum.

Magnete ambitiosior est omninò Chrysolithus lapis, nulla illi cum ferro concordia, sed quæ ad ignobile metallum languet virtus, excitatur statim si aurum objicias; Suum quoque amatorem aurum sentit, & aliquid ipso pondere fortiùs, quo afflatum gestit à proprio centro avelli, quasi ad oscula properans nativam gravitatem amitteret. Icon avari lapis hic, cujus totus in pretio amor. Divitiarum avido arma ostende, non sumet; ferrum enim sunt; sed thesaurum non credideris; nam si tradas cupienti, diù non servabit manus innoxias, amicum trahet aurum; ad vicinas opes prodet se quæ semota ab illis fortè latuerat sympathia.

Delectum hunc in constituendis ærarii rectoribus, quia Rex non indecorum aut nimis anxium Majestate existimabat, ex aliena nequitia ac proprio damno jam cautior, brevi in eam rerum omnium opulentiam crevit egena principum dignitas, ut toto regno cessaret tritum illud ac Regibus injuriosum proverbium, quo miseræ plebi tolerabilior esset egestas, illam ministros in throno posuisse.

Speciosissima est mortalium oculis pecunia, facilè animos ad sui amorem allicit, & periculosè etiam in ipsis munimentis reconditur, nisi latenti dederis ministros continentes; uxorum

inſtar quæſita regibus, ſuos & illa eunuchos habeat, citò enim violabitur, niſi aſſervandæ, velut ſpadones aliqui, præficiantur ſpectatæ integritatis viri, qui in illud probrum incurrere, quadam honoris ac innocentiæ neceſſitate omninò non valeant.

Ea tum vigebat circà Regis gazam caſtitas, ut pro miraculo haberetur, cùm anteà principes indignante plebe tuliſſent notum dedecus, & tanquam fati ſævitia ad inopiam compulſi, nihil eorum tentaviſſent quibus illa injuria in meritos authores recideret. Ita Gygis ſolertia mutavit rerum ſtatum, & ex fœlici eventu patuit conceſſum homini fuiſſe mirabilem annulum, ut eo maximè in commune bonum uteretur.

Liberales artes miro affectu fovebat qui tum imperabat in Galliis, & undique collectos qui in illis excellerent, ſuis diplomatibus, interdumque beneficiis ad ſtudium incenderat. Solerter inde acceptâ occaſione (antequam Gyges in id propoſitum incubuiſſet) vir bonus, illarum nomine ſaluberrimum conſilium Regi dare conſtituerat, & hæc ſcripti citò pervulgati ſumma ferebatur:

Galliarum Regi, Liberalium artium Supplicatio.

CUm ex reverentia, aut metu, quotquot homines te ſuum principem agnoſcunt, taceant, O Rex! ſine nos loqui, cives tuas; Regia benevolentia dignas credidiſti, crede

quo-

quoque quod à nobis accipies, neque time Regibus invisam prolixitatem sermonis; novimus quam breviter monendi sint Principes; & verbosâ oratione illud sæpissimè effici, ut in ultionem dati tædii aut tardius benefici sint, aut petitis non annuant; ne ergo tanquam loquaces respuas, eoque contemptu cadat apud te justissima causa, paucis multa diximus.

Deinde Grammatica, ut ordine prior, Regem monebat ab illis omnino hominibus abstineret, qui *literis* malè uti consueverunt; quorum tota vivendi ratio *barbarismus*; qui *præsentium* fastu & opulentia, *præteriti* non meminere; rogabatque quoniam malè *conjugabant*, *declinarent*.

Ostendebat Rhetorica quàm perversè *locis* abusi, ut portentosas *amplificationes* facerent; quam *figuris* sæpe apud Regem mentiti, ut publica mala minuerent, & miseratio ad tot vexatæ plebis querelas, in optimo principe deficeret; denique, quia improbè, & ad Regni perniciem eloquentes fuerant, aiebat deinceps non admittendos in consilium, illisque optimè substituendos, qui vera, qui justa, qui humana loquerentur.

Quæ in ratione tota est Dialectica, orabat ut expensarum *ratio* illam noctem tolleret, quæ offusa negotiis peccandi facit audaciam; illiq; damnarentur qui pessimè *Argumentati*, *præmissis* in Regum gratiam adductis, suam semper in conclusione *fortunam* posuerant.

Harmoniam solvisse illos homines canebat Musica; dum plus æquo *elati* aliorum voces audiri

audiri vetant : revocandos ad concentum esse, illisque *tonus humilior* præciperetur qui non dissentiret à cæteris.

In suas regulas plurimùm errasse prædones illos probabat Arithmetica; urgebatque, ut Regias pecunias eodem *numero* redderent, quo acceperant.

Ostensis, quas modica pecunia ab fortunis humilioribus extorserant, *terris*, & quàm latè nocuerant novi homines, nullis jus suum terminis passi circumscribi, non ægre Geometria indicabat quid peccassent in *mensura*.

Astrologia denique nihil de supernis illos cogitasse querebatur; illudq; Regi intonabat, ut nullos in posterum pecuniarum ministros haberet qui sub Mercurio nati essent, quod sydus illud & longos daret digitos, & ingenium ad fraudes furtumque acueret.

Non pervenit ad Regem deprecantium Artium justissima querela, prohibentibus scilicet, quorum intererat notissimam veritatem à Rege ignorari, ne quid tale Majestati traderetur. Et nisi Petiliani patefactum scelus amissos assentatorum dolis, atque malitiâ, oculos, optimo principi restituisset, publica res longa furum illorum atrocitate omninò perierat.

Quid ab illo tempore posterioribus annis faustè actum sit in Galliis, (quia id rerum ordo postulabat) breviter quidem, & ex occasione retuli : sed jam necessaria est ad tantæ fœlicitatis exordium, & ad nostri Gygis habiles dolos reversio.

Recens adhuc erat æquissima illa administrandi Imperii ratio, cum opportunè quæstio me-

medica agitata eſt ; an phlebotomiæ frequentior uſus ad ægritudinum levamen ſapienter admitteretur à medicis. Novæ diſceptationis cauſa, quidam ex Germania hoſpes, in ſecanda vena, ſuprà quàm ad id uſque tempus receptum eſſet in Galliis, audax, quo tamen authore ferebant plurimos ægrotos convaluiſſe; & , ſive fortunæ ludo, temeritati non raro annuentis, ſive ſola civium credulitate comparatum nomen, cæteris qui ex veteri ritu ſuis ægris ſolebant prodeſſe, timidiùs, totam penè fidem abſtulerat.

Ad ſalutem multum confert diſciplina vetuſtior, certiſſimo gradu majorum veſtigiis inhærens ; ad ſubitam famam, præceptorum novitas, verborumque inſolentia ; & donec ab eventis triſtioribus vanam artem, noxiamque agnoveris, quæſtuoſiſſimo honore fruitur in id maximè intenta, ut ſi nomen perdendum eſt, jacturam hanc ſarciat diligentia fortunæ, ac utilitate erroris.

Peregrini hominis recentem methodum jam probabat ex parte medicorum vulgus, & ſanguinem humanum (damnato anteceſſorum uſu qui contrà ſenſerant) adeò vilem habebat, ut ad omnes ferè corporum caſus non frequentur modò, ſed & interdum copiosè funderetur. Inſanientes ægrè ferebat prudentiorum docta canicies, & in genus noſtrum charitas. Ergo ut hunc vitæ theſauro parcerent monebant : & humanitatem eorum imitati qui priores mittendi ſanguinis artem docuere, oſtendebant ſapientiſſimis rationibus, in ægrota carne plerumque lethaliter ferrum

mergi, quam natura, aucta remediis, non ſubſidiis deſtituta, in priſtinas vires abſque vulnere reſtituiſſet. Verùm novitate tumultuante, ne ſchola diutiùs ingenti mortalium damno, à ſeipſa diſſentiret, voluit Rex ut convocatis quotquot in urbe regia degebant medicis, illi turbines habita diſputatione, penſatiſque rationibus, quæ vario fundamento innixæ, etiam experimentis creverant, ſolemniter componerentur: miſſo quoque in diſceptantium cœtum primariæ dignitatis viro, qui Regis nomine, & ſui muneris reverentiâ, clamores, ac nimios, ſi qui inſurgerent, affectus temperaret.

Non ſemel viſum eſt medicis de ea re quærere; die quem Marti veteres ſacrum voluere, propoſita eſt quæſtio, & utrimque ita pugnatum, ut vix cum hebdomade deſierit; non aliter ac ſi de bello & pace ageretur; expectantibus univerſis, quid de civium ſanguine concilium illud ſtatueret, quo decernente, aut miteſceret in ſuos ægros medicina, aut ſæviret acerbius.

Longum eſſet prolixæ diſputationis ordinem texere, variæque eruditionis placita, ſubtilitatem, tricas, ut quia ambæ ſuperare non poterant, ſaltem quæ vincenda erat, caderet non ignobili certamine. Concluſio fuit, externum medicum hoſtem fuiſſe, qui togatus gallicum ſanguinem funderet; ſi qui ejus operâ convaluerant, naturæ gratias habendas, non crudeliſſimæ arti quæ cœco impetu profuiſſet: veterum pręceptis immotè ſtandum, quibus tot ſæcula reverentiam habuerant:

clima-

climatis, ut & ætatis, in quolibet ægro, singularis temperamenti, & morbi maximè, expendendam esse rationem; quod si non observes, jure censearis homicida, qui ut cautius noceres, & à tribunali securus, quos vivere non optabas, phlebotomiâ perdidisti.

Hæc non videbantur ad politiam pertinere, sed ut regimini plurimum prodessent, effecit senatoris prudentia, qui jussu principis disputationi publicæ interfuerat, ut illo moderatore saperet incerta sui, & in mortalium perniciem pugnax medicorum eruditio. Nam finitis comitiis, ut modesti fuissent, in illa disceptatione, ut ratio partium studiis prǽvaluisset postulante Rege, ita vir sapientissimus de scholǽ placitis retulit, ut de Regno loqueretur.

Vix sine stomacho, ô Rex! ejusmodi homines patiuntur sibi ab aliis contradici, inquit; Ita imperio nati sunt, ut Regibus ipsis sæpè præscribant, quibus deliciis indulgere; quos labores fugere, aut amplecti; quem spirare aërem debeant; quâ diei horâ libero cœlo frui, ut brevi ambulatione refectos sua iterum solitudo, suus thorus excipiat. Quamdiu vales, o Rex! tamdiu nulla in Regno potestas tuam æquat: sed statim ac vires lapsæ sunt, & ad remedia currendum est, tibi ægritudo dominos creat, & qui te sanum medici non sine tremore conspexerant, mox ut illorum operâ indiges, sumpto suæ artis supercilio, tuo velut casu elati, superbè decernunt quantum te pasci, quantum dormire, aut etiam loqui oporteat; quodque in summa egestate gravissimum creditur, ipsam Majestatem in eas angustias con-

trahunt, ut quidquid ad ægritudinis ſolatia vel leve conceſſerint, habeatur ingens beneficium.

Neceſſe fuit, Rex, ut inter tot viros qui ex ſuæ ſcholæ genio, quodcumque proferunt, jubent, & ut quædem oracula audiri ſe optant; tumultus aliquis fieret; quippe dum periti omnes volunt videri, ſuamque deſpici ſapientiam non ferunt, in ea animorum verborumque tempeſtate, aliquandiu dubitavit ſchola an aliquid certum ab iratis, famæque nimium ſtudentibus decerneretur: ſed paulatim diſputantium fervor intepuit; & ex licentia quam feceram ortus pudor, ne ſi diutiùs præſente me turbo ille concitatas mentes verſaret, diceretur Hypocratis alumnos, qui cæteros mortales ab inſanis motibus prohibent, meam patientiam laſſaviſſe.

Pace redditâ, mirum eſt quàm ſolerter, quàm copiosè, illa pars cui nova methodus placebat, loquuta eſt: quam ſolidè altera, quæ veteri ſententiæ ſuffragabatur. Tanta utrimque dicta ſunt, ut pauciſſima memoriæ adhæſerint; nam prȩter illa quæ celeberrimæ liti optatum finem impoſuere, cætera quæ illud argumentum in tot dies protraxerunt, vix meminerim.

Hæc autem ſunt quorum imagine teneor adhuc. Medicinam errare quæ æquali apud omnes regiones ſecuritate putat ab ægrorum corporibus ſanguinem peti. Naturam ipſam, dum timidiores eſſe voluit gentes illas quæ ab ſolis vicinia longo ingentique calore ſolvuntur, medicos monuiſſe quid agerent. Nam ideò in bellum minus pronȩ ſunt, & pericula

cau-

cautiùs vitant, quod laxatis nimio cœli fervore artubus parùm ſanguinis inſit, & illud maxima cura ſervandum eſſe ratio doceat, quod parcè datum eſt.. Longè diverſo genio aguntur qui frigidiora climata incolunt, & premente circà gelu, ſpiritus illos, calorem illum internorum tutiſſimè fovent, quo feſtinantius fœliciuſque coquuntur alimenta, & copioſior ſanguis illa corpora vegetat, quæ tanquam non ignara ſui, ad ictus, ſi quos excipere oporteat, promptiſſima ſunt, & vulnera non reformidãt. Ex illa naturæ ſapientia docemur non eandem ubique extrahendi ſanguinis legem eſſe debere & ſecurè fundi, ſi ex climatis influxu ſuas ita venas implet, ut eductus, ciborum valida coctione non ęgrè reparetur; ſecus autem, ſi in flaccidis vaſis molliter ſerpat, ſuamque penuriem oſtenderit.

Ignibus illis certè non torretur Gallia, quibus tot populi laborant: ſed licet benigniori ſole utatur, peccat tamen medicina, ſi temperatæ regioni tantum ſanguinis imperet, quantum ſubtrahi opus eſt illis gentibus, apud quas toto fere anno ſævit hyems, & robuſtiſſima ideò naſcuntur corpora, ut rigidioris cœli immites aſpectus, ſuas nives pati poſſint. Ea ratione per æſtatem etiam non frequenter vena pungitur, niſi morbus urgeat, & pretio illo ſanguinis citò redimenda ſit ſanitas, cui infeſta foret nimia medentis prudentia, ſubſidiique cunctatio.

Plura, ô Rex! in hanc ſententiam dicta ſunt, ſed præcipuæ utilitatis fuit ille diſcurſus, quo oſtenſum eſt medicinam quæ omnibus omni-

no corporibus prodesse cupit, singulorum maximè esse scientiam; ex illa enim notione securior pronunciat quid ægro potissimum prosit, & remedia fortius urget, aut temperat.

Variis tum exemplis, tum rationibus patuit, quanta in educendo sanguine requireretur prudentia; illorum præ cæteris memini. Frænum bilis rectè sanguinem vocari ajebant, timendumque ne igneus ille humor, rabidusque, qui benignioris societate solet mitescere, noxiosissima incendia conflet, si optimo moderatore destitutus totas in hominis exitium vires exerat, quæ remissè nec suprà medicorum opem nocuerant, quoties tentantes, comes sanguis compescuit.

Varia est omninò mortalium temperatura: & ab ea naturę contemplatione, ut plurimum pendet illius artis fœlicitas, quæ fractis corporibus, ne vel citò, vel leviter spes damnaretur, consuevit sanitatem polliceri.

AEtas quoq; prout firma est, aut languida, regulas mutat; nam senes suæ terræ prorsus reliqueris, si quod ex annis vegetioribus adhuc in illis superest, frequenti aut largâ profusione extrahas; & coloris haud rediturі jacturam mox sequetur artuum solutio, vel funus.

Ex morborum qualitate etiam æstimantur remedia: quippe sæpissimè periculum fit unius quod alteri ingens ac præsentaneum subsidium est, illudque in exemplum referebant: Qui aquâ intercute laborat, Phlebotomiæ usu in majus naufragium extenditur; & nisi vel calor immodicus, qui mediis in aquis sæpissimè fervet, vel vitæ insidiata suffocatio, festi-

festinanter & ex accidenti sanguinem poscat, ferro parcit prudens medicus, quo alter non satis perspectâ valetudine, ægrotantis fatum maturavisset; Itaque ut regionis, sic & ægri per omnia ajebant habendam esse rationem, ut ars quæ in bonum generis nostri à Deo concessa est in eos errores non incurrat, quorum non est nisi probrosa peccantibus, illisque qui periere prorsus inutilis pœnitentia.

Lætabar maximè, o Rex! illa pro curandis corporibus statui, quæ ipse in regno ad publicæ quietis securitatem meliora judicaveras: Nam & vos Principes populis præesse Deus voluit, ut Regiæ artis beneficio illæ ægritudines amoverentur, aut omninò non essent, quibus aliquando interit patriæ temporumque fœlicitas. Et illud sapientissimi viri in sacris codicibus legitur: Nolite me constituere principem populi, non sum medicus; quasi diceret, illo fastigio indignos, qui politici corporis mala cum sanare teneantur, aut nolunt, aut nequeunt.

Plurima in Galliis crudeli quorundam hominum solertiâ fota fuisse, non tantùm nos qui tulimus, novimus, ô Rex! didicerunt & exteri; nec sine stupore audierunt, in sagacissima gente, quæ regendo orbi sufficiat, ad publicæ ægritudinis levamentum illa remedia non adhiberi, quæ & præstò erant, neque violenter aut periculosè sumenda, si illis uti tàmdiu deliberans, & (ut credebatur) ipsis etiam calamitatum authoribus nimium favens potestas voluisset. Hæc mala, rumores hos, tunc stitisti cùm à politico corpore, multis jam vulneribus

ſaucio, ne noxiè fundaretur quod in illo ſupererat ſanguinis, ſugentes circumquaque, in quæ unquam ſpontè ceſſaturas, hirudines amoviſti.

Optimo Regi ita placuit illa laus, ut tamen contriſtaret: Nam ad memoriam revocabat infœliciſſimi temporis mala, nec ſine dolore occurrebat præteritæ fœlicitatis imago, quâ abuſi, qui ſub illo publicis theſauris præfuerant, privatas fortunas in eam opum ſuperbiam extulerant, ut ornandæ Majeſtati, paci tuendæ, ſolvendisque militum ſtipendiis planè ſufficeret, quod raptorum manus abſtulerant.

Cùm hæc ille cogitaret, Regi proximus aderat adoleſcens, Imperii hæres, ſerio ſermone adeo fatigatus, ut ex vultu & oculis tædium illud agnoſceretur. Choræas impensè amabat, & quàm ægrè olim in Impetatore mimicas has voluptates Roma tuliſſet, memor pater, omnibus modis conabatur, ut filius ab his ineptiis abſtineret, & ſervatâ dignitate, ſi remiſſionibus vacare placebat, ſaltem amplecteretur robuſtiores delicias.

Vix ardua tentat ludicris aſſuetus princeps; & rarò mutatur genius ille quem juveni infudit nimium placens ac mollis inſtitutio. Majeſtatem decet, non ad fidium concentum nobile corpus: ſed militare veſtigium, & inter tympana ac tubas nutrita vis, quæ hoſti, ſi quando pulſandus erit, terrorem faciat, ſubditis reverentiam. Ad ſeria Principes naſci ita ſcitur ab omnibus, ut ægrè ſubditis placeant, ſi vel pueri, puerаſcunt. Quemadmodum Herculi

culi contigit à matris utero fortem esse, ac vincere, optamus illis cunas viriles ; & quæ illis plurimum favet opinio, putat tamen multùm imperio detrahi, si aliquid pusillum accesserit: si voluptatum ignobilitate privatam sortem imitetur.

Volebat Rex adolescentem filium ad Regnum erudiri, ut quod ipse pater non fecerat, à puero ad virilem usq; ętatem venationi plus justo addictus, id aliquando in Civium bonum ageret Regiis curis imbutus successoris animus & maturè formata prudentia. Igitur captatâ occasione sic ad senatorem Rex:

Istud quidem dudum sciebam, optimum regimen censeri, si philosophi imperent: sed mihi plane novum quod à te audio, non posse bene imperare qui medicinam nesciant. Age, & si potes ostende, quàm verum sit artem illam, nostram esse: Multum tibi debebit Hypocratis schola, si ad illam Reges cogas.

Tum ille: Respublica velut politicus quidam homo est, ô Rex! cuius cives membra sunt & sæpe contingit variis ægritudinibus vexari corpus illud: pluribus enim malis patet tanta vastitas, recipitque, nisi eruditus Princeps periclitanti medicam manum admoverit. Illud autem vix tentabit fœliciter, si rerum illarum peritus non est quarum scientia atque usus optimum regimen efficiunt.

Illud maximè proderit nosse climata, ne quod uni competit regioni, omnibus æque convenire existimet qui regno pręficitur. Suis principibus aliquæ gentes adeò sunt obnoxiæ

ut

ut servitutem, cui se quodam fato edita esse existimant, nemo respuat: Apud illas (præter Regem) quicumq; homo nascitur, ipso patriæ ritu mancipium fit; putaturque, ita opes, ita vitam precariò possidere, ut ad imperantis nutum abjicienda sint, quæcumq; favente fortunâ commodi lares acceperant, aut natura concesserat. Statim ac aliquem perire utile judicatur Regis ærario, & luxu crescente, vel sermonum jactantiâ, nimium se prodit incauta fœlicitas; moris est ut per nuntios ad hominis domum crudeles codicilli deferantur qui mori jubeant; & qui tollendus est, adoratis (tanquam ab ipso Numine adventarent) immanibus literis, frequentia etiam infigit oscula: clementissimo Principi gratias habet, quod siverit ad hanc usq; diem luce frui; quod levi supplicio à gravioribus, quæ in hujus vitæ decursu instabant malis, pereuntem eximat; & sub ipso ferro, non professa mæstitia frontem contrahit, non deserendæ familiæ sensus, querelas aut gemitus movet: totum damnati studium, ut jubente Principe, non patienter modò, sed etiam libenter videatur caput obtulisse carnifici.

In illis certè gentibus, ô Rex, quæ regiminis hujus patientissimæ sunt, nullo sui periculo credam potestatem sevire: Acerbitas enim illa longo usu recepta est, & ut tyrannidi consensit ad tolerantiam malorum edocta plebs, ac veluti quibusdam naturę legibus diuturnâ servitute cervicem flexit, licet se miseram sciat, non tamen habet mutandi status causam, quæ apud plurimos multum valet, calamitatum

tum novitatem : & hoc pati quod ab ęvo antecessores perpessi sunt, non habetur gravissimum. Quippe generis nostri ea est iniquitas, ut levia penè mala censeantur, si successione veniant; illudque nobis durissimum sit, cujus exempla non vidimus. Tertiam annuorum redituum partem in Reipublicæ usus dari, aliqua natio ita fert, ut huic familiæ damno assueta, non sentiat onus suum.

Mores hos in Gallias admittere non securè Reges tentaverint : Neque enim unquam existimavimus, subditorum bona ita Principum esse, ut tanquam suis indiscretè uti possint, nisi ad id cogat non mentita ad justitiæ speciem; sed vera, & cui omninò parendum sit, necessitas. Maxima est Francorum in suos Reges reverentia; ut decentiùs imperent, libenter quęlibet fortuna de suo detrahet, gaudebitque id sibi negare, quo aucta Principum majestas latiùs apud exteros fulgeat; & nemo non dabit quæ in publicam salutem expendi certissimè cognoverit. Verùm animos movet inverecunda illa atque enormis potestas, quæ summo jure omnia sibi vendicat, & in maius Reipublicæ exitium, nomine suo privatorum quandoque cupiditates prætexit, ut titulo majestatis velut in communem causam damnatas singulorum opes audacius diripiant.

Apud nos feliciter imperant Reges, si modestè sua exigunt, si subditorum labori illud non invideant, quod improbo sibi sudore comparavit; & cum solis instar micent, ferantur que per varias domos æquali semper splendore

dore conſpicui, non in eo dignitatem ſuam ponant, ut fortunis humilioribus haud ſinant tranquillè ducere ſuam noctem. Principes reveremur atq; amamus, ſi & ipſi nos ament; ſi ex dignitatis eminentia ſuprà calamitates poſiti miſerentur tamen; illaque conſilia reſpuant, quę ſi audiantur, Reges vel turpiter avaros, vel effusè prodigos, audacesque; ac tandem inhumanos efficient.

Mitiſſimam Principum poteſtatem experti majores, cui regimini optimè ſubderetur futura ætas, nepotes docuerunt. Referam, ſi placet, ex hiſtoria tua, o Rex! quàm malè rebus innovandis aliquando incubuit peregrini hominis, qui climatis hujus genium haud norat, ambitioſa ac præceps diligentia.

Avo tuo imperante, neſcio quo ſyderum influxu, Etruſcus quidam in aulam admiſſus, non ægre id aſſequutus eſt, ut Regi placeret, & adminiſtrando imperio crederetur aptiſſimus. Nemo certè illo ſubtilior erat, aut fingendis affectibus cautior; perplexis negotiis natus, quod profeſſo conſilio, atque audaciâ animi exequi haud poterat, id verſatili ingenio, ac lentâ, quæ apud nos penè ignota eſt, prudentiâ ſæpe perficiebat: verùm ſagaciſſimo viro deerat illa politeia, quæ ex varia climatum poſitione metitur uſus ſuos; & quia Galliam novus hoſpes non ſatis noverat, factum eſt, ut ſub facilimo Principe ſibi traditam, tributis ingentibus prope perderet.

Uxorem Ligurem habuit, opum truculenter avidam; cui ſi placere amaret, neceſſe erat ut credito miniſterio in ſuæ fortunæ incremen-

tum acerbè uteretur : nec in illam ſævitiem ægrè conſentiebat ambitioſi hominis cupiditas : verùm ne conjectas in principis ærarium manus, vacuas ad ſe revocaret, aut in modicâ Gazâ non ſatis lateret immodeſta compilatio, illud maximè curabat ut aucta indies tributa, tanquam publicis neceſſitatibus ſuffectura, theſauro Regio accederent.

Dum ſic ambo copioſiſſimis fortunis fœliciter ſtudent, creſcuntque honoribus; Interim nubiles fiunt natæ, filiique ad capeſſenda munia idonei. In eo opum faſtigio jam pudebat generos habere præcipuis ſtirpibus impares, & in familiam illas dignitates admiſiſſe, quæ ſupremæ non eſſent, humile videbatur. His ergo comparandis, quæ præclariſſimam ſortem decebant, denudandus erat novis artibus populus, ut Etruſcus ille, tanquam devicta æquiſſimo bello Galliâ, manubias ſibi ex illius ſpoliis ſtatueret.

In hoc conſilium providentiſſimè incumbens, ſæpè Regi inſinuare, numquam fideliùs obedire plebem, quam cum premitur; pinguem, ſuiſquè tranquillè facultatibus uti aſſuetam frequentiſſimè inſoleſcere : Reges Aegyptios olim erexiſſe Pyramides, non ad ſolam nominis famam, ut plerique exiſtimaverunt, ſed ut tantorum operum mole populus non ſpontè obſequens, & ex ipsa Principum indulgentia audax, ac rebellare facilis, diu in officio contineretur : quippe à laſſatis, fractiſque nihil metuendum, ſecùs ſi in vires priſtinas redire, ſeque noſſe permiſeris.

Addebat & alia ; bellis in exteros ſub vario juris,

juris, aut æquiſſimæ vindictæ nomine perlatis non famoſa tantummodò imperia effici, ſed & feliciora: otioſos enim populares ejusmodi armis à civili defectione abduci; neque certiùs concepta in Regem, aut in miniſtros odia poni, quam ſi inquietis animis, & aliâ irâ placandis, externum hoſtem objicias. Multitudine laborare imperium; illos utiliter in legionum duces eligi, & ſub honoris ſpecie mitti ad necem, quorum ſuſpecta eſſe meruit poteſtas, vel timetur audacia. Satis eſſe, ſi Gallia effuſo in finitimos marte, ut calamitatem propellere coacti, de inferendâ non cogitent, domeſticâ pace frueretur.

His à Rege non auditis tantùm, ſed & facillime creditis, modico tempore toto fere imperandi ratio mutata eſt: Nullus exigendæ pecuniæ modus; ſatellitum ſævitiâ, late vaſtati colonorum, qui prius commode egerant, lares totos agros egenis replevere; & deſtituta ſuis cultoribus tellus, ſtirpium inutili luxu, ac denſo horrore, pluribus in locis, quaſi ad calamitatis conſortium & ipſa accederet, mœrorem ſuum ſignificabat.

Eâ duritate per Gallias primum extinctus eſt Principis amor; mox & metus, nam quid ultra timeret plebs ad ſummam inopiam adducta, aut quid Rex ſubditis iratior, ad miſerorum terrorem minaretur acerbius? Calamitoſis deſperationem egeſtas, deſperatio audaciam fecit; ut omnia ſibi licere populus crederet, quæ ad propellendas vitæ fortunæque injurias validiora haberentur. Exhauſtos maxime incendebant Hetruſci opes, familiæ ſplendor,

dor, & in ipſo patriæ ſqualore, adventitii hominis potentia inconſultè ſuperbiens.

Hanc quoque non tulit aliquorum Principum depreſſa, aut minus reverenter habita dignitas, qui illud regis auribus frequentiſſimè infundi haud ignorabant: viros Principes nimios animos habere, ut in altioris poteſtatis gloriam optima loqui velint, ſi inflatos voces ad conſilium; &, ſi bello præficias, ſincerè militare. Comprimendam natalium ſuperbiam; & ab ſtirpibus humilioribus utique promovendos eſſe, qui cum Regi debebunt gloriam, poteſtatem, opes, ſtrictiori quoque nexu Majeſtati adhærebunt, & memores quanta acceperint, ultrò conceſſæ gratiæ pretium eximiâ fidelitate ſolvent.

Gravioris elementi ſinu concludi non patitur aër, oppreſſus furit, ipſoque montium tremore non rarò oſtendit quàm periculosé turbetur æquiſſimus ille naturæ ordo, quo depreſſiora quæque vilibus elementis loca aſſignantur, altiora nobilibus, hanc ſibi inferri contumeliam indignati principes ingenti ruinâ, cum minor vis ad id non ſufficeret, haud multò poſt queſierunt in illam celſitatem reſtitui à qua cecidiſſe videbantur. Illis authoribus undique ſparſi qui vexatos cives, jamque iratos ad majus odium provocarent; jactarentque non ideò bella in exteros ali, quod crederentur neceſſaria; ſed quod privati hominis cupiditati illos tributorum exigendorum prætextus prolixè ſufficerent, quibus ampliſſima prædia liberis, dignitates, nobiliſſima matrimonia quærerentur.

Arte

Arte hac facillimè Gallorum accensus furor, inverecundè ausus est ea moliri, quæ brevi regiam dignitatem in summum rerum suarum discrimen adduxere, & Reipublicæ speciem Regno insusserunt, cum illa quæ prius in cives obsequentissimos omnia poterat, palam calcaretur ab incondita plebe authoritas. Nullus armorum pudor; & ut annuente quoque pietate viderentur insanire, qui ab majestate defecerant, Sacerdotum, quos maxime decebat Principis amor, atque beneficiorum recordatio, publicâ oratione effectum est, ut se Deo obsequium præstare quàm plurimi crederent, qui patriæ mala obstinato marte vovebant; ac sanctiùs ducerent, ad majores negotiorum procellas, invocato hosti adhęrere, quam Principi.

Mala hæc invexit in Gallias victa tandem enormium tributorum patientia, ac Hetrusci præpostera administratio, qui si Francici climatis genium, mores ex prudentia tractasset humanius, sine dubio multùm regno profuisset innata viro, nec facilè decipienda sagacitas.

Lætabantur quotquot audiebant, simulque nutu provocabant, ut majora auderet, sincerissimi hominis libertatem; nam profutura credebatur, & ex præteritæ ætatis calamitatibus monebatur Rex haud leviores debere expectari, si ab illa regnandi suavitate, quę civium amorem sibi nuper conciliaverat, ad pristinas tributorum acerbitates egentisque populi contemptum potestas deflecteret.

Sed se loquutum audacius timere incœperat Senator, & demissiori voce jam componebatur ad silentium, cum Rex hominis pavo-

rem ſublevaturus, clementiſſimo vultu, nec ab aulâ expectato, additis quoque humaniſſimis ad majorem fiduciam verbis, ut ultra liberrimus ſermo procederet, animos dedit. Summa mihi voluptas eſt, inquit, ea audire, quæ taceri Regibus ſolent. In liberâ gente linguas liberas eſſe debere cum illo Principe planè æſtimo, qui calumniis petitus hanc primus ſententiam protulit, ne ſi cogerentur cives ea non loqui, quæ prodita animos levant, verborum tyrannus haberetur. Oſtendiſti neminem rectè imperare, qui regionis, cui præeſt, genium non ſatis norit, & ex illa inſcitia ſæpe fieri, ut ſubditis multa imperentur, quæ cum habeantur graviſſima, neque conſuetudine firmata ſint, defectionem faciunt. Nunc de perſonis age; & quâ ratione ſingularium quoque ſcientia eſſe debeat illa regiminis forma, quæ à medicorum placitis ſuam artem videtur mutuari.

Regia voce erectus Senator (quod minimè ſperabat) alteram quæſtionis partem, quâ divitum plurimi perſtringebantur, maximo adſtantium gaudio in hunc ſenſum proſequutus eſt: Grande licet ingenium tibi Deus dederit, ô Rex, fruſtrà tamen ſubditos tuos omnes noſſe tentaverit illa animi vaſtitas, qua cæteros Principes antecellis; & in diſquirendis ſingulorum facultatibus indecorè etiã jaceret Regalis illa, quæ altioribus negotiis debetur, ſuoque dignis faſtigio, diligentia: tuorum cura ſit hæc inquiſitio, quos jubebis omnium fortunas explorare, ut nulla earum queri poſſit ſe nimium premi, & in dividendis oneribus, quæ ſin-

ſingulorum lacertis certe æquanda ſunt, juſtitiam abeſſe.

Iſta cenſeberis egiſſe ſi ſedulò mandabis ut fiant, nec abſque mulcta illos eſſe patieris, qui injuria vectigal diſpertient.

Verè nobiles à quibuscumque tributis eximi recepit conſuetudo; neque plebs ipſa abnuit, & ex æquitate eſſe creditur ſtirpes optimas, quæ longo ordine inclyta majorum ſuorum facinora recenſent, ejuſmodi privilegiis, meritisque honoribus diſtingui à cæteris. Altiori licet claritate, Rex conſpicuus ſis, illius tamen ordinis es, & ad dignitatem imperantis pertinet ea nobilium exceptio, quibuscum & ipſe cenſeri conſueviſti. Si te ſolem dixerit aliquis, omnes illicò annuent: nam cæteros mortales non ex celſitate tantum tuâ ſuperas, ſed & perfundis, ac vegetas lumine tuo. Verùm, nobiles hi quibus circumſeptus cerneris, majeſtatis tuæ radii ſunt, & ex tuo certè ſplendore multùm decederet, ſi tibi magis quàm ſibi micantes, communi cum cæteris æqualitate patereris obſcurari. Satis tributorum ſolvunt, cum ex tuo imperio, nonnunquam abſque ſtipendiis, & ſæpe nec juſſi, ſtatim ut periclitatur tua ſalus, aut dignitas lęditur, alacres fundunt, triplici in uno diſcrimini obſequio, pecunias, ſanguinem, vitam.

Sed quis ferat ignobiles illos qui indicta univerſis civibus onera ab ſuis humeris inique excutiunt, ut egentes immortale pondus ferre coacti, ſub eâ tibutorum mole, quæ fortunis eſſent validioribus levia, perennè deficiant.

Aliqui ſunt qui nominum ſimilitudine abuſi,

usi, se inserunt in antiquiores familias, & mentitas emunt cognationes; ut qui nobilium stirpes inquisituri, provincias obeunt, mutuatis in generis fraudem titulis, aut verè decipiantur, aut se decipi simulent, si sordidis, verùm multo auro tumens marsupium proferentibus, eam dignitatem conferre placet, vel deprecante (quod sæpe fit) potentis amici favore, quasi Reges essent, ad arbitrium creare ingenuos. Ita fit, ut in generosas familias transfusæ ignobiles iisdem omninò fruantur privilegiis; nec animos tamen illos habeant, quos clarus, & ab insignibus avis deductus pulcherrimæ proli sanguis dare consuevit. Donec temporum cursu mercaturam suam dediscant, timidos, nec facilè ad bella formandos milites plerumque gignunt stirpes istæ; licet, ex splendoris novitate cæteris superbiùs insolescant, ut præteritæ sortis maculam apud ignaros, simplicesque tumor ille operiat. Sic jam plurimos nobiles habes, ô Rex, & quod fisco non solvunt isti, quorum opes, copiosâ tibique debitâ collatione, minimum vexarentur, pendere cogitur misera plebs, tanquam ad hoc nata, ut quidquid durum imperatur, ad solos egenos pertineat.

Aliorum quoque divitum æquè noxia est populo tuo, modestior licet videatur, iniquitas; qui non mentito quidem sanguine, sed facultatum suarum reverentia id efficiunt, ut si stipendiariis annumerari necesse sit, modicâ saltem & ridendâ aliquot nummorum solutione (quasi immunes sint) & solo natalium probro, communiq; cum Plebeis hominibus

lege

lege familia maceretur. Ea annorum vectigalium declinatione, tota in calamitosos, qui se tutari nequeunt, gravitas cadit; & quæ in corpore politico pars infirmatior est, noxios humores ita admittit, ut publici illius naufragii quo destitutæ viribus familiæ malè pereunt, vix in vegetiores fortunas stillicidium adverteris.

Quem verò putes Regni illius statum esse, ubi nulla personarum ad justitiæ præscripta sit distinctio; ubi ipsa egestas nimiæ repletionis insimulata, novis artibus, nova indies sævitia extenuatur & quicumque minus habet sanguinis, plus jubetur effundere. O quis sortem tuam dignè lugeat! vix bellis quàm pace miserior oppressa plebs! Te Reges ament, te quietam, te florentem velint, cujus gratia Reges sunt; non ideo fœlix eris, nisi quod tacent divites, quòd iniquè agunt, quod solerter, nec inscio tamen magistratu, vitant, deferatur Principibus.

Sed quò me hic æstus? cum jam toto Regno ea sit tributi exigendi ratio, ut præter antiqua illa jura quæ patrio more recepta sunt, Portoriorum non invidiosos proventus, ac Regii patrimonii heriditariâ lege debitas opes, nihil tibi, Rex, solvi jubeas quo secernaris à subditis? Aut unde mihi, ut optimo tempore iniquissimis moribus ita succenseam?

Nempe jussisti, ut de singulorum statu liberè dicerem, quem & expendi omninò necesse est, ne sub mitissimo imperio, dum nimiùm parcit copiosis civibus corruptissimorum judicum favor, male perseveret tanquam in publica

blica pernicie pauperum calamitas, & Regiæ clementiæ fructu destituantur illi propter quos maxime odiosa illa vectigalia sublata sunt.

Olim certe hæc fieri, prolixe doluimus: Vlcus amputasti: sed denuò serpere aliquibus in locis loquacior fama jam retulit: & plura minantis incommodi justissimus metus ad hos questus me compulit.

Sic dicente senatore, acciderat ut Charmion aulam ingressus adesset cum annulo: inducndus enim philosopho erat, quòd in Regiam ejusmodi homines non libenter admitterentur, nimis sincere dicturi, quæ aut ipsi perversa in Regno vidissent, aut fama jactaret. Nullo prohibente vilissima mancipia in interiores cellas quotidie intrabant cum dominis, & si quis ex barba & pallio agnosceretur philosophus, non prius propitium habebat militem, qui Regias fores custodiebat, quàm à Prætorianorum, sæpius absente, præfecto ejusmodi licentiam concedi ostendisset in chartula. Severitatem hanc multum aversatus Charmion, quoties in aulam concedere volebat, accepto annulo aulicorum frustrabatur aspectus: & tum placuerat viro in proximam statuæ basim quæ illic oportunè stabat, conscendere: ut quæ in confertissimo nobilium cœtu dicebantur facilius capere posset, Regemque intueri.

Facto à Senatore silentio, & quid Rex ad tam utilia, sibique ex parte ignota referret expectante aula, subito impetu Charmion putavit se aliquid ingens in patriæ salutem facturum, si ex illo suggestu non visus loquere-

tur. Validissima illi vox erat, & novo conatu totas vires in eam contulit, ne crederetur esse hominis, majoremque terrorem imparatis auribus incuteret.

Hæc vera sunt (inquit) O Rex! ampliora tamen accipe, & cœlesti voce monitus prosequere quod cœpisti: Iam patriæ parentem vocat te sublevata plebs; illustrissimum titulum serva, quem tibi tot tributis inviso publicum odium negaverat. Suos habent terminos Regna; pacatus posside, quod tibi majores tradidere. In capiendis urbibus frustrà consumitur tempus, aurum, milesq; telis objicitur, si aliquando reddendæ sunt. Sordide regnat in vacuos cives Princeps, & fœde inflatur caput, si ut pinguedinem suam augeat, cætera membra deficiunt. Sic impera, ut memineris te populis in commune bonum datum esse: & ideo Reges creari, ut omnium sit illa fœlicitas, quam ut suam potentiores sibi vendicant, neque sinunt (ni æquior majestas superbis obstiterit) ad infimam usque plebem descendere. Iam pene omnia in pristinum ordinē restituta sunt; ne te incautum nova impostura decipiat, fidos habe qui publica mala, justissimasque ærumnosæ plebis querelas referant, ni mavis quod solent in Britannia Reges, tibi magis quàm alteri credere, tuasque ipse lustrare provincias, ut nihil eorum te prætereat, quæ remoto, & aliis curis, aut etiam voluptatibus distento, vix aliquis tuorum auderet sincere nunciare.

Non Regem modò, sed & purpuratos omnes terruit potentissima vox, quod Cœlo de-

delapſam crederent; & brevi per totam Galliam effuſus rumor, chariſſimos Numini pauperes eſſe, quorum non obſcuro patrocinio, in ipſâ aulâ, unde exploditur tantis artibus, tantâ nequitia veritas, cauſam cœlites ſuſceperant.

Nobile poëtis argumentum dedit illa oratio: & ad dignitatem magis fuit, quòd aliqui aſſeruerant, cum hæc dicerentur, labiorum motum ſe advertiſſe in ſtatua: ſive pavor turbaverat mentes, ſive placuerat in ſuæ vanitatis ludum hanc fabulam apud populum ſpargere.

Iſacidem referebat ſignum illud, efficaci lyra ludentem, quâ ſpiritus nequam ab Hebræo Rege amovebatur, redibatque miſero quies tot excuſſa furoribus. Nunquam gratiori muſica vel utiliori prophetam in principis aula placuiſſe, poëtæ canebant, quam quæ ex marmore ipſius, eo die tam fauſtè proceſſerat: quidquid enim mite & gentium votis propitium cupidorum hominum artibus exulaviſſet: eo poſſe ſermone revocari: nec ab infeſto genio timendum ubicumque audiretur quod ſtatua regiis auribus infuderat, ut plebis ærumnas dignas eſſe oſtenderet, quę inter ipſa artificum ſimulachra oratores invenirent. Sed hæc moneri optimum principem neceſſarium non erat, & jam deſierant illa enormium tributorum onera, quæ ſubditos premunt ac exaſperant.

Neque tamen illa imperandi ſuavitas caruit monſtris quæ terrorem facerent: nam de cœlo lapidatum eſt, & tetra nube ſtillans ſanguis dubium fecit an rediret exacta calamitas. Pa-

vorem vulgi compeſcuit Principis juſſu ſtatim editus vulgatuſque à philoſopho liber, quo oſtendebatur non in malorum augurium dari hos naturæ effectus; cauſas ſuas habere, unde neceſſariò fluant: Ubi generatur minium non rarò purpureas nives videri, ſoli ſui genium ſcilicet ſervante vapore, eumque colorem reddente, cum in modum lanæ ſilentio cadit ſparſis hinc inde velleribus. Marco Acilio, & Cajo Porcio conſulibus nubes etiam ſanguinem fudiſſe; orante in ſenatu Milone, lateres; neque tamen publicæ alicujus calamitatis cruentos imbres, ſolidosque fuiſſe præſagia. Nihil mirum ſi ſaxa in altum tolleret turbo involvens, & ceſſante illa vi quæ rapuerat, præcipitarent in ſubjectam civitatem; quotidie arenas in Africâ, vento excitante; in remotiſſima loca deferri, eoſque cumulos efficere, quos ſyrtes vocant, ubi prius lata planities erat, viarumq; ordinem ita corrumpere, ut, velut in pelago, viatores ſyderibus curſum regant.

Ergo metum ponerent, & in ſolatium quoque cogitarent, majorem vim lapidum irruiſſe in illas domos, quæ principis juſtiſſimam iram ſenſerant, ut nemo à Rege inique perculſas diceret, quas publicæ injuriæ vindex natura ampliori ſaxorum aggere violaverat. Si quid terribile portenderet ſanguineus imber, non in malum omen Populo dari, ſed divitibus illis qui nequiter eminerent: inde enim non male ſignificari, ſi deinceps in ſua vel regni commoda plurimum auxiliorum à politico corpore extraheret poteſtas, non ab iis partibus peti debere, quæ jacent; ſed ab illis quæ ſur-

ſurſum ſunt, tanquam non terra, ſed cœlum ipſum ſanguinem daret.

Quod mox dicturus ſum, licet longè poſt evenerit; quia tamen ex Gygis ſolertiâ ortum eſt, quo Authore publica negotia reſtituta ſunt, prӕterire non debeo, nec aliàs poſſim referre commodiùs.

Aliquando Rex villam petiturus ad viginti milliaria ab urbe diſtantem, ut mutatione aëris ex medicorum conſilio incertam ſanitatem ſtabiliret, lecticâ geſtabatur, & unà cum illo ad ſermonum voluptatem, ex magnatibus unus; dum non properato greſſu muli ſub regentibus pueris viam faciunt; Ecce viri duo cum uxoribus, ac miſerâ prole, pedites ibant; exterӕ illis veſtes, ſed vultus qui Gallorum eſſent; niſi quod nimio ſole aduſti videbantur. Hos cùm forte conſpexiſſet Rex, voluit ſcire unde venirent, aut quò pergerent; & illico vocati, non procul à lectica omnes ſimul cum lachrymis in genua provoluti ſunt. Regem movit non expectata conſternatio, ut juberet ſubſiſtere lecticarios; & percontatus, quӕ patria? quis caſus tam acerbos fletus exciret? unus illorum, optimi vir ingenii, ut potuit, licuitque per gemitus, ita de ſe ſociisque loquutus eſt:

Ignoſce, Rex, quod in peregrina veſte nos conſpicis. Olim in Gallia tua geniti nihil ejus cultus perdidimus, quem tibi deberi nos à puero obſequentiſſimi parentes docuere, licet ad hos amictus calamitas compulerit. Hauſimus inimicum aërem, Rex! ſed tibi fidi, neque unquam urgentibus malis aliquid nobis

excidit quod ſubditos non deceret. Ego paterfamilias, hanc in conjugem jam ab multis annis accepi; hic filius noſter; hæc nurus eſt; ſobolem in exilium dedit, cum maximé optanda erat ſterilitas, nam inter hoſtes Gallis progeniem creari pudor eſt, & prope patriæ injuria.

Me juvenem, nec ſtudiis omnino ineptum, pater ad ſacerdotium deſtinaverat, tunc cum mihi fratres erant qui ruſticum opus facerent, illisque ſuccederent curis, à quibus me alienum agnoverat: Sed heus! brevi fratrum funera quas hic labor expectabat, mutaverunt ſortem meam; & pater glebas verſare, ac ſerere fruges aſſuetus, ne colonus in domo noſtra deeſſet, invitum damnavit ad ſtivam. Qui me caſus concuterent, quibus ærumnis ſervarer, jam tum advertebat præſaga mens; nam ſolos ſacerdotes videbam ſacrorum ſuorum privilegio immunes à tributis, nec poſſe me defugere quæſtorum ſævitiam, ſi creſcente regiminis ira, ut jam timebatur, aliquid in plebem ſtatueretur acerbius.

Patre mortuo, puſillæ familiæ dominus cum his ruri agebam, non omnino infœlix; modicas enim opes uterq; parens reliquerat, agrum qui neceſſarias ſegetes daret, ovium gregem: neque mihi tunc ullus in divites livor, aut odium, quamdiu laboribus noſtris utcumque frui paſſa eſt hominum illorum acerbitas, qui colligendis vectigalibus præfecti villas obibant, & tuo nomine poſtulabant ea à nobis tribui, quæ in publica, ut ajebant, negotia tuiq; regni præſidium legebantur. Sed non diu conceſſum

ceſſum fuit ita vivere; quodcumque ſudore comparaveram, tanquam furto collectum reddere cogebar, & rebellionis ſcelus erat, ſi non plura etiam in fiſcum conferrem, quàm quæ opum tenuitas, corporis vires, jejunia ipſa dare poterant, aut terra largiri.

Quid tandem? ſublata non ſemel ſupellectile in vacuis focis cogebamur ipſam humum pro ſtrato habere, ubi nox quietem feſſis artubus indixerat: qui, cadente ſole receſſerant ſatellites, per ſomnos, tanquam ſemper inſtarent, non bene ſopitis novos terrores ciebant; dormire ſimul & lugere jam didiceramus omnes; redibant miſeris, cum major ſecuritas erat, ſævientium minæ, armenta rapta, carcerum imagines.

Sic exactis aliquot annis timui ne tot ærumnis imparem ad extrema conſilia deſperatio adigeret: nam plures, ne diutius ita vexarentur, ſua fata properaverant. Et jam, quid enim negem? in animum venerat optimam conjugem, chariſſimos natos; nam præter hunc adhuc mihi unus erat, iſta manu tollere quam in me poſtea armarem, ut tot immanium virorum furoribus petitos unus tandem furor abſolveret. Sed benè mihi, quod in memoriam rediit ærumnoſæ vitæ non mederi ſpontaneum interitum; & pejori ſatellitio in alterâ vita laboraturos, qui hujus impatientiâ citius è viventibus exirent, quàm ſineret Deus. Verùm timeo ne longâ malorum noſtrorum ſerie, O Rex, tædio tibi ſim. Imò, inquit Rex, ad me enim hæc pertinent: tum ille, Ergo, ab ſcelere illo me continui, & in

consilium calamitatis vocatis familiaribus; sic ad illos sum loquutus: Ut nesciam quid vobis potissimum optem, invisa fortuna effecit, ô miseri! exilium, an interitum? utrumque crudele. Galliam deseramus, in cujus sinu nos natura educavit, amicos, lares? Moriamur? sed quo scelere obstricti? nocentium est, sic festinata nece, dum stat adhuc sanitas, claudere vitam. Ita hærente me, alter ex filiis exclamat; quid hic diutius hæremus, Pater? Natale quidem solum est Gallia, sed patriam vocare jam non sinit intolerabilis egestas; sedes mutandæ sunt; amissis omnibus fortunis saltem fuga relicta est, hac utamur; patria erit quæcumque nos terra excipiet; qui rapuerunt cetera, & domum rapiant; auferant agros, & si sæviendi tantus amor est, rabidorum canum more mordeant saxa, cum in homines non poterunt. Annuere omnes cum lachrymis, & ne dies consilium proderet, in noctem fugam distulimus, paratis interim in viaticum sarcinulis, donec humanior fortuna ampliora concederet. Ædibus quod jam inutiles forent, ignem subjicere junior filius volebat, sed prohibui; nam quis scit, inquam, an aliquando non transibit temporum iniquitas; & nos reduces volet benignior providentia?

Ita fugimus, & nescio quo fato, viarum incerti, postquam vagos egit per quatuor menses consilii inopia, tandem venimus in Iberiã; illic per quindecim annos morati, non mutatis certe animis, sumpsimus tamen Regionis illius colorem, vestes; sed quàm non libenter novos hos vultus, amictum hunc Galli patimur, in-

inde ſcias, O Rex! quod ſtatim ac referente famâ didicimus, quàm benè nunc tuis ſubditis eſſet; quàm clementer cum illis ageres, amoto virorum illorum conſilio, qui authores ſævitiæ te adeo terribilem toto regno fecerant, ut ad tuum nomen trepidaret populus, infantes flerent ac fugerent, citò venimus, eam fœlicitatem guſtaturi cum omnibus, quam omnibus dediſti.

Cum hæc dicerentur, variis affectibus divellebatur Rex; ſed ex majeſtate erat, ut illi motus laterent; igitur ne in longiori ſermone nimis laboraret conſtantia, pauciſſimis verbis ſolatus eſt miſeros, juſſitque aliquot aureos dari, quibus illorum inopia ſublevaretur.

In reliquum iter deinde lecticarii ex Regis imperio mulos agunt; at ille, ut uno teſte potuit iraſci ac dolere, liberrimè in illos affectus ſolutus eſt; & primùm quidem nihil loquebatur; ſed minas, quas ferox ardenſque vultus intentabat, miſcebat ſuſpiriis; Tandem detracto pileo, lachrymis madens, ſublatiſque in Cœlum oculis ac manibus, teſtem te volo, inquit, ſumme Deus, populi Regumq; judex, omnia hæc me penitus ignoraviſſe. Ergo Galliam meam ſceleratiſſimi homines, me inſcio, carnificinam effecere, & dum Regem agere putabam, monſtrum crebebar, aut fera quam ſubditi paverent! O miſeram Regum ſortem, quos ex miniſtrorum ſcelere fama æſtimat! tum femur percutiens, & ardentiori acie terribilis, faciam, inquit, ut ſubditi mei noverint, me in latrones hos ſæviorem eſſe, quàm illi in plebem fuerunt; ſi qui puniendi reſtant, cruci

 dabo,

dabo. Sed quas tibi grates persolvam, Deus! quod ista me nosse voluisti, qua nunquam ad me pervenissent, nisi à viatore didicissem? Acerbos animi motus ad ultimum mitigavit lętitia; eam jam esse Galliam, quę humanitatis famâ spontaneos exules revocaret, quos ante sævitia expulerat. Verum prolixè damnatis hirudinibus, ad ea quæ detecto Petiliano postridie Gyges vidit redire jam tempus est.

TURPITUDO RELIGIONE AMICTA.

EXquisitissimo veneno noxios esse serpentes illos, qui ex colorum splendore, ac mixtura formosiores sunt, compertum est; sed luserit in hoc natura; generi nostro certè probrum ingens, illam fraudem apud homines inveniri: Quod tamen fieri sæpissime scimus, ut obscœnissimos mores occulat, tanquam vitiorum cortex aliquis, ostensa ad plebis conspectum, Religio.

Inter eos qui in templo pietatis larvam induerant, matrona erat, quę ipso etiam corporis cultu, ne quis superbiam culpare aut elegantiam posset, mysteria præferebat, * Ab Asia nescio quo casu in Gallias morem hunc irrepsisse referebant, ut nobiles fœminæ amplissimo texto fluentes pallas, historiis quoque exornarent, & hæc Christi resurgentis triumphum, prostratosque ad cœleste lumen milites, acu per varios colores ludente, ita induerat,

* *De simili veste Asterius homili a de divite tom. 2. Biblioth. Patr.*

rat,ut ipse fastus,ac vestium pompa crederetur ad religionem pertinere. Sed quàm ficte pia esset hæc mulier ostendit alia in domo Religio, sacrisque imaginibus imago neutiquam consentiens.

Cupidinis breve signum habebat in cistula, nec quid de abditissimo cultu quispiam mortalium præter unam ancillam noverat; & maritus ipse nescierat, Numen illud apud se coli, nihil aliud in theca suspicatus præter mundum muliebrem, quem ab illo in tesseram amoris, mox futura uxor, olim matrona receperat.

Ad hæc sacra ut accederet quidam libri invitarant, ea arte concinnati, ut nihil in illis noxium latere crederetur. Sermonis venustate præcipui inter cæteros erant,& fictis eventib9, Heroum scilicet periculis, amoribus, fortunæque recedentis, & mox aspirantis vario lusu, ita mulcebant animos, ut ex deliciis innumeros emptores invenirent, ferreturque ineptam esse eam elegantiam, qua severi quidem scriptores, nec aulæ genio imbuti, pietatem ornaverant: credebatque facillimè curiosa simplicitas; & quia plerumque segniter vitam ducebant ingenuæ virgines, ne manuum labor, cujus est apud ignobiles usus, dehonestaret natalia, ad declinandum otium ejusmodi libri tradebantur à matribus, eo sæpe successu, ut intra paucos dies doctissimæ puellæ, illud omne scirent quod ad sacra Cupidinis pertinebat. Qua ratione dandus amor, aut fingendus: qui oculi placatum animum nuntiarent, aut adumbrarent castitatem: quo contemptu, quo gelu magis æstuat amantium ardor; quibus ar-

tibus codicilli in manus veniunt; quæritur apta privatis colloquis solitudo: falluntur matres: quâ denique constantiâ fovetur, etiam inter famæ pericula, parentumque vetita semel conceptus amor, dataque fœdere pessimo fides.

Hæc omnia matrona à venustissimis libris didicerat, frigida primum, & nihil aliud præter Heroum discrimina temporisque gratissimam jacturam cogitans, mox ergà Cupidinem eo affectu prona ut ab quadam anu, quæ venales habebat apud se ejusmodi merces, Numinis signum multa sibi pecuniâ compararet.

Idolum hoc inter confidentissimas literas, virorumq; aliquot expressas ad vivum icones, & vario nexu implicatos cum purpura & auro capillos, multa cura reponebatur: statisque diebus, educto è cistula Cupidini Matrona divinos honores habebat, & tanquam audienti loqueretur, rogabat supplex, ne quid turbaret amantium vota, aut famam inquinaret.

Ista mulieris de amore simul, & de fama solicitudo, videbatur ad illud referri quod Astrologi tradunt, Venerem scil. occidentalem, sub terra in genesi, Murcurio non configuratam, id efficere, ut lateat concepta cupiditas, & ea calliditate inter amantes foveatur mutuus ignis, ut nulla lux probrosi caloris indicium faciat, cum tamen prunarum in modum magis ardeat in umbra, quàm si solem admitteret.

Talia orantem in secretissimo conclavi Matronam subridens audiebat. *Gyges* noster, quòd cum solam se crederet, eos animi motus ingenuè profiteretur, quos palam negare consueverat. Siquidem qui eo sæculo in domo-

rum

rum penetralibus Cupidinem adorabant, non tantum abnuebant in publico, ſed etiam convitiis, quæ hoſtium eſſent, crudeliſſimè inſectabantur. Et mox apud ſe receptæ, conceptis ante ſignum votis quæ pœnitentiam nuntiarent, datoque interdum thure, adumbrati odii diluebant injurias.

Ad majorem cultum non rarò mactabantur inviſæ Cupidini aves, quæ venturam lucem, & quæſitæ noctis ceſſatura mox gaudia inviſo cantu prænunciant, aut quæ familiarium, quos ſopiri maximè intereſt, ſomnos importuna garrulitate diſcutiunt. Nihil horum Matrona ignorabat, ideoque gallum gallinaceum cum hirundine numini ſuo immolare placuerat, quòd amori, qui pudoris adhuc legibus tenetur extrinſecus, æque adverſantur loquacitas, ac lumen.

Quia caſtiſſimus erat Charmion timuit aliquid videre, quod minimè placeret, ſi in illa domo diutiùs moraretur, & jam nox furtis aptiſſima inſtabat, neque ita virum urgebat ſcrutandorum morum curioſitas, ut propterea aut turpia intueri, aut neceſſariam quietem vellet amittere. Diſceſsit igitur, amplam cogitationum materiem animo volvens, mulierem illam, quę ut altius falleret, publicè præferebat pietatem, & ut abditam regebat ſuus Cupido, tam fœdis ſubjacebat amoribus.

Abominauda fraus inſerta vitiis Religio, ut tutius lateant, & ſub caſtitatis imagine eam infamiam devitent, quæ turpitudini bis debita, eidem juſtiſsimè rependitur, ut fructus operis, ac merces.

Sa-

Sapienter olim Christiani Imperatores statuere, ne balneis ubi voluptas solutior, cæterisque locis quę publicis remissionibus destinata erant, Crux adhiberetur: nulla enim cum deliciis salutaris ligni affinitas, & perversè micat in sceleratis ædibus signum illud quod in fastigiis templorum, ut ad memoriam Salvatoris revocetur exul animus, Christiana pietas locare consuevit. Ea lex, quâ prohibebatur indecora rerum sacrarum usurpatio, adeò non vigebat in Galliis, ut ad ipsas triclinii fores, in quo mimicæ artis periti obscœnissimis comœdiis juvenum animos corrumpere, & otiosorum pecunias aucupari consueverant, Christi morientis tristissima historia cerneretur; & hac imaginum fraude sæpè decepti qui ad urbem novi accesserant, crediderant templum esse.

Revertenti à Matronæ ædibus Charmioni ut in suam domum se reciperet, per illam urbis regionem necessarium iter fuerat, quà histrionum aula, ut turpitudinem theatri honestissimè tegeret, religiosas fores ostendebat suis conspicuas imaginibus: quod cùm ille conspexisset, suæ adhuc matronæ iratus, cujus spurcitias tanto pietatis ambitu circumvelatas certissimè noverat: O mulier, ait, quàm benè mendacium istud lapidum tuis moribus adumbras! sed an potius obvia illa saxa religiosa sunt, ut tuam hypocrisin æmulentur? ô falsitatem ubique terrarum diffusam! cui fidam? quid sincerum existimem, si quod sanctum videtur, & ad pietatem me invitat, me decipit? Quis ad signa non hæreat? quis non optet abstru-

ſtruſiora morum patere, ut certum de virtute judicium ferat, & integumenti fraudem devitet, quod ſæpè dum ſimpliciſſima videtur oculis loqui, ludit obtutus?

Sacræ veſtes ad prophanos uſus non ſerviunt, ne Religioni inferatur injuria, & divinorum contemptus in mentes humanas irrepat, ſi quod myſteriis dicatum eſt, ad vulgaria vitæ officia aſſumatur, & in compitis idem omnium cultus ſit, qui in templo ſacerdotis. Quod plurimi fœdiſſimam vitam modeſtiâ oris, caſtitatis titulo obvelant, damnabilius eſt, quàm ſi ad vetita deſcenderet ſacra ſupellex. Sua quidem vitia negant iſti; ſed ut ſuos theſauros avarus, ut fideliùs ſervent, & amotâ ſuſpicione fruantur ſecurius. Sed ô quàm germanæ virtuti noxia eſt illa pietatis larva! quàm late dedecus & ruborem ſpargit in immeritos! Nam mox ut aliquo caſu lapſus eſt qui fronti malè adhærebat adſcititius vultus, apud omnes propè fit opinio, quidquid verè, & ad cæterorum exemplar in optimis fulget, fucum eſſe virtutis.

Hinc pudor illud vitæ ſanctioris genus profiteri, cui nemo fidit quodque ex iniquiſſimo hominum errore putatur, ubicunque fideliſſimum eſt, ex arte procedere. Hinc nefandum illud apud fatuos proverbium; Maximè cavendum à piis, qui iteratâ Religione pluribus quotidie ſacris intereſſe conſueverunt, quaſi cęteros temnerent, qui Numini ſe acceptiſſimos eſſe jactitant, breviori obſequio. Inde pietatis nomen non deſpicitur tantùm à perditæ mentis hominibus, ſed & timetur; & qui claritati ſtudent, famam ſe conſequutos exiſtimant,

mant, si Religiosos quosque ore insectantur, consuetudine fugiunt.

Fulmine te Deus ad inferos adigat spectrum pietatis, si te, ut æquum est, talem æstimari contigerit, qualem ego jam novi; quot matronas, quæ longè ab tuis spurcitiis absunt, & quod fronte significant, agunt animis, tecum coges infamiâ laborare!

Sic olim nascente Ecclesia, bonum nomen suis sceleribus ita deturpabant nostris initiati sacris perditissimi quidam homines, ut à gentilibus putaretur quisquis Christum coleret, calcato pudore omnes admisisse culpas quibus vita inquinatur: cum nefariis Angelis habere quotidianum commercium: delectari homicidiis: omnium deniq: criminum, quæ societati maximè nocent, mereri supplicia, equuleos, crucem, ignes.

Sic Ophitæ, dum serpentem nutriunt, & suorum sacerdotum incantationibus evocatum è spelunca venerantur, ac passis manibus orant, ut orbium vario tactu, ac lambente lingua, Eucharistica sua benedicat, qui hoc didicerant Ethnici, omnibus baptisatis passim exprobrabant venenatas aras, divos serpentes, vitam ut à ratione absonam, ita dignam planè quam cum colubris agerent, sub ipsa terra, tanquam non homines essent, semoti ab humanis; Indeque opinio, anguem Christum, neque sub mitiori forma, quam tamen in Æsculapio damnabant, Christiani, suis apparere cultoribus.

Sic, dum infantem æneis aciculis configere quotannis solent, qui Quintiliani dicti sunt, ut

si-

ſi puer ſuperſtitioſis ictibus intereat, Martyrem habeant; ſi vivat poſt vulnera, Pontificem: barbara illa ſacra cuilibet Catholico objciuntur, quamquam nefandas ceremonias, ſceleſta martyria, ſacerdotes ſuo ſimul cruentatos, ac creatos ſanguine, Eccleſia horreat.

Ita etiam Cajanis negantibus aliquem poſſe ſalvari, qui omnibus ſceleribus non fuiſſet obnoxius; eâ Diſciplinâ effectum eſt, ut Chriſtiani omnes crederentur turpitudine morum ſibi fœlicitatem polliceri: & abominanda quæque agere, ut præmium illud, quod virtus ſperare vix auſſit, ſordidi, immanes, & quotquot latæ ſunt, legum ira digni, certisſimè conſequerentur.

Eadem prorſus eſt hodie bonorum injuria, cum quis ſpecietenùs pietatem profitetur, cujus ſecretò hoſtis eſt. Nam detecto quod aliquandiu latuerat facinore, in ipſam virtutem probrum cadit, & communi cum perditisſimis fortuna ſæpiſſimè involvit innoxios. En dicunt, hic ille eſt, qui ſanctitatis imagine orbem luſit: ceteris fide, quos Religioſa ſigna, prolixior oratio, dimiſſior vultus, ſermo triſtior, compoſita ad modeſtiam veſtis, tanquam quædam pietatis miracula, aliis mortalibus oſtentant. Iſtud vitæ genus, latebra vitiorum eſt, neque certiùs illa quæſiveris, quàm ubi omninò non eſſe fidem facit nimia Religio. Sic inſontes animas plerumque calumnia invehitur, & eorum, qui ſincerè agunt cum Deo, exiſtimationem violat contecta unius nequitia, quam longa calliditate obductam tandem caſus oſtendit.

Illo Gygis ſæculo vix alterum invenies apud hiſtoricos magis ambiguum, minusque ſibi conſentiens; nam ut tunc immanior nequitia erat, ita major omnimodis Templorum Religio, ipſa ſcelerum incrementa (veluti quadam morum antiperiſtaſi, ne viribus impar deficeret) imitante pietate. Solitò ferventior ad ſacras conciones non modo plebs, ſed & nobilium pars maxima ingenti curruũ ſervorumq; ſtrepitu conveniebat. Altaria exquiſitiſſimis picturis, marmore, auro, ſuorumque ſacerdotum non uno fulgore aut pretio nitentibus tunicis, rei divinæ apud populum venerationem auxerant: & in præcipuis templis tanta ex ſerico auroque textili ſupellex, totque cælati argenti ad pendulos ignes, cereoſque fulciendos vaſa fulgebant, ut vix ipſa foret ambitio profuſior, etiam ſi ab ſolâ opum æmulatione inter vanos cives cultus ille procederet.

Pietatem eo tempore florere maximè probabant ſacrarum virginum in ſingulis fere urbibus, nec non in amplioribus pagis collegia; & ex antiquis alveis tot emiſſæ in nova mella, in novam fœturam apes, ut nubis alicujus inſtar, dum ubique volant, & ſuſpenſæ, ferventeſque novas ſedes quęrunt, ſubjecto orbi pene cœlum eriperent.

In villis quidem eas domicilium habere vetuerant majores, quòd puellis intuta hęc loca crederent, ſtatim ac publica quies libidini armorum ceſſit, mileſque graſſatur. Verùm pavores hos, & timidiſſimæ ætatis priſca conſilia temnebat tùm confidentior Deo pietas, nullâque periculorum imagine turbabatur ædifi-

ædificantium virginum labor, ſupraque fidem audax caſtimonia.

Operoſas ubiq; cerneres pertinaci diligentiâ ac ſtudio, lapidibus, lignis, mercenariorum ſegnitiæ ac fraudibus invigilare; diſponere triclinia, cellas; nobiles puellas quærere, ſollicitare, ut ſpreto mortali conjugio in æterni ſponſi familiam, cujus amore teneri utilius erat atque honeſtius, conferrent dotes ſuas. Neque ſuadere res ardua; & facili generoſæ prolis conſilio adeò libenter per omnia parentes annuebant, ut protinus, ne quid illam cogitationem interverteret, ad optatam ſeceſſionem velandas adducerent. Quin & ſæpe illuc invitæ à matribus trahebantur, ut reluctantibus ſalubriter fieret pietatis neceſſitas, illæque ſecluſæ diſcerent quibus ſenſim, leniterque vanitatum contemptus fit odium, tandemque oblivio.

Neque ſegnius Monachi ubique locorum ſibi domos conſtruebant, cumque tanta illorum copia eſſet, ut etiam ſe premerent, & ſubminiſtrandis alimentis laborarent non raro exiliores civitates, nullus tamen propagandi ſtatus finis erat; & libentiſſime populus ferebat onus ſuum, nihil arduum credens, aut à ratione abſonum quod juſſiſſet Religio.

Authores qui de pietate ſcripſerant, innumeri; neq; theologi tantùm in eam rem tempus impendebant & operam, aliquem venuſte ſcribere poſſe, ſatis erat ut ad divina conferret calamum, ſi aulicæ voluptatis ad modicum tempus pertæſus, cœlum utcumq; reſpexerat.

Amplior quàm antea clerus; & illus dignitatis tanta apud Gallos reverentia, ut Rex ipſe geren-

gerendis civilibus negotiis, armisque regendis illos, qui Numini ex sua consecratione propiores erant, plerumque præficeret. His omnibus consentiebat non fucata Reginæ pietas, & in meliora quæque adeò prona indoles, ut decipi non posset nisi imagine virtutis. Eo divinorum cultu famam sibi pietati nomen fecerant principes, ut jam non pudenda haberetur; sed honestissimi cujusque studio digna, ac promerendæ gratiæ apud Majestatem via quoque securior.

Verùm quod omnibus maxime prodesse debuerat Regiæ pietatis exemplum, hoc in plerisque tantùm efficiebat, ut sordidos mores majori calliditate contegerent; nam multis licet haud adulterina diceretur inesse probitas, illorum tamen amplior numerus erat, qui insincerè agebant, & ex sacris etiam viris sæpè repertus est, qui nihil Religionis haberet præter vultum & tunicam; Nam ista publicè deponi fortunæ periculum erat, earumq; dignitatum mora, quas accelerare poterat sub Principum oculis simulata integritas. Hac fraude plurimi optimum Regem luserunt, & ad breve tempus jussa in speciem virtus, illos gradus, illa bona non ægrè obtinuit, quæ diuturnum immeritis fœlicitatem effecere.

Præstigiatores tamen viros superabat mulierum in fingendis moribus versutia; & hæc quoque de arcanis quarumdam ritibus, quæ inter optimas censebantur, detexit secretus ipse & omnia lustrans Gyges.

Mysticis vestibus, ut prior illa, spectabiles erant, quoties vel in templo conspiciendæ, vel ami-

amicas inviſuræ per urbem procederent. Redeuntibus in domum comitem ſe dederat Gyges, ut quid apud ſe liberè agerent, certò ſciret.

Modicum quietis ſumpſerant, cum detractis pictis veſtibus, lugubres pallas induunt, vultuſque ad mœſtitiam figuravere. Intereà tedæ funebres in proximam cellam inferebantur, & voces ſenſim flectebantur in gemitus, ut jam intelligeret Charmion, quidquid illic ageretur, ad planctum pertinere.

In cellam deinde receptus cum fœminis, tabulam videt quæ adoleſcentem egregium referebat, ſed multo perfuſum ſanguine, & interfientis mulieris triſtiſſimos amplexus animam dantem. Circum, denſæ arbores ſylvam expreſſerant, & ſpumantis apri fugam ita jam videbantur excipere, ut fruſtrà venator currentem feram per tot umbras ſequeretur. Facilè agnovit Charmion interfectum à beſtiâ Adonidem, dum in Idalio nemore venatur, eâ picturâ deſignari, & Venerem eſſe, quæ morienti amaſio, cum diutius vivere infœliciſſimum juvenem fata vetarent, dabat oſcula.

Menſis erat September, ideoque Charmion primò non credidit (licet aliqua jam ſuboriretur ſuſpicio) mulieres illas celebraturas Adonia; nam Iulius more veteri fletibus illis debebatur, qui deæ lugentis anniverſariâ feſtivitate querelas adumbrabant; ſed jam ad ceremonias illas, ubi receptæ eſſent tempus omne credebatur aptiſſimum. Ergo tanquam recens aliquod funus incitaret ad gemitus, omnes ſimul confuſos ejulatus edidere. Mox in ſuaviorem planctum componitur muliebris dolor,

& in

& in laudem Veneris recitati ſunt aliquot verſus, qui Amathuntiam vocabant, Paphiam, Cithercam, Dearum omnium formoſiſſimam, amoris parentem; rurſusque in acerbiora ſuſpiria provolutæ, miſeram dicebant, omnique luctu proſequendam, quòd delicias ſuas, ſua baſia, Adonidem amiſiſſet. Ter repetitis verſibus ter luctu reſumpto ſacrum illud peractum eſt.

Egreſſus deinde cum cæteris Gyges, ſtupuit ad ſanctiſſimæ virginis ſignum, quod in ipſo triclinii aditu, ut videretur ab omnibus, callidæ mulieres poſuerant. Imagini multa in ſpeciem reverentia habebatur: ut quælibet ferebat tempeſtas, accipiebat flores, ſerta; & ubi ſævitiâ ſuâ hyems ejusmodi ornatus damnaverat, alios flores ars ęmula naturę ſubſtituebat, ipſi ſtirpium honori vix ceſſuros coloribus. Ad redeuntium feſtivitatum lætitiam, quæ vario cultu celebrabantur ab Eccleſiâ, varii quoque imagini dabantur amictus, & Religionem cumulabat lampas accenſa, odorato etiam nutrimento ſuaviter ſpirans, nunquamq; deficiens.

Fallax pietatis ſpectaculum horrens Gyges, ſalutavit tamen Deiparam & hanc illi orationem habuit: O quàm tibi hic male eſt, virgo! ſic tibi redditur obſequium, ſic honos? quid ſceleſtius olim in Agrippam Cęſarienſes, cum filiarum illius ſtatuas, detractas palatio (ut eo quo poterant modo, quemque vel meminiſſe turpe ſit, illuderent) traxerunt ad lupanar?

Cogitabat deinde admirans, ſanctiſſimæ Virginis in illa imagine patientiam, Haud paſ-

ſæ

ſæ, ſunt, inquiebat, cineribus ſuis labem inferri quinque illæ virgines, quarum reliquias Trajanus in æs liquatum demitti juſſerat, ut ad Chriſtianæ pudicitiæ inſultationem, ex illo metallo, quod ſacra corpora acceperat, vaſa quædam in balneorum turpiſſimos uſus fierent. Quotquot calidam ingreſſi urceos illos contrectarunt, aut correpti vertigine, cecidere illicò, aut furentes, & inſanis motibus acti, ſuo fremitu, ſuis clamoribus totas thermas replevere. Quin & ultrices puellas expavit Trajanus ipſe, factique non multò poſt pœnitens, publicè ponendas ſub illarum nomine totidem ſtatuas ex eodem ære conflari imperavit, quibus placaretur Deus, isque honos virginibus reſtitueretur, quem gentilis furor inviderat extinctæ caſtitati.

Tùm ad Virginem Gyges: Sic illæ curaverint, inquit, cinerum ſuorum reverentiam, ſic infamiæ, quam ſentire poſt funera haud poterant, vindices fuerint: & tu, virginum Regina! inter ſcorta patieris conſpici imaginem tuam, quaſi ſub tua tutela peccent, qui te nolentem, te quoque iratam hîc poſuere, & matri ſimul ac gnato illudunt falſiſſimis honoribus?

ÆDES PUDICITIÆ.

PErierat apud Charmionem mulierum opinio, niſi alibi meliora conſpexiſſet. Dolebat maximè pietatem quaſi lenonis officio fungi

fungi dum turpissimis moribus velum obducit, Christoque qui publicis honoribus colitur, in secretioribus aditis præferri libidinem.

Sed mœstum postridiè refecit alterius Matronæ virtus, & in veste quam tot mysteria non pingebant, pulcherrimæ vitæ honestas nubiles duas filias habebat, formâ cęterisque naturæ dotibus insignes; pietas tamen illarum vultu notior; nam latere amabant, & ex matris disciplina fugiebant virorum colloquia, aspectus & maximè laudes:quippè in virginum animos, ni caveant, accessum habent facillimum, & pestifera dulcedine incautos affectus ita inclinant, ut placeat primum qui laudavit, mox in animo hęreat, & hoc exordio amor ille insinuetur, quem longè amovet severus, neque sibi nimiùm fidens pudor.

Omnia illis in ædibus ad modestiam culta: Omnia casta; nec fallendis horis ullus liber inveniebatur qui viam pręiret ad futuras cupiditates, & ipsa virorum familiaritate esset aliquo modo nocentior: nam & libri loquuntur, taceant licet, nihilque ad perdendos juventutis mores perniciosius est, quàm in vitæ consortium ejusmodi mutos loquaces admisisse.

Apud matronam præter pios scriptores alii quoque erant, qui ex argumenti honestate, & amœnitate placerent: & tum, illa jubente, una ex puellis legebat, quod de Spartanarum mulierum pudicitia historici referunt. Cibus illarum qui mortem arceret, non qui ministraret delicias: Animus virtutum earum amans quę haberi absque labore nequeunt:
eoque

eoque in pretio caſtitas, ut etiam arte ſtuderent eos ignes ſopire, qui ad venerem provocant. Quibus herbis obſtupeſcat ſtimulus ille, didicerant à ſuis matribus virgines, illæque poſteà, ubi filias ad virtutis capeſſenda præcepta ætas promoverat, prolem docebant, quomodo non læsâ naturâ, auxilia virtutis in ſe admitterent, & ita ſervaretur neceſſarius calor, ut coctis epulis nihil ſupereſſet ad libidinem.

Hæc exempla puellis matrona ex libro proponebat, non ut & ipſæ ejuſmodi radices quærerent, quæ forte apud nos non ſunt; ſed ut oſtenderet curam pudoris numquam eſſe nimiam, eamque virtutem debere ingenio comparari, ſi naturâ non inſit.

Deinde ajebat quibuſcumque ſuccis ad ſervandam caſtitatem validiora eſſe, modeſtiam oris, atque veſtium: ſociarum delectum: opus quoque, quo virginum manus ab otio abducerentur: quippe oris ac veſtium verecundiam internos animi motus ſignificare, raròque viros ad cupiditatem, aut ſpem incitari, niſi in vultu aut ornatu invitamenta libidinis advertant: & ex carne, quæ aut nuda conſpici geſtit, aut ita tegi, ut ſub tenuiſſimo velo formoſior appareat, exiſtiment mercem illam omninò venalem eſſe, quæ ita proponitur.

Nemo certè, addebat illa, in pudicitiam audet, ſi ſuprà conatus viriles ſua ſe majeſtate erigit, ſicut illę ſe facilè tutantur arces, quæ murorum altiudine hoſtes terrent, & locorum ſitu audaciſſimo cuique deſperationem faciunt: ſecura propemodum eſt caſtitas quam ex re-

verentia ac timore nullus oppugnat: Qui sępè ac armis peti vult, etiamsi aliquando vincat, temeritatis tamen suæ justissimum præmium tandem accipit, vulnus, aut mortem. Superari virgo timet? hostes non advocet blanditiis oris, nimiâ comitate, vestium mollitie ac luxu; inveniet namque qui obtineat, si tot prælia placeant.

Plures triumphos metit horæ unius acerbitas: non si olim viceris, sed si cecideris; fama quærit. Quæ admissa turpitudine restat flagitii imago, marmorea est, multùm durat; honoris non item, fictilem dicas, modicâ enim injuriâ solvitur, quidquid cadit in illam, aut frangit, aut diluit.

Sed frustra modestissimæ erimus, & in simplici veste virtutem, quam revereantur viri, præferemus, si ad nos liberiores fœminæ accessum habeant; cito enim candidissimos mores inficit aliena pravitas, initiumque morbi est, ægra sanis miscere. Ergò frigidioribus verbis vultuque ad tædium composito amoveantur illę, si aliter arceri nequeunt; negatisque quæ aliàs deberentur, visitationum officiis, sciant ejusmodi colloquia haud nobis placere, & ita distrahantur, quæ morum similitudine & nominis fama non conveniunt.

Illud prætereà monebat, quamvis clarissima stirpe editas, non tamen ad spectaculum natas esse. Et vos aliquid agere honestissimum est, inquiebat; neque enim illæ imitandæ sunt, quarum otiosæ manus nihil præter suas chirothecas novere. Statuas esse mulieres illas non ineptè quis dicat: magno enim labore compo-

nun-

nuntur: suos artifices ditant; placent oculis; & cum in familiis præcipuum locum obtineant ad nullos tamen usus serviunt. Flores videtis quibus lecti hujus plagulæ, & sedilia ornantur; Ego ipsa unà cum ancillis texui, ne alieno labori deberem meæ domus delicias, & summa mihi voluptas est posse meminisse, cui rei meum tempus impenderim.

Multos etiam in templum contuli ornatus, & fidentius cum Deo agere mihi videor cum aliquid meorum operum circà Numinis aram audaciam fecit ea petendi, quæ Deus negare non consuevit illis, qui priores dedere. Religionis pars est, ista mulierum in rem sacram diligentia; & illa maximè probatur quę se inverecundè ornari putat, nisi sit altari pauperior. Fortunę nostre probrum est, aurata matrona, Deus egens; ipso cultu agnoscatur quid differat à suis adoratoribus Numen, neque plebs aliquid in nobis lubentiùs, quàm in templo suspiciat.

Actuosas tamen esse non sufficit, ut inter manuum opera pudicitia servetur, quam otio perire tot exemplis didicimus. Ut constantiùs in eo pudoris proposito maneatis: pensate, quàm indecenter inter viros puella versetur, totosque dies insumat in his colloquiis, quæ brevius, certè placerent, nisi sexum magis quàm personas quæreret. Neque putetis sponsum in ea virorum frequentia facilius inveniri; solitarias mariti, si sapiunt, amant; illasque virgines prę cæteris integerrimas credunt, quæ suum vix egressæ limen, & sub matris umbra crescentes, nihil unquam egere quod vel su-

ſpicioſus timeat. Nullum invenire virum illa meretur, quæ tot viris tam ſæpe, tam prolixè loquuta, quaſi non ſat citò & ad vota nuptiæ procederent, maturè abjecit ſui ſexus verecundiam.

Sed & illud ad germanam virtutem requiritur: magis illam in pectore habete, quam in vultu, aut oculis: plus pietatis lateat, quàm appareat: nolo vos totam Religionem circumferre in veſtibus: plurima vitia ſæpè iſtæ imagines celant, quarum jam uſus frequentiſſimus eſt apud fœminas nobiles. Myſteria cogitate, non producite: iſte apparatus nimius eſt, ut ſincerus credatur: numquam melius feceritis quàm ſi naturam imitemini: prius illi de internis, quę vitam animali tribuunt, quam de cute, aut de pilis cura eſt: modeſtia ſit in inceſſu & in veſte: ſed quæ ab animo in exteriora iſta effluxerit. Neminem decipite, caſtitatis ſigna in vitiis quoque computantur, ſi ſola ſunt.

In exemplum proponebat quoque ſuis virginibus mulier nobilem plantam, novum Gallis oſtentum, & philoſophicæ concertationis ampliſſimam materiam, quam ex ſuæ naturæ genio pudicam appellabant. Exigua erat, licet ad nativam dignitatem multâ ſatoris curâ provocaretur, ut ex ipsa brevitate exteram ſcires, quæ non ſponte in ignoto ſolo erumperet: ubi amicam humum notaſque ſtellas nacta erat. Mirum opus inter ſtirpes & animantia medium, ne à mere vegetantibus, ad ſenſiles formas, inſipienter & ſaltu quodam videretur natura procedere. Ad cujuſcunque corporis levem

levem contactum horrebat planta, & subito motu, complicatisque foliis cadens, tanquam accepto dedecore pudorem præferebat: sic per breve tempus dejecta, sensim recuperatâ vi erigebat ramusculos, explicabatque folia lætior, donec tot circumstantium experimentis ita lassaretur, ut ad plures horas, prolixâ mœroris imagine, omninò deficeret.

Pudicitiæ documenta etiam à plantis habemus, ajebat mulier: suo certè candore lilia castitatem adumbrant, sed non verecundè satis! nam contrectari sustinent: herba hæc, quam sensu præditam fateri necesse est, omninò castior, cætera corpora refugit, contactus reformidat.

Mirabatur Charmion matronam, tanquam ex pudicitiæ throno, honestatis leges dantem: sed adventans ex vicinis aliquis, sapientissimos sermones ad alia deflexit, fectique invito abeundi consilium, ut ad alios pergeret quos videre eo die cupiebat.

NATURÆ APOTHEOSIS.

NOn longè à castissimæ matronæ domo alia erat, in qua multiplicis status aliquot viri modum quęrebant (ut olim Julianus ille apostata) quo suum baptismum abluerent; pudebat enim suscepisse; & cum in salutis authorem multa convitia rabido ore protulissent, ante quoddam simulachrum omnes unà

procubuere. Naturam referre videbatur, redimito aliquot syderibus vertice, in quadratâ basi positam, ut scires immobili lege gubernari universa, & quidquid sub cœlo nascitur, in quatuor resolvi. Cœterum plurimæ ad pectus mammæ tumebant, nec multùm distabat à Rumiâ Deâ, quæ pueris lactentibus olim apud gentiles præsidere credebatur, & copiosissimo lacte, tanquam omnium viventium nutrix, quidquid in vitam genitum est, invitabat ad ubera.

Hæc omnia indignabundus Charmion intuebatur, & parum abfuit, quin ex ira & dolore significaret se adesse: sed tutiori consilio aptatum digito annulum non exuit, ne deprehensus audaciæ pœnas lueret, qui in alienas ædes non visus irruerat. In ea deinde, qua tumebat, mentis acerbitate, notavit non paucos ex eis qui sapientiæ fama clari sunt, in eam impietatem delapsos, ut nihil ipsâ divinius crederent. O perversitatem nostræ ætatis! ajebat ille apud se, sic ergo sub Christiano nomine bacchanalia ante aras ipsas agimus, cum in templo tot larvæ vultus tegant! Ab cultu extero deinceps quis homines noscat, publicisque officiis? quanta latent, quæ si in lucem veniant, non lex, non principum potestas, non denique plebis iratæ furor, satis unquam vindicabit! Hi qui ad populi conspectum sapere videntur, statim ac nihil à testibus metuunt, immaniter loquuntur de Deo, tollunt omne quod fide novimus, neque in rerum natura, quæ opus Dei est, & ad nostros sensus pervenit, aliquid agnoscunt præter ipsam.

ipſam. Hęc ultrà agi non patiar, venenum ſiſtam, Magiſtratum vocabo. Et in teterrimos hoſtes citò irruendum: nam quantum à defectione mora diſtat? & quid mihi dedebit Gallia, ſi malum ſciens negligam, illorum torporem imitatus, qui cum poſſint hoſtiles impetus frangere, ſpectant ſolùm, putantque ſe calamitatibus publicis ſatis ſuccurriſſe, ſi defleant.

In eo concitatæ mentis æſtu egreditur, detractoque annulo, in cujusdam domum ſe contulit, à quo conſilium ſumere in tanto negotio cupiebat; & mox ut occurrentem amicum conſpexit; perimus, inquit, Hyppolite (ſic ille vocabatur) ni ſuccurrat magnum aliquod è cœlo, nec vulgare auxilium, brevi proſcribetur Chriſtus: novâ prorſus Apotheoſi, cultores, aras, natura habet: thus illi adoletur: eoſque experitur hoſtes noſtra Religio, qui in ejus ſacramenta juravere.

Narravit deinde quid ageretur, & cenſente amico in illam impietatem ſcriptis ac diſputatione agendum; argumenta in iſtos profutura, inquit, à ſolo Magiſtratu expectaveris: neque enim in illos ratione pugnandum, cum & non audiant, ſed legibus. Nulla ægritudo ſanatur à medico, niſi prius medicum admittat: iſti manum tuam non ferent: placet morbus: quid in obſtinatos remedia perdas & operam: ſapientum oracula pro me, conſenſum orbis, tot ætatum in uno cultu conſtantiam, contemnent: ede miracula, dubitabunt an videant, aut ad magam naturam referent, quodcumque Deus homine miniſtro egerit

in fidei noſtræ probationem : Quomodo tibi credent, qui animi pertinacia ſtatuerunt nec ſibi credere, ſi vel mortui reſurgant, & laxatis inferis aliquis damnatorum in orbem veniat, teſtaturus quis æternæ Dei iræ ignis ſerviat; quæ deſperatorum, ubi clementia defecit, rabies; quàm vera ſunt quæ credimus.

Illos licet acerrimâ concertatione ad ſilentium cogas, obſtinati ſemper diſcedent, interdumque cautiores, ut cum in eruditos inciderint, ſimulent ſe nihil alienum à Religione credere, & ab infœlici diſceptatione abſtineant. Triumphum tuum macerabit mixtus dolor; ita enim hoſtes ſuperabis, ut tamen ſtent, & ad dolos convertantur, ubi videbunt quos fugere debeant, aut quibus inſultare. Quando ſe impares agnoverint, ad inimica vexilla palam non dubitabunt accedere, carminis illius memores,

Mutemus clypeos, Danaumque inſignia nobis
Aptemus.

ſed ſtatim ut commodum erit, iterum ſument ſua ſcuta, ſuos enſes, quos ſtolidis, ſuæque etiam conſciis ineptiæ, timor abſtulerat. Cum ergo ex ſcriptis, aut ex vivâ etiam diſputatione, nulla penè ſperanda ſit utilitas, ſatius erit meo judicio, ô Hyppolite! ſi Magiſtratus in Theologorum ſuccedant officium, & juris argumentis ſceleſtiſſima ora obſtruant, quibus nos ſilentium imponere haud poterimus.

Non ea Hyppolito mens erat, ſed ut ſuam ſententiam in Charmionis animum facilius inſinuaret, primùm ſimulavit ſe ea omnino pro-

probare, quæ putaſſet meliora. Nam ubi nihil proficit ratio, inquit, utiliter in illius ſubſidium pœna venit; & in iſto quoque negocio, ſæpiſſimè initium ſapientiæ, timor.

Quantæ urbes, quæ ſupremæ poteſtati colla ſubjecere, ab illa adhuc non obſcurè deſciſcerent, niſi vehementiſſimos, ſed & ultimos Regum oratores, tormenta ſcilicet bellica Rex promoveri juſſiſſet, quæ terrore late diffuſo, jus principum ita intonarent, ut tamdiu ſurda rebellio audire cogeretur? Ad hoc tonitruum ceſſat fatalis ille ſopor, quo totæ aliquando urbes ſepultæ ſunt; ſanitas redit: nam ſicut ingenti motu, ipsâque Cœli irâ non rarò purgatur peſtilens aër; ita morboſę civitati ſæpè regia tempeſtas non ingens ſolummodò remedium eſt, ſed etiam unicum; & ubi agitur de obſequio, quod longa non extorſit humanitas; peccat quietus princeps. Et virgas in cœlo agnoſcit philoſophus, quæ excuſsâ nubibus aquâ contumacem humum feriunt: neque inutilis injuriâ; ita enim fit, ut credita ſementis ſiccitate non pereat, & tandem poſt eluſas ſpes, fruſtratumque ſæpius laborem, tardior terra cultorem ſuum placet.

Si ſponte non ſapit populus, cogendus eſt. Hoc politica ratio docet, hoc pietas Chriſtiana; nam & invitis prodeſſe jubemur, ſi poſſumus, & urgere beneficium, atque etiam intrudere, quod furioſa, vel ſuperba manus non vult. Conſilium ergo tuum amplector, mi Charmion, ad conficiendam impietatem magiſtratum vocemus; gladium portat, neque ſine cauſâ datus eſt; ut fulſerit ille enſis monſtrum

pavebit, delitescet, nec nocebit ultrà virus; quo jam tot mortales periere.

Sed an volet magistratus, O Charmion? putas divinum amorem daturum stimulos; ut hanc pestem insectetur? In latrones certè, in sicarios vehemens est; sed timeo, ne tot minis tot suppliciis in minora scelera sævientem, statim ut de grandiori piaculo agetur, aliqua cõsideratio molliat: nam plerumque adverti, judices segniores esse cum decalogus jubet, quam cum tabulæ civiles illorum operam postulant; & ingentius malum æstimari, si civium periclitetur, si pecunia, si quies, quàm si pietas, ipsiusque Numinis reverentia.

Modici furti sit reus aliquis, crucem non effugiet, si in illorum manus incidat; nam conscientia non sinit, ajunt, illum suppliciis eximi, legemque calcari, quâ statuitur, ut qui vitâ noxius est, sua morte utilis sit. Infœliciter magis, quam sceleste fuderit sanguinem alius, iratos sentiet judices, neque casus misericordiam eliciet; tota licet affinitas illorum genibus advoluta, gemebunda, supplex oret, ut quod fortunæ noxa fuit, homini condonetur. Et laudanda profectò severitas; nam quo fræno coerceantur vitia, si terror absit: si nutriat audaciam indulgentia? Sed ô blandum tribunal, ô humanum quoties de castiganda impietate agitur! nam ubi, aut quando sumus lætati eam publicè exagitari, & puniri pro merito.

Vnum vidimus qui cum ob impios, & tota jam Gallia notos sermones in carcerem conjectus

jectus fuisset, suis versiculis, & amicorum, quorum ingens numerus erat, patrocinio, adeò potestatem flexit, ut non multò post liber evaderet: & ubi non sera Numinis vindicta illum periisse nuntiatum est, doluit Christianus orbis, quòd expiranti datus esset pro patibulo lectus; quòd morbus, quo vel justiores cadunt lictoris officium occuparat. O indigna humanitas, etiam quietè apud nos portenta moriuntur! & qui pietatem, qui sacra, qui Deum deridet, amicis legibus fruitur, non terretur iratis!

Nihil ad hæc Charmion; sed videbantur erubescere, quod adeò simpliciter de Magistratu cogitaverat, ut putaret, statim ac rogaretur, in impios ausurum. Non venerat in mentem majores dignitates in tot negotia extendi, ut circa civilia occupatis vix supersit aliquod tēpus, quod in curam Religionis impendant. In illo tumultu nunquam ferè audiri violatæ pietatis querelas, aut ita promitti opem, ut vel semper protrahatur, vel memoria excidat, vel tandem ex timida sapientia privatisque consiliis, concludatur, illud haud fieri posse, quod à Magistratu Christiano sperari æquum erat, fecissetque, si agentem pro Christo, ille ipse qui in civilibus negotiis, & maximè in re domestica nunquam deest, ardor impelleret,

Tibi mirum, ô Charmion! inquiebat Hyppolitus, quod hodie didicisti; sed nostros ignorare judices putas? illos certè hæc scelera non latent; sed quia ex timore, aut divinæ rei contemptu delator deest, qui potestatem ad officium provocet secura vivit & indies ita auge

tur impietas, ut jure oculati timeant, ne tum remedia quęrantur, cum ex mali vetuſtate illorum omninò uſus perierit.

Si per domos paſſim diceretur (quod avertat Deus) Regem non legitimè imperare, ſtolidos eſſe qui ei obſequuntur, civeſque ex prudentia facturos, ſi jugum excutiant; nullus ne judex in eam audaciam quæreret, nullæ leges ſævirent, ut juſtiſſima & tot annos firmata ſtaret authoritas, quæ ita à nefariis hominibus, in privatis colloquiis oppugnaretur? quanti ſatellites per familias irent, ut convocatis undique teſtibus, ſcelus illud pateret, & rebelles traherentur ad tribunal? Sed quia non de corona cujuſdam mortalis agitur, ſed de Dei imperio, quaſi Magiſtratuum nullus Chriſtum verè Regem crederet, nulloque ſacramento teneretur ad tantæ Majeſtatis reverentiam, libera voce impietas quodcumque vult profert; ad nefaria arma provocat quoſcumque ſubegerat Chriſtus, judices norunt, & tacent.

Subſtitutis certè judicibus parci æquum eſt; ab inferiore enim Magiſtratu illud auxilium expectari, quod altior non contulit poteſtas, omninò ridiculum. Rotę illę exiliores à grandioribus mutuantur ſuos motus, & tota quieſcit machina, niſi illud quod primum eſt properaverit. Sed ſi huic excelſiſſimo tribunali, inquies, libelli ſupplices darentur, ut periclitanti fidei præſto eſſet ſeveriſsimis legibus? Alia ſunt quæ plus urgent, Charmion; zelus tamen tuus laudabitur, diceturque te optimum virum qui Chriſti cauſam ſuſcepiſti, verùm imprudentem, qui non habita tempo-

rum aut perſonarum ratione, crediſti ea poſſe perfici, quæ incauto, & remoto à negotiis otioſa ſolitudo ſuggeſſerat.

Quid agendum ergò, inquit Charmion? non ceſſemus, retulit alter, ut ſe obtulerit occaſio, eam impietatem inſectari; proderit oſtendiſſe quàm fatui ſint iſti nebulones; proderit, non tacere, quoties aliquis loqui coget, qui ex noſtro ſilentio redderetur inſolentior, poſſetque gloriari nihil nos habuiſſe, quo oppugnata Religio ſuas injurias propulſaret. Sapientia tùm, argumentorum vis, ænea frons, franget ex parte hoſtium audaciam; & cæterorum qui de Deo rectè ſentiunt, ingens ſolamen erit ea pugnacis fidei victoria. Sed interim Numen quoque orandum, ut aliquo ſtimulo pungat ſopitam poteſtatem: nam ſi voluerit illa, citò non dolebimus, tot inter nos Chriſtianæ Religionis hoſtes ea loqui libertate, quæ fortioribus ingeniis iram creat, cæteris periculum.

TIMIDÆ HÆRESEOS STRATEGEMATA.

EQuus ille ligneus quem Minervæ ſacrum putavit Trojana plebs, ſagaciſſimo Laocoonti perfidiæ deliteſcentis ſuſpicionem fecit: Cave machinam: quod Deo videtur offerri, ſæpè fraus eſt, non votum. In urbe media domus erat pietatis titulo nobilis, ad quam cum ſolito

folito more fecretus acceffiffet Charmion, ea vidit, quæ nemo à probis hominibus expectaret.

Duodecim viri pallidi oris virtutemque miro modo adumbrantis, Tiaram triplici corona micantem conabantur fuis infignibus fpoliare, ut in humiliorem formam componerent, aiebant enim, decus illud non ferendum quo fulgebat præ cæteris: fed fente id opus exequebantur; nam & coronæ multùm texto adhærebant & Tiaram fapienti manu denudare magis placebat; quam fi violenter, aut inconfultè ornamenta convellerent.

Dum prolixo labori incumbunt, varius illis fermo erat. Neminem fuæ voluntatis dominio frui; & ineptè in cupiditates noxias rationem infurgere: publicas etiam leges irafci, cum facinorofis, defectu cœleftis auxilii, fua fcelera præfixa fint, uti & virtutes aliis, quos ad falutem fuâ manu Deus adigit; ut quemadmodum infernus, ita & beatorum fedes non nifi mancipiis repleatur, & difparis naturæ vincula totum generis humani negotium confumment.

Addebant, Romanum oruculum inane prorfus effe, & fine Numinis afflatu, timidifque ambagibus adeo obfcurum, ut non pecces, fi contemnas. Organum fapientiæ haud recte dici Ecclefiæ caput; quod fupremum eft à fubjectis partibus, licet ipfa reclamet natura, officia fua neceffario debere mutuari; Neque de Petro homine loquutum fuiffe Dominum, cum de inconcuffa veritate promitteret; fed de Petro hominibus; & fub fingularis perfone

ſonæ nomine aliquem cœtum intellexiſſe; ergo quoaduſque convocaretur ille cœtus (quod ardui negotii res eſt) liberum eſſe unicuique ſentire quod vellet: interim inſtrueretur plebs, dogma firmaretur, quod nullæ manus poſſint convellere, ubi altis radicibus, & annoſo trunco ſemel in injurias comparatum ſurrexit: Vaticana fulmina terrorem inferre, non ictum; cavendumque præcipue, ne vano ſplendore concuterentur Chriſtiani, qui ad tales minas formidare conſueverunt.

Adeò abſurdus erat tot audaciſſimorum ſermonum interpres Charmion, ut adhuc ambigeret, an inter Catholicos verſaretur; ſed inſpecta tabula dubitationem ſolvit. Valcini cujuſdam effigies erat (nam vultum hominis ex aliquot picturis noverat) quam ſub alterâ Hypponenſis Antiſtitis imagine eâ arte poſuerant, ut cum vellent omnino lateret; & illum quoque decepiſſet ſubtilitas; ſed ex vetuſtate fractus funis ex quo ſanctior imago pendebat, totum Valcinum protulit, ut miraretur tam cito integerrimæ fidei doctori tale monſtrum ſubſtitui. Cur ex adverſo Ipram urbem ſibi pingi curaverant, addito titulo, Nova Tagaſta, ſcire non potuit: neque enim videbat qua verè ratione Africanum nomen illi urbi conveniret. Et hi ſunt, ajebat ille, quos ex modeſtia ſuprà cæteros in templo ſuſpexeram: iſti, iſti ſunt vultus qui ſuaviſsimo oculorum motu, datiſque interdum in aurem ſuſpiriis, alios ad pietatem invitabant!

Qui apertè plurimùm inter ſe diſtant fluvii,

ſæpè per ſecretos meatus nectuntur, & longo aquarum fœdere ita ſub terris conſentiunt, ut cùm diverſis in locis erupere, eundem tamen guſtum ſervent, eoſdemque piſces alant. Non aliter profectò iſti qui Catholicorum more Valcinum odiſſe videntur, cum eo cenſent; ita enim hominem declinant, ut in fuga nexus maneat; imaginem celant quidem, ſed ſenſus adorant, & ubi ſoli ſunt, teterrimo viro cultum adhibent, abjectâ, tunc cum licet, Hipponenſi pietate.

Cum hęc ille cogitaret, adſtantium unus librum protulit. Valcini ipſius opus erat ita de humanâ libertate agentis, ut omnino tolleret. Authoris ſententiam cùm omnes ęquali ardore amplecterentur, cautior ex illis monuit abſtinendum à verbis, quę conſenſum proderent: tutiori viâ eundum quàm quæ Valcini ultimo ſæculo fuerat, doctiſſimi quidem viri, ſed imprudentis, qui ſuam ſententiam ſincerè nimis, & veluti quoddam Religionis obſonium, famelicis mentibus ſine ſale protulerat. Sibi ſolitum de libertate blandiri humanum genus, non adduci ut patiatur eripi ſibi quod chariſſimum habet, putatque id propè ſolùm in homine reſtare, quo à brutis diſtinguatur.

Meminiſſent tyrannos ideò in odium veniſſe quod nimis acriter publicæ libertati bellum indixiſſent, cujus eſt etiam apud ſtolidos amor; nec minimum periculum fore, ſi appareat theologos catenas orbi indidiſſe, ut nihil deinceps velle queat, aut agere, niſi quod velle & agere omnino neceſſe ſit. Deinde ſi apertè fatemini, addebat ille, non lenita verbis ſua-
vio-

vioribus jactura libertatis alienos habebitis ipſos judices, quos fruſtrà ſedere, & injuſtè etiam regia pecunia aliiſque in operæ præmium ſubſidiis ali conſtabit, ſi fruſtrà conditæ ſunt leges, nec libertas ſuperſit ad ea declinanda quę vitari præcepta ſunt.

Etiam Regum cauſa eſt opinio noſtra; petent enim utrum inutilis authoritas, quæ tantâ majeſtate fulget; annon coërcere ſubditos poſſit ſi inſoleſcant, tegere bonos cum à malis injuria imminet, dignitates tollere, largiri, noxios amovere ab aula, aut ex merito promovere gratioſos? nam ſi nec ipſe Rex liber eſt, quid regno confert iſta dignitas, quæ neceſſitate omnia agens, in ſubditos quoſque, quos ſapientia regi maximè oportet, arbitrium amiſit? fidenter inter nos loquamur, ex noſtra ſententia principum poteſtas ruit, Majeſtas nomen eſt; neque enim illis datur ſupremum velle, aut ſubditis ea facultas, quæ requiritur ad obſequium: & cum omnes omninò mortales adigantur ad id quod videntur eligere, hoc tantùm ſupra cæteros Rex habet; quòd primum in Regno mancipium, nobilioribus quoque ornamentis obvelat ſortem ſuam. Sed hęc apud nos ſervanda ſunt, ne læſæ majeſtatis rei habeamur; & donec argumentorum verſutia, verborumque multiplici arte, imprudens in noſtras pedicas incidat genus humanum, ea diſputemus ſapientia, ut qui Valcinum odere, noſtrum amicum non ſentiant. Veniet tempus quò libere oſtendamus, quàm rectè ſub durioribus verbis noſtram ſententiam explicuerit.

Hæc

Hæc omnia Charmion ſilens audiebat, compreſſoque, ex timore, zelo tumidus, diras jactabat in doctores; ſtatimque infauſtiſſimam domum deſerens, narrabo, inquit, quæ vidi, & vafertimorum hominum, ſimulatęque pietatis myſterium aperiam. Nam ſi hæc admittatur opinio, quæ morum corruptela, quæ conjugum fides? quæ ipſorum ſacerdotum caſtimonia? cum illud ſibi quisque perſuaſerit, ad domandos affectus, qui ex corporum conſtitutione validiſſimi ſunt, libertatem non concedi? O maritos infœlices! niſi uxoribus ſuccurrat doctrina verecundior; niſi ſanctior religio curam thori ſuſcipiat; doceatque, mulieres ad ſuum idedecus non aliquâ poteſtate agi, ſed liberas ire; nec fas eſſe Chriſtianos de amiſsa libertate queri, ut effrenatiùs ruant in ea quæ juſtiſſima lex omnibus non prohiberet, niſi omnibus à legiſlatore Deo qui novit quàm fragiles ſumus, quàm cupiditatibus noſtris impares, auxilium adeſſet.

Cæterum hoſtes non membra ſunt, qui ſic in caput noſtrum inſurrexere: nam Eccleſia ſapiens corpus eſt, non furioſum & in ſe partium diffidentia miſerabiliter ſæviens; quodcumque in illam pugnat, alienum eſt; & qui ad Petri fulmina non movetur, Petrum non novit, cum eumdem, ex deceptæ mentis inſania, putet eſſe Salmoneum. Aliqui liquores ita naturaliter diſſident, ut cum illos unum vas capiat; nunquam tamen in unum corpus coaleſcant: & iſti qui inter nos ſunt, non ſunt ex nobis. Revelabo igitur quid ſemoti à turba imprudentiſſimè dixere; ut cum in publicum com-

composito vultu, stoicoque vestigio procedent, modestissimæ fraudi nemo fidem adhibeat.

MENSÆ CRUDELES.

APud Gallos, principum edicta cito in oblivionem, aut in cotemptum veniunt: neque ipsi Reges aliquid sibi detrahi ea licentia putant, cui ex majorum exemplo, & more gentis patientissimè assuevere. Non quamdiu remedia prosint, sed quam cito, curę est: & satis censetur publicis incommodis consuluisse potestas, si recente adhuc decreto in primos transgressores pœna cadat, cæteris, ubi lex maturuit, securè peccantibus.

Tanta erat eo sęculo conviviorum luxuries, ut & ipsi epulones non probarent. In unam cœnam multorum jugerum reditus impendebantur, & dedecus erat non fecisse quod quisque damnabat. Ad frænandos igitur gulæ ambitus, visum est non modicæ pecuniæ mulcta in eos animadvertere qui conviviorum nimio apparatu quęrerent venustatis sibi, atque opum famam conciliare. Neque ullus politicam prudentiam culpare nisi injuriâ poterat, quod nimiis bonis laborare illos divites crederet, qui tam opulenter insanirent, & in suos usus converteret dispendia voluptatum.

Vitiis tributa imperare, ut parciùs timidiusque insolescant, ars est non tantùm utilissima

Re-

Regibus, verum & iis qui ſolvere juſſi in profuſiſſimi luxus pœnitentiam, ad arctiorem ſuarum facultatum uſum coguntur, ſervantque liberis, quod turpiter, niſi ea mulcta cohiberetur, voluptas abſumpſiſſet.

Aliquot menſes manſerat utiliſſimi decreti reverentia: menſæ apud divites quosque magis nitebant, quàm conſtabant, cœperatque non diſplicere faſtidienti fortunæ imperata ſobrietas: ſed citò diſciplinam ſolvit potentiorum exemplum, qui maximè Regii edicti authores fuerant. & illud ſibi quiſque licere putavit, quod non tantum præcipui ex aulâ, ſed ex Magiſtratuum cœtu non obſcurè audebant, ut ipſa legum deſpectio, quæ fortunis humilioribus formidini erant, traheretur in dignitatis argumentum. Ergo iterum quaſi rupto aggere in divitum domos inundavit gulæ furor, & avarum credebatur, ad naturæ neceſſitatem, virtutisque non ſordidæ præſcripta menſas convivis ornaviſſe.

Parcitati aſſuetus Charmion vix fidem adhibebat iis quæ dicebantur; nam neque os patentius, aut ventres ampliores habent divites quàm cæteri mortalium; neque illis à fortuna conceſſus eſt alius calor quo admiſſas in ſtomachum eſcas velociùs conſumant. Sed quàm verè peccarent ea in re divites, latenti, ut ſolebat, Charmioni unius menſa prodidit.

Duodecim omnino convivæ erant, & qui illos vocaverat videbatur ad eam ætatem perveniſſe, cui ſapientia ut plurimùm conjuncta eſt; ſed ſenem regebat adhuc opinio, & juvenum

num malis post tot annos laborabat canities.

Abacum argentea supellex oneraverat, operosæque cælaturę, ac variæ capacitatis vasa, haud ipsi convivio necessaria, proferebantur ad spectaculum. Quod cum Charmion vidisset, meminit Romani moris, quo fiebat ut ex intimis armariis pretiosiora quęque educerentur ad defunctorum celebrandas exequias. Et rationem invenit convivator iste, aiebat, qua tot mactatæ pecudes, quas mox mensa ista excipiet, non sine honore in sua sepulchra conderentur.

Ut hæc apud se volvebat, ministrorum grex, escarum præfecto præeunte, non sine strepitu, in voluptatis præludium primos cibos attulere, & jusculorum odore triclinium repletum est. Inter convivantes modicum primo silentium fuit; & vix epulis sua condimenta addere hilaritas incœperat, cum ad lautiores cibos prima mensa sublata est. Alteram avium strues ita repleverant, ut etiam impedirent; nec pullorum justa ætas expectabatur; ex ipsa penè matre educti, immaturâ morte festinantem gulam incusabant, quod ad promerendos sapores patientia defecisset; sed in istis novitas & pretium placebant, non gustus; mensæque laus ingens erat, eorum quæ nondum ad edentium commodum creverant, obtulisse primitias inutiles.

Succi succis additi; boletorumque advocata in palati solatium dulcis pernicies, ita naturam per omnia corruperant, ut se ipsa non agnosceret. Novum vanitatis ostentum: sibi

gula

gula pyramides erexerat, à quibus tamen abſtinere cogebatur, ſtomacho tot voluptatibus impare, ut ſolis penè oculis videretur convivium exhiberi.

Ad triplices menſas nondum erubeſcebat ſuperbia; otioſis jam dentibus quarta data eſt, & luxu creſcente nihil quod ederent convivæ, ſed ſolùm quod ſpectarent, habebant. Longum prandii ordinem non diutiùs tulit Charmion, ſed grande aliquid cogitans, cum muſici ad concentum ſe componerent, & jam voces ex proxima cella obſcurè audirentur, triclinio exceſſit; ſtatimque ut ædium primæ fores, quam in viam exitus erat, patuere, in ſuam domum receptus eſt.

Virum maximè accendebat, quòd redeunti egenorum turba occurrerat, & fame enectos vultus in ea conſpexiſſet. Feram ego, ajebat, epulones ita vivere, cum mori votum ſit tot pauperibus, & propemodum voluptas? Si flectere divites non potero, at ſaltem meo calamo turbabo, & juſtiſſimis querelis inutilem, quem molliſſimi convivæ expectant, concentum impediam. Tum ſumpto calamo, hanc, ut mentis impetus dictabat, epiſtolam exaravit:

Egeni Epulonibus ſalutem.

Ab egenis ad vos venire literas novum eſt: novum quoque, ſi ad mala quæ vobis authoribus patimur, movemini. Nam ad alienas ægritudines haud flecti diuturnâ fælicitate didiciſtis, & ab veſtra mollitie ferreum pectus. Non ſatis eſt miſeros averſari, quodcumque à nobis

nobis ortum habet, lædit vos; preces, odor, ipsæ lachrymæ: Ergo ne superbas aures flebilis oratio, nares putor, delicatissimos oculos offendat noster fletus epistolam hanc accipite; nam neque clamat, neque fœtet, & sicca est. Quid? & illa stomachum movet, & chartæ quæ pauperum manu conscripta est, exprobratis audaciam suam? Quid agant miseri? ostiatim mendicare ærumnosos ubi voluptati indulgetis, ambitiosæ fores non sinunt. Plateas ne nostra inopia impleret, jussistis urbibus excedere, neque conceditur in templis ipsis atrocissimæ egestatis exhibere spectaculum, ut dum misericordiam à Dea divites petunt, dent & ipsi quod postulant. Quid ejectis restat, nisi ut vobiscum scripto agant, qui crudele exilium imperavistis; specie quidem ut ea sævitia ad necessarium opus cogeremus: reverà ne ab inhumanis pectoribus opem extorqueret objecta in compitis, & in templis calamitas? Legite igitur, epulones, legite. Non profutura vobis petimus: concedite quod in luxuriam transit: quod morbos creat: quod præ copia culinas etiam vestras laxissimas licet, facit angustas: quod adventantium servi apud vos expilant: quod jam satiatis canibus vestri quoque objiciunt: quod excitando igni sæpe datur, ne in flatu, aut in folle coquus laboret: denique quod deperditur. Hoc scripto, hoc lachrymis, hoc ipsa corporum invaletudine postulamus miseri. Naturam non abstulit nobis egestas, ô divites! sed & vos si homines estis, hominibus vitam date.

Lino deinde obsignatam epistolam puero

tra-

tradit, jubetque citiſſimè ad illius domum ferre, qui nobiliſſimos convivas ad prandium invitarat. Verùm ne latoris imprudentia author epiſtolæ proderetur, monuit illum Charmion, hoc tantum oſtiario diceret, ab amico ad dominum epiſtolam mitti, negotium urgere, periculum eſſe in mora, tradendamque, antequam convivium ſolveretur. Imperavit deinde ut obvios quosque pauperes moneret, ad fores illarum ædium ſtatim futuram largitionem; properarent igitur, neque ad occaſionem ſegnes eſſent, quæ perdita non redit.

Singula ut diſpoſuerat Charmion, & etiam fœliciùs evenere. Epiſtola convivatori nihil tale ſuſpicanti tradita eſt, cum ultimam poni menſam bellaria fructuumque acervi ſignificarent, & muſici monerentur, ſtatim adfuturum qui tædio affectos ad triclinium duceret. Sed lecta epiſtola totam hilaritatem abſtulit, nam quis ille qui pauperum nomine exprobraverat delicias, intempeſtivis conſiliis? nec ſiviſſet ſaltem convivium finiri, ut qui advenerant hoſpites, non irati, aut triſtes dimitterentur? Deinde uni ſervorum dictum eſt, janitorem accerſeret qui literas acceperat: poſſe enim reſciri ab eo unde tantæ audaciæ codicilli, & quis lator fuiſſet; ſed ut ab ignoto qui ſtatim receſſerat datos eſſe janitor retulit, in illum, quaſi injuriæ conſcius fuiſſet, tota irati domini bilis effuſa eſt; illicoque claves alteri traditę qui ſapientius ageret, cum ab externis, qui in ædes non ſuccederent, aliquid ſimile diceretur domino perferendum. Convivii finem

nem maturavit indignatio : Neque ſemel Epiſtola frendentium oculos tenuit; ad ſingula verba hæſere,& ut rationi datus eſt locus,quam prius ira turbaverat, paulatim furor intepuit.

Iam qualis eſſet, apparebat frigidioribus convivis epularum immanitas; jam pudebat vanitatis profuſiſſimæ, unaque jam propè mutati, demiſſis præ verecundia oculis immodeſtiſſimi prandii agebant pœnitentiam.

Unicus fuit qui cùm ſolo luxu in urbe notus eſſet, timeretque ne ineptiſſimam famam apud paraſitos minueret menſa frugalior, iræ modum non poſuit. Adeò fatuus erat ut crederet eos accepti beneficii gratiam habituros, qui ad tales menſas vocantur; neſciretque nihil ſordidius divite, cujus maxima laus à coquo eſt; turpiſſimumque haberi inter ſapientes, ſi aliquis meritum, quod animi debet eſſe, virtutumque, mutuetur ab obſoniis. Sed quis ſtupeat abjectiſſimi ingenii virum, ſua præconia, ſuam fœlicitatem in ſaginâ ponere, iraſcique ſi quis prudenti conſilio aliquid de menſa detrahere cupit; cùm hoc ſolum ſupra cæteros habeat, quòd ventres ſplendidius farcit, & curculionum miniſter in condimenta, quæ fœdiſſimæ Veneri ignes ſubjiciunt, profundit opes ſuas?

Dum ille non ſana loquitur, alter qui dignitate præſtabat, ſapientiori ſermone verboſum ita compeſcuit. Is eſt certè divitum tumor; inquit, ut ſi quid peccent, monitorem non admittant. Diceres audaciam cum fortunâ datam fuiſſe, adeò inſolenter ſuperbiunt. Non

ſibi tantum ſed vitiis quoque, quibus laborant, volunt reverentiam adhiberi; nam ſi quis ſacras illorum cupiditates vel minimum tetigerit, ſceleſtus eſt. Author epiſtolæ latet nos; ſed quiſquis ille ſit, qui nobis videtur inſultare, juſtiſſime calamum aptavit in patrocinium pauperum, & voluptuoſis, qui ſe innoxiè delicatos eſſe crediderant, ſuam exprobravit ſævitiem.

Egenos tamdiu patientes eſſe plurimum miror; nam deſtitutis quàm acerbus culinarum ille nidor, quo ſolo paſcuntur, cum ad noſtras ædes acceſſere, fruſtrà ſæpè petituri quod ſervorum voracitas, aut ſuperbia miſeris negat? Si quid nobis vel ad voluptatem deeſt, ſubitò iraſcimur tanquam non homines ſimus, qui cum cæteris pati debeamus, aut carere omninò illis bonis, quæ ad ſolatia non neceſſaria conferunt, vitamque laxiorem.

Tum ad ſenem verſus, cujus luxus ea epiſtola potiſſimum damnabatur. Etſi inurbanum videbitur, inquit, illud non probare quod noſtri gratia geſtum eſt, cum tua venia dicam tamen. Iſta convivia quæ tot nummis conſtant, totque cibis referta ſunt, non uno modo peccant, & quod mirere, convivatoris ipſius fini plurimum adverſantur. Quid enim intendit? invitatis voluptatem conferre, famam ſibi; utrumque autem ab ejuſmodi conviviis ita abeſt, ut nunquam triſtiùs edamus, quàm cum tot carnium conſpectu adeò fames perit, ut tetigiſſe pigeat. Nam ubi nimia ciborum abundantia fit faſtidium, oculi ſunt pro ſtomacho, & jejunos habes convivas, quos

ut

ut lautiſſimè exciperes, totas ferè ſylvas ſuis avibus, ſuis agros feris ſpoliaſti. Et quid ineptius videtur quàm ſi nos divites ſaltubus, campis vaſtitatem inferamus, ut tot curis conquiſitas dapes, tanta onera, gemens propemodùm menſa capiat, ſoloquè aſpectu ſatiandos hoſpites ad inane ſpectaculum invitet? Nam quid aliud agimus, quàm ut amici ad tot animalium mortes ſtupeant; ad tot leporum, tot perdicum acervos, ſtragem mirentur, dicantque, mox interituras ſpecies tot exhauſtas funeribus?

Verùm, ſi de fama agitur certiſſimè interit ea ciborum copia, quæ prodigos & intemperantes prodit, dignoſque quos bona omninò deſtituant, quod à largitore Deo traditis nequivimus ſobriè frui. Et licet non ſæpè ejuſmodi inſtruantur convivia; cùm tamen in illis ſplendidè peccet convivator, velitque ab omnibus ſciri, quantùm pecuniarum una hora profuderit, ad peſſimam famam multùm eſt, ſuis vitiis ſocios, laudatores, lucem optaſſe; & luxui qui timere moderatiorum ſermones, aut plebis querelas poterat, addita tuba ſuſtuliſſe verecundiam. Gratiam propè meretur trepidum ſcelus; multumque ab illo detrahit ſua nox. Quæ videri geſtit nequitia, improbitatis publicę, cui certè præit, rea eſt; neque video quomodo divitum intemperantia apud inferiorum fortunas ſe abſolvat, cùm ad illam acceſſerit, culparum omnium grave pondus, quęſitus ſplendor.

Sed & ſi levioribus immorari placet; quid de nobis jactari putatis, qui ſervorum crapulę

magis, quàm convivis nobilia fercula instruimus, ut prolixis commessationibus ii omninò mores ruant quos sub temperanti domino sobrii lares servavissent?

Itaque animo sedet modestioribus cibis in postèrum convivas excipere; & ut verum fatear, jam diu est quòd volebam mensæ meæ modum adhibere; sed ab illâ parcitate deterrebat malignus pudor, ne apud cæteros divites qui pessimo mori serviunt, illa epularum detractio in probrum verteretur. Verùm epistolæ authori habeo gratiam, quòd ad egenorum orationem sanctius erubui quàm solebam, cum ad abstinentioris vitæ propositum vultus meos pudor incenderet. Acres quidem sunt codicilli isti; sed perierat authoris consilium, nisi pupugissent; neque novum est quibusdam morbis, qui calore solvi consuerunt, irâ mederi.

Sapientissima loquenti nemo succensuit; solus ille insanus cui tota urbanitas, totum ingenium, mensa, doluit epistolæ unius contextu tot viros, qui prius cum illo peccaverant, tam citò ad frugalitatem fuisse revocatos. Ipse qui cæteros invitaverat fassus est improbas omninò esse eas mensas, quæ, ut paucos admittant, famem publicam urbibus integris alitant, quando videntur ominari, & id apud vulgus efficiunt, ut quicumque de luxu audit, putet ex æquitate esse ejusmodi divites onerare maledictis.

Interim egenorum numerus ingens speratæ largitionis instante jam horâ lætior, convivas expectabat. Neque tantum validi accesserant; sed & belli infœlices reliquiæ, plerique mili-

milites, qui altero pede mutili, adscititiis tibiis quod supereat corporis ægrè illuc advexerant, & cum infantibus miseræ matres, quæ ut facilius obtinerent, prolem docebant quomodo gestu, ac clamore, divitum sævitia frangeretur. Ut turbam pauperum apertis quas obsidebant foribus intuiti sunt epulones, novus pudor vultus invasit; & ne diutius cogerentur eo in statu videri, odoremque paupertatis naribus excipere, quem maximè horrebant, citò pecuniâ in confertissimo cœtu sibi viam fecere.

PLANGENDA FOELICITAS.

Ex vulgi sententiâ divites beatissimi sunt; illique præcipuè qui ad summos gradus pervenere, & tanquam sydera quædam orbem movent, bellique ac pacis leges ad arbitrium statuunt. Ideò Charmion illius quietis ardens sectator, quam singuli mortales summopere exoptant, non dilatâ inquisitione voluit eas penetrare domos, in quibus dicebatur habitare fœlicitas.

Amplissimæ erant ut assentatorum turbam possent admittere, & majestate ipsa testari dominorum potentiam. Quid in una earum viderit, accipite. Potrectissimam aream, lectisque stratam lapidibus, ne quid invenustum calcarent adventantium vestigia, undique cingebat magnifici operis moles: hanc æquis intervallis distinctæ ac varii laboris trecentæ columnæ exornabant: pleniores acceperat pars

humilior, ut incumbentium ordinum pondus ſecuriùs ac decentiùs ferrent. Neque hîc ſe totam exhauſerat artificum induſtria: quippe ſtructurâ creſcente, veluti per gradus ſimul procedebat elegantiſſimæ domus ad regulas artis, non ad barbaræ voluptatis guſtum, ordinatiſſima dignitas: lætior erat quæ priori innitebatur ſurgentis ædificii facies, & nobiliore diligentia, marmorumque frequentiori incruſtatione ſpectabilis. Opus abſolvebant luſus illi omnes in lapide, ac delitiæ artis, quas prima invenit ſupra cæteras Græciæ urbes in ædium cultu Corinthus luxurians.

Ubi in atrium perveniſſes, duodecim eximiæ proceritatis columnæ, magno emptæ, quidquid antea ſtuporem fecerat, delebant ex animo. Porphyreticæ erant, ex ære capitella & baſes: intermiſtis Heroum ſtatuis, quas egregia arte nobiles ſua etiam commendabat antiquitas.

Verum hæc præludia tantum eſſe ſplendidioris opulentiæ quàm mox miratus eſt Charmion. Ulterius namque progreſſus, nihil præter aurum intuitus eſt, aut aliquid quocunque metallo ſpecioſius. Cubicula Rege digna: Aulæa textilibus ex ſerico figuris veterum pugnas, aut triumphos referebant: & quæ ex illis pendebant tabulæ ab artificum peritiâ obtinuerant, ut inter exquiſitiora ſupellectilis non indecorè haberentur.

In præcipuo conclavi opulentiſſimam naturam ita per omnia ars æquaverat, ut incertus hæreret Charmion, materiamne quæ tam copioſe profundebatur, ſtuperet, an quod il-

iam

lam in ſuos uſus tam aptè collocarat, ingenium. Suprà omnia fulgebat in aurato receſſu lectus eburneus, quem purpura, & ipſa auro rigens, non totum ambiebat, ut pugnantes tot pulcherrimarum rerum formas, ſtupens oculus uno obtutu conſpiceret. O fœlicem, ajebat Charmion, qui ſic dormit! ô verè pretioſas noctes! ô pacem omnibus votis expetendam quæ inter tot bona agitur, quam fortuna, non ſervato genio conſtans, tantâ firmitate ſancit!

Dum hæc ille lentus ſpectator non ſemel intuetur, ecce veniebat vir quidam circumfuſo comitatu altior; latâ fronte, oculis non ſine venuſtate timendis, & motu loquaci aſpectus adeò varios diſpenſantibus, ut ex illis ſpem faceret, aut adimeret. Nobiliſſimę ſtirpis erat inter Gallos, neque deerant qui etiam Regibus ortum dicerent, ut opulentiſſimi viri, quem ſuæ plurimum laudes mulcebant, gratiam aucuparentur.

Circà illum poëtæ plures, relicto Parnaſſo inter militates viros didicerant aulæ genium, & pulcherrimis laboribus ſtudebant novo Apollini placere. Ille, ut erat affectus, aut opus probabat, aut impetum, interdumque deſpiciebat (& ipſe Poëta) quod ſe tamen fœlici conatu edidiſſe voluiſſet.

Dimiſſis qui ad voluptatem hominis ſuas chartas protulerant ſcriptoribus, denſiſſima virorum turba, promiſcui ſtatus, duce ſpe, poſtquam ad fores, incerta favoris, ac tremens, multum ſubſtiterat, tandem atrienſi permittente, ad illum accedebat, flexuoſis ſalutatio-

nibus & inclinatione cervicum, non minùs quàm verborum blanditiis, significans illuc tantùm se venisse ut jussa acciperet. Varia, & interdum dura imperabantnr; sed nullus (tanta hominis reverentia erat) qui vel supercilii contractione, vel mæstitiâ oris, demonstraret se non sponte amplecti: Sub diversa fronte, vultus tamen omnibus unus, arsque eadem occultandi non gratos animi motus, iram, diffidentiam, timorem. Perierat circà hunc virum naturæ audacia; & quoties ad conspectum illius se frenum pati, quasi ratione ipsa esset potentior; mutæ passiones, suique propemodum oblitæ, miratæ sunt? Nulla earum nisi jussa erumpebat: tot mansuefactos leones diceres, & depressa juba ad domini vocem trepidos; Nemo enim dolere, irasci, palam amare audebat, nisi cui concessum prius esset.

Tædebat Charmionem tamdiu differri quod maximè optabat; nam quis esset in turba ille vir noverat satis, & semotum videre animus erat. Ut hęc ille cogitabat, opportunissimè adfuit ab remotissima urbe nuntius, qui datis de urgenti negotio quibusdam epistolis, adhuc in viam expeditus, & altero pede jam levior, responsum expectabat.

Stante, ubi literas porrexerat, nuntio, secessit fœlicitatis alumnus, ut solo se frueretur, certiùs sibi quam alteri crediturus id secretum; & illicò Charmion non visus, illius vestigiis hærens, ignotæ solitudinis fit testis. In eo recessu statim ut fores intimi atriensis manu junctæ sunt, alius omninò apparuit vir ille, quàm in-

intraverat. Oculi pavore hebescere cœpere, frons contracta est, toto vultu pallor majestatem, veneres, audaciam amovit. Vix illo semoto immanior alter apud poëtam locus, ubi,

Terribiles visu formæ, lethumque, laborque,
Luctus & ultrices posuire sedilia curæ.

Non expectatam Matamorphosim intuitus Charmion, mirabatur quàm variè homini esset, quàm miserè fœlix, cui sua solitudo tot mala servaverat. Mox, ille ubi solum se credidit, ingenti suspirio divulsus: quid prodest, inquit, tantis imperare, terra marique celebrari nomen meum, fœlicitatem aliis largiri, miseros ad arbitrium facere, si & ipse miser sum? gaudia mea oris sunt; fatear mihi necesse est, nunquam ad fauces pervenere: pectus hoc plus mœroris celat quàm patiantur quos jussi esse infœlices, ut timere me disceret, quisquis non amat. Obnoxium habeo, quod felicitatis summa creditur, principem meum; & quantò dignius est, coronâ ludere, quàm ornari? ultrà privatum dives sum; quis me fortior? quoscumque timebam meos feci, vel expuli: arces teneo: sed heus! quid ista ad fœlicitatem, si curis conficior? si somnus abit, quem solatorem unum habeo quoties exuto sensibus corpore mortem experiri conceditur.

Frustrà Melpomene Theatrum ornat, ut fessum veracibus malis, poëtices mendacia sublevent: Non jucundè alienam tragœdiam spectat, qui timet suam. Frustrà oneratur cibis

mea menſa, quibus non tantum pellitur, ſed etiam provocatur languida fames : fruſtrà (ne quid deſit (odores ſaporibus acceſſere, ut voluptatem premat altera voluptas, & neſciam cui magis ſenſus vacet. In mediis epulis crucior; Riſu ſardonico os ſæpe diductum ad mœſtitiam ſponte revertitur, & ſecreto dolore ſemper aliquid delicias turbat, quod cæteri mortales non advertunt. Parum eſt inimicos habere eos omnes qui ex merito pulſi ſunt, aut fruſtrà ſperavere : occultis hoſtibus circumſeptus cuſtodiam meam paveo. Me exteri devovent ; plebs aliena eſt ; emptos hiſtoricos ſuperat eorum numerus qui odere ; qui vel meliora iniquiſſimo calamo adeò deturpant, ut jure poſteritas ignoret quis olim homo fuerim, quis ad verum magis acceſſerit, adulatio an dolor.

Sed finiendi queſtus erant : nam expectabat ad januam nuntius, & negotia urgebant. In eo cubiculo ſpeculum erat, ad quod ille, confectis codicillis, ita compoſuit os ſuum, ut mox egreſſurus iterùm fœlicitatis perſonam indueret. O fallacem lætitiam ! ajebat apud ſe Charmion, O vultum mutabilem ! O Protheo dignum ! tenebras illas, pectus illud quod tanta jucunditas tegit quis mortalium penetret ?

O quàm ſapienter dixit aliquis, neceſſe omninò ut ille omnes timeat, quem timent omnes ! Eadem eſt ſigilli imprimentis figura & ceræ quæ ex illius contactu & veluti imperio modum accipit : iſti fœlices qui cæteros ad metum cogunt, pavent quoque ; verùm & altius

tius: quippe ſic volente naturâ ut cum à duriori premitur materia facilior, ſemper minori tumore juſſam ſpeciem referat quàm quæ cælaturæ fuit, in inciſo lapide aut metallo profunditas. Trepidat quidem plebs; ſed ea timoris lex eſt, ut nequeat ſine formidine eſſe qui dedit; immò gravius eſt ab omnibus unum metuere quàm ab uno omnes: Ubi enim quietè deget, qui ſe arbitratur tot in ſuam fortunam hoſtes concitaviſſe, quot depreſſit ut illa conſurgeret, quotque ad meritas opes aut gradus promovere, cum utique poſſet; noluit, ne deterior ſui faſtigii eſſet exiſtimatio, ſi aliquid circà illud ſolitam menſuram excederet?

Quidquid facultatum habet aut honoris fortuna inſolentior ad publicum odium confert: & quis tranquillè noverit ſe inviſum omnibus, cùm illud unicuique naturale ſit velle amari, & hoſtium livor pœna quoque ſit illius qui advertit ſe habere unde triſtitiam cæteris ac ſtomachum moveat?

Auguſtus certè fœlix vixit, ſi unquam aliquis: & tamen devictis terrâ marique hoſtibus, Iano clauſo, tot auctus ſubactorum Regum tributis, ad unius Cinnæ, qui delatus à conſciis jam nocere non poterat, memoriam, ſe miſerum profitetur, ſe dominum orbis, ſe Romanæ civitatis non amorem tantummodo, ſed numen ipſo Iove charius, acriter deflet: queritur quòd excelſum ita Dii voluerint, ut humiles ſecuraſque vulgi delicias experiri nequeat: quodque illo opum aggere, & honorum quaſi ſatellitio vallatus, non poſſit ad

 eum

eum vitæ ſtatum pertingere in quo quies ſperanda eſt.

Totum hominem cruciat in ſano corpore afflicta pars: tot ſunt quę delectant Cæſarem: quod pungit, unum eſt: & ut potentum ærumnæ clarius pateant, non inſtantis periculi horror aut immanitas, ſed Auguſtum movet in imbelli hoſte detectum ſcelus. Illud eſt quod anxium principem cogit à muliere petere conſilium: illud, quod ſomnos arcet: quod tam diros ſingultus ab imo pectore extrahit: quod putatur tot tormentis, tot fletibus dignum.

Quam flebilis & illa ad ſenatum epiſtola in qua ſuas perturbationes ac inutilia operoſiſſimæ dignitatis ſuſpiria deſcribit Auguſtus ipſe, invitatque cęteros ut miſerrimi principis ſortem defleant, quem ſolio affixit fati iniquitas, ac negotiorum ſervitus. Imperatorem in ſe non fert, qui civium bona novit: & vinculis aureis conſtrictus, ipſi pretio iraſcitur: invocat privatorum gaudia: nimium faventi fortunę injurioſus, quod fœlicitatem ſuam excutere non licet.

Clariſſimorum hominum latentes morbos à pleriſque libris acceperam, inquiebat Gyges; verùm iſte mihi vir exhibet quod ex ſolo ſcriptorum diſcurſu notum erat. Adſuſpicioſi cujuſdam principis animum ſatis videtur accedere, qui Regii cubiculi muris undecunque affigi ſpecula voluerat; ut quia oculis terga carebant, adventantium motus atque inſidias pavido homini neque tot cuſtodibus tuto, circumductum vitrum oſtenderet. Ab omnibus ſibi

ſibi putat pernicien parari magnus iſte, quia omnibus hoſtis neminem videt à quo debeat (ſi juſtitiæ ratio non humanitatis habenda eſt) expectare mitiora.

Cùm hæc ego Firmianus de Gyge noſtro ſcribendum, unus amicorum libellum quendam ad me detulit, quo continebatur hiſtoria celeberrimi apud Hiſpanos noſtris temporibus comitis ac ducis Olivarii, cujus tanta fuit in creditis negotiis ſolertia, tantaque, concedente Rege, poteſtas, ut præſente licet ſole cætera aſtra non fulgeant, iſtud tamen ſydus mutuatis radiis principem ſuum videretur obſcurare. Ex ea tamen hiſtoria non obſcurè apparebat fœliciſſimi hominis continuum cruciamentum; in amovendis calumniis, ſibique ſervando Rege, jugis labor: quem ſæpè nunc detectis, nunc ſecretis machinis tentatus, ut tandem rueret coloſſus ille, Regiæ facilitatis atque benevolentiæ inviſum omnibus Hiſpanis ſpectaculum.

Non multum infeſtus eſt in cute morbus ſed ſi intus noceat, & corrumpat vitalia. Pauperem miſeraris? vivit fœlix, ſi quod ſatis ad naturam, habet; & ſorte ſua contentus eſt; ſub aduſtâ pelle viget animus, neque ſuum putat malum, quod circà ſe tantum ſævit. Diviti intus ærumnoſo hunc compara; quid egenus patitur, quod ęquet illud ſupplicium mentis, illum tremorem qui fœlices quoſque comitatur, aut ſi timere dediſcant, illam pugnantium affectuum procellam, has dico ambitus, invidiæ, cupiditatis mordaces curas, quæ turbidos, ſibique quàm alteri nocentiores quieſce-

ce

cere non ſinunt ? hanc à nobis avertat Deus fœlicitatem, quæ tot mala eo cautiùs tegit, quo infligit acerbiùs ! hac proſperitate fortunatior multo artificum labor, & abiectiſſimæ plebis egeſtas. Sed quid? quod iſti peſſimè fœlices calamitatem ſuam non tantùm ferunt ; ſed fovent, & niſi quieſcere cogantur, ad obitum uſque ſuas ærumnas protrahunt ?

Profuit multis, eo duci quo venire metuebant ; profuit, ea caruiſſe fœlicitate quæ votorum ſumma erat, ut ad meliora quidem, verum ignota, & deſpecta bona, ipſis negotiorum turbinibus, & hoſtili ſævitiâ complerentur : ea quippe rerum civilium conditio, is ludus eſt, ut & oceani, ubi non rarò dum minatur miſcetque maria, madido nautæ, & jam ſua vota damnanti, portum dedit fera tempeſtas. Exemplum vultis apud nos ? non multo labore inveniam.

Dum fauſtè regnaret in Galliis Ludovicus decimus tertius, Stilpo inter paucos Regi charus omnia penè principis ſui arcana noverat : ſi ad initia reſpicias, nemo melius illo ingentem fortunam auſpicatus eſt ; opum enim fundamenta jecerat, cum Regis animum occuparat ; nec caſuri laboris videbatur molem tentare, quam tanta firmitas ferret. Negotioſis honoribus notus, jam timeri, jam clientum vota admittere incœperat, cum major poteſtas ſubito exilio amovit ab aula quem totis jubente Rege cladis nuntium tot calamitoſi habuerant. Quid illi nocuit hoſtis ? intulit vulnus, ſed quo ſanaretur, & periclitantem, ut faſlus eſt, ex negotiorum turbine, improbiſ-

que

que vigiliis ſanitatem reſtituit ; denique nolentem coëgit, ſuum fieri. Inde, ſe inimico multùm debere, non obſcurè profitebatur, benefactorem vocabat, mirabaturque ſe tot annos cæcum, non advertiſſe, homine ad opinionem fœlici, nihil eſſe infœlicius.

In Stilpone habemus confitentem aulicum: ſed pauci ſunt qui eo animo patiantur ſe tranquillos fieri. Authorem boni calumniantur, furiis devovent; & impactis in alienum caput diris, propriam pacem perturbant. Fulmine afflatos vidiſti ? aut exanimes jacent, aut attoniti exacto periculo tremunt adhuc; & cum jam ſævire Coelum deſierit, nihil tamen audiunt præter tonitru ; quidquid vident, fulgur eſt : & ſe peti autumant ubi nihil minatur: non diſſimilis quorundam aulicorum ſtatus, cum jubentur ſecedere. Dolent : parum eſt : timent quoque, cum exhauſta principes ira, nihil relictum eſt quod paveat potens ſui.

O miſeros quibus ſua pax pro hoſte eſt : diſcite vivere : cum vobis in ſupplicium fœlicitas datur, diſcite frui : nihil boni vobis abſtulit, qui negavit negotia. Caucaſum amatis, ubi qui vinculis tenetur, pretioſis licet, miſerrimus eſt.

Roſtroque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatq; ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Sed ad Charmionem, Gygen noſtrum revertamur.

JUDI-

JUDICUM LAPIS LYDIUS.

ELapsis aliquot diebus ad illum locum palam se confert, ubi causæ agebantur. Gravissima sedentium judicum species erat; ætas apta negotiis, & sub ipsâ canitie multus vigor. Oculus lentissimo motu tanquam crimen aliquod in silente turba quæreret, serveros aspectus vibrabat, & adducto supercilio non semel monebat, terribile aliquid, quod nondùm os protulisset, ab iniquis debere expectari. Quàm sanctè disceptationibus publicis præesse judices deberent tabula admonebat. Fortuna globo insidens, & plurimo auro gravis ad senatores videbatur accedere, & ne purpuratam integritatem depravaret suis opibus, armata in throno Nemesis ensis fulgore prohibebat venientem.

Nemesi proximè adstabant lex & honor. Illa sub matronæ specie senectutem ita præferebat, ut timere adhuc posset, nec aliquid animorum videretur amisisse. Frons illi sexu major ut scires viris imperare, & in cæruleâ veste imitationes syderum ad significandam originem, ne quis illi inscius exprobraret vilitatem natalium. Stabat ex altera parte honor in purpura, splendidissimos radios vertice emittens, ut ad amborum conspectum metueret conscientia, dignitas erubesceret.

Inspecta tabula Charmion putavit nihil eo senatu integrius Areopagum habuisse: sed mox revocata sententia, quanto facilius est, inquit,

quit, pingere justitiam quàm reddere? Videbo an illa judicum in fortunam severitas, quam gravitate oris, & picturæ symbolis ad plebis conspectum præferunt, etiam in privato eadem animi firmitate perseveret. Non multum temporis effluxerat, cum judices illi actis causis, suas ædes inter clientum cuneos, & salutantium obvios honores repetunt. Aliquas observare placuit, ut deinde cum videretur, in eas secretissimè admissus, privatæ integritatis, cujus aliqua suspicio erat, testis locuples fieret.

Vix in primam ædium illarum concesserat, cum vir quidam nummis sibi patrocinium quæsiturus, ad senatorem accessit: verùm visa pecunia, ocyus egredere, inquit, & illatæ injuriæ scias me memorem fore, quòd tuâ pecuniâ corrumpendum speraveris. Eandem sanctitatem alter in proximo tecto expertus est, & ostenso timidâ manu auro, adeò senatoris iram acuit, ut à servis immineret periculum nisi sibi fugâ consuluisset: sed mox, quanto pecuniæ dispendio adeundi essent judicum aliqui, in unius domo patuit.

Multo tempore cliens expectabat ad fores, nec ab atriensi officiosissimis verbis porrectaq; vultus humanitate obtinere poterat ut sibi laxarentur; aiebat enim abesse dominum suum. Hoc cum iterùm ac tertiò, irato similis, flagitanti respondisset, interimque alii non molestè admitterentur, intellexit cliens absentiam senatoris vocari, si quis pecunię parcens, nec placato prius janitore, colloquium viri postularet. Ergo ad crumenam versus; nullo negotio, inquit, reducem facies, quem longè amoverat

incauta

incauta, ac nimium ſibi conſulens nummorum continentia. Sic marſupio loquutus, tulit ab eo quod durum janitorem exorabilem faceret, & dato porrigenti manum pretio, admiſſus eſt in aream.

Sed conciliandi alii erant, & cum à pluribus vernaculis, qui vel ad varia domus officia, hac illac concurſabant, vel otioſi expectabant imperium, non ſemel fruſtra petiviſſet, domino frui, iterum crumenæ operâ uſus, indulgentiſſimum habuit hominis cubicularium, qui tum fortè à ſenatore digreſſus, alteri ſervorum colloquebatur; nec enim prius gratiam poſtulavit, quàm nummos avidè intuenti proponeret. Et faciam lubens, inquit cubicularius, ut dominum meum videas; ſed dum quibuſdam codicillis impeditur, placet brevi ambulatione paulò cunctantem opperiri? ſtatim ac ille abſolverit, ſciet te hîc eſſe, qui ob negotia veneris.

Dum ſic unà repetitis veſtigiis, comitanteque Gyge, aream ſecant, multus illis de litigantium ſorte ſermo fuit. Quàm inquietè vitam ducerent: quàm ſæpè duris judicibus uterentur, qui vel meliores cauſas haberent: quàm tardè, totis invocatum jus veniret, in miſerorum auxilium: & his quidem prolixius immorabatur cliens: verùm ſic ad illum alter. In plures annos trahi ſępiſſimè negotia quæ breviter abſolvenda eſſent, nimis certè verum eſt, inquit: ſed monebo quo compendio, & quàm fœliciter ad optata pervenias: unum poſſum, quod & præſtabo, ſiſtere te domino meo: tum ſubridens: ſed ſi non vacuus illius

illius uxorem invisas, inquit, illud si egeris, spondeo per omnia facillimum judicem.

Ad hæc cum hæreret tristis cliens; inutile enim sentiebat esse quodcumque jam pecuniæ profuderat: quid stupes, ait senatoris famulus: nescis ergo per mulieres hodie forensia negotia agi, ideoque plurimos virorum domi manere, dum uxores per varia tecta, formæ illecebris, & sermonum venustate, deliniunt, flectuntque judices suos: Honestius certè dominus meus sexui huic, ut jam mos est, obtemperat, accipitque ab illo regulas juris: sola enim conjuge excepta, nulla mulierum fœliciter tentaverit mollire animum illius: legibus (quas alioquin sanctissimas habet vir integerrimus) unum præfert matrimonium. Si igitur expeditam, fortunatamque ad tua negotia viam quæris, ut blandus tibi judex fiat, uxorem promerere.

Deinde quid mulieri magis in munus placeret, diu inter illos agitatum est. Alius pridiè speculum attulerat, cælati argenti laminis, ac frequentibus smaragdis eximium: purpuram alter, ut pretioso vellere commendaretur jam apud judicem nutans causa; ergo ut muneris novitate magis delectaretur mulier, dandas esse inaures, quas scirent ex pretio, & arte fore illi gratissimas. In hoc consilium, haud viso senatore cliens egressus est, Gygesque cum eo, maximè dolens ejusmodi captionibus æquitatem violari. Neque hîc solum leges terebantur; pluribus enim in locis advertit ille, ad accessum eorum qui causæ pretium afferrent, cum à jure timor instaret, tantam servulorum,

lorum, ipsiusque Domini lætitiam esse, ut protinus nosset, fortunam non eos omnes pro hostibus habere, qui publicè infesti sunt.

Unus inventus est qui cùm familiæ leges pronunciaret, docebat liberos de protrahendis litibus quæstuosissimam artem; de interpretando jure in amicorum, aut potentiorum gratiam; denique de abiicienda conscientia, quam dicebat perrarò negotiis aptari, rigidam nimis, querulam, & mortalium quieti inimicam. Denique munera commodè à judicibus accipi, & solum ab illis respui solere qui ineptâ pietate, de publico satis, de familia nihil curant: ut aliis benè sit, sua bona negligunt.

Illud certè apud omnes in confesso est, vix judicem fore integrum qui acceperit; mitigatur enim donis animus, & benefactori nocere quis audeat? in agendæ litis controversia, nihil videt muneribus patens judex, preter munera, ad illorum normam, obsistente licet lege, flectitur, & iniquus mavult quàm ingratus haberi. Ingens in ea dignitate scelus, cujus hæc ut plurimum origo censebatur. Aliqui erant qui cum multo ære vacuos honores emissent, mox ut spontaneam penuriem sentire cœperant, indignabantur, se non nisi salutationibus nutriri, & ad inanis stomachi fulcimentum advocabant, quæ malis judicibus semper præsto est, justitiam venalem. Quid egissent suis opibus destituti? œconomiæ errores necesse erat, compensaret illorum manu jus proditum: quippe defecissent, nisi quæsitam ex honoris immodica cupiditate paupe-

riem

riem resarcisset calamitas publica. Nec iniquitatem cohibebat, quod laceræ fortunæ invitos reparatores haberent illos omnes, qui in cupidi judicis familiam suas opes coniecerant. Non quilibet artifex sponte laborat, neque curæ est triremium rectoribus, compulsi, an volentes ii quibus ex officio imperant, opportuna diligentia, manuque navigationem juverint. Isti ergo nullo discrimine malesuada litigantium pecunia in suæ domus commoda utebantur, nec aliem prætendebant avidissimæ noxæ excusationem, quam se ejusmodi munera recipere quidem; sed minimè quærere; neque aliquid justius acquiri quam quod ab ultroneis datur: quia non expectatus ad limen accessit, ut mariti thorum deturpet fœdissimis amoribus.

Quodcumque peccatum suos patronos habet; & tum nescio quo authore liber prodierat qui judicum in admittendis muneribus facilitatem non excusabat modò: sed divina etiam authoritate firmabat, quasi Deus licentiam illam suo exemplo faceret, cùm à nobis, qui in reorum numero sumus, accipit munera, omnium judex: illudque sapientis, Magistratibus diceretur, da & accipe. Sed alterius scriptoris, qui rectius cogitabat, facilis hæc responsio fuit: Quidquid Deo tribuitur, non munus est, sed solutio debiti: sed & si munus volueris appellare illi conceditur, qui & æquitatis prævaricator esse non potest, & ideò tantum nostra postulat, ut postquam in eum collata erunt, in nos deinde copiosius refluant: non enim quia indiget Deus, aut quia avarus est,

cupit:

cupit; ſed ne ipſi homines egeant, jubet tribuere quæ in eorum manibus otioſa, ſtatim ut ille acceperit, in immenſos reditus creſcant; neque ſecius quàm terræ credita ſementis, uberiorem ſe meſſem, data temporum patientia, certiſſimè reddituræ ſunt.

Ex occaſione authorum qui de judicum officio ac integritate ita variè ſcripſerant, frequentiſſimè in privatis colloquiis illa quæſtio agitabatur, unde factum eſt, ut Charmion in cujuſdam Theologi domo hanc pro judicibus apologiam audiret. Non multos equidem ea in re peccare exiſtimo; neque etiam omnia munera arbitror inhoneſte admitti, aut in juſtitiam pugnare. Præclariſſimum hoc habet inter cætera nobilitas, quòd qui generoſa ſtirpe orti ſunt, in famam potius, quàm in ampliſſimas opes laborant, neque vitam ipſam cujus apud ignobiles tantus eſt amor, honeſtati pręferunt; ut penè ex illa animorum celſitate, de ignoti viri natalibus judicium certum tuleris. Idem ut plurimum in ſenatoribus præſtat dignitas ſua: Pudet namque quam ſumpſerunt purpuram vili commercio dehoneſtare; conſilium ſumere à fortuna; dare manum muneribus; latrociniorum vindices, non ſinit honor latronibus accedere, neque in occulto reos fieri, ne tribunal malè uſurpent, cujus juſtiſſima ſeveritate & ipſi damnarentur.

Major, credite, numerus illorum eſt, qui æquitatem ſervant, quàm eorum qui cum ſceleribus mitius agunt, quoties aliquid ſperatur ex indulgentia ceſſurum in ardentis avaritiæ cu-

cumulos, aut projectæ voluptatis luxuriem. Non multos invenies qui uxorum cupiditati ita consulant, ut illarum manu sanguinis pretium accipere velint, quo familia plus sordium acquirat, quàm potentię, aut fulgoris. Sed ex calumnia partium, quibus infœlix in exitu causa, familiare damnum attulit, penè factum est, ut vel æquissimi judices ancipitem apud vulgus famam habeant, timeaturque ab illis quorum nulla est in reddendo jure ambiguitas. Nemo à foro discedit nisi hostis, si negatum est quod etiam nequissimè concupierat. Miraris ergo, ab hostibus ea jactari, quæ à veritate omnino aliena sunt? miraris in suos animadversores invehi (ubi spes omnis pręcisa est) destitutam nequitiam? Nisi loquax esset ultio, sæpissimè periret: Quid! negare illi vis, cum cum manuum usu careat, verborum solatium? nec ipsa lex in illam eâ acerbitate sævit; ad levamen doloris aliquot concedi horas, sinitque brevi insania mulcere acceptum vulnus. Cum igitur ex disceptantibus pars una necessariò damnanda sit, ut altera quod suum est, decernente judice, recipiat, & ex damno calumnia emergat, tanquam aliquis ex ligno vermiculus sit, ut obtrectatricem mediam civitatis partem judex habeat, dum alia probat quod ab æquissimo tribunali sapienter decretum est.

De muneribus dicam quoque quod sentio. Exacta causa non videtur æquitati officere acceptum à judice munus. Quæ viatorem præcedit umbra, sæpè & impedit; quæ sequitur non item: si de muneribus agitur, res penè eadem

dem

dem eſt; nam quę litem præcedunt, aut etiam comitantur, obſunt luci quæ maxime requiritur in judiciis; quæ ſequuntur, ex gratitudine ſcilicet, & in præſtitæ operæ velut præmium, nihil nocent.

Præterea, nimiæ Religionis videtur eſſe etiam durante lite, ea prorſus non poſſe accipere, quæ cum modica ſint, & patria conſuetudo haud improbet, nec vim æquitati inferunt, nec maculam famæ: licet cautioris virtutis eſſet eâ in re ſeveritas, & timendum, ne qui levia ſæpiùs accepit, ampliora dona expetat, cedatque tandem cupditati, cui non aſſuevit, rigidus officii ſui cenſor, ex toto imperare; multò enim facilius eſt omninò abſtinere à muneribus, quam non peccare in admiſſis; & rarus eſt judex, qui aut velit, aut queat, ut pelago Deus, ita donis certos præfigere limites, ut ſuam arenam non excedant. Hanc pro judicibus orationem libenter audivit Charmion, verum enim continebat, ſed magis placuit, quod poſt ea vir egregius, qui aderat, de patre ſuo ſic retulit.

Veſtis audire optimi ſenis patris mei ſapientiſſima monita, quibus ille cavebat, ne qui ex filiis in paternum gradum aſſumendus foret, eo malè uteretur? Nobiliſſimum par ſed arduum, aiebat ille, innocentia & dignitas; & ideò ferè quiſque ſapiens publicos honores refugit, ne dum in errores alienos animadverſor conſtituitur, ſui judex eſſe negligat, & lex illi vilis fiat, ſive aſſiduitate tractandi, ſive etiam experientia, nihil ab illa metuendum, cum in ipſo tribunali delinquitur, inde authoritas in re-

mo-

motiorem nequitiam tota majeſtate ſe extendit. Sicut enim non ubi auditur tonitru periculum fit, ſed longius, quia obliquo motu præcipitat excuſſum fulmen, & in diſtantia ſævit, ita qui ex officio tonanti legi vicinior eſt, majori ſecuritate ſcelus admittit, quàm qui procul à tribunali audet jus laceſſere; & ex quo judex factus ſum, ſicut iniquius raptorem me fore intellexi, ſi læſa integritate diteſcerem, ita credidi eſſe poſſe licentias. Sed obſtitit, ô filii, juſtitiæ amor, timorq; ne ſi me authore damnaretur æquiſſima cauſa, jacturam deinde reſarcire proprio patrimonio cogerer, illaſque familias inſtaurare meis ſumptibus, quæ meo peccato periiſſent. Cujuslibet enim raptoris ea eſt obligatio, ut reddat quæ abſtulit; & quis neget litis arbitrum immeritæ familiæ ea dextraxiſſe, quæ iniquiſſima ſententia, ſive legum ignarus, ſive emptus judex, in alteram contulit?

Non conſcientia tantum, ſed & famæ honeſtas curanda eſt, ô filii! cum nuper uni ex noſtris aliquot vini dolia in munus miſſa eſſent, ut peſſimæ cauſæ ſuffragaretur, illaque in cellam vinariam cum cæteris deponi paſſus fuiſſet, ſtatim rumor tota urbe ſparſus eſt, nihil ab ebria juſtitia ſobrium debere expectari: aliis etiam non inurbanè jactantibus, judice frigidiſſimo eum certiſſime eſſe uſurum, qui bibaci Bacchum non propinaſſet. Cum illud ubique vulgaretur, ſolus ignorabat Senator ſe in fabulam veniſſe, ſe famæ pretio redemiſſe ſuam ſitim. Alius oblatum equum non invitus addiderat præſepibus ſuis, quid dixiſſe

ipſum putas, qui dederat? cum inter amicos ageret, in verbis venuſtiſſimè luſit; nempe ab equo, non æquum judicem facilimè fieri, & ſibi equeſtrem juſtitiam velociſſimè adfuturam eſſe, quæ in auxilium partis pedes iret, citoque laſſaretur.

Quandò pluchrius, optabiliuſque, nihil omninò accipere, quam accipiendo turpiter ditari, & ea familiæ inſerere quæ infament; ſi aut teſtes habeant, aut ipſa dantium pravitas, venditæ ſibi nequitiæ ultrix, ex merito prodiderit?

Memini me aliquando legiſſe, Serapidis ſtatuam, manu ori ſuperpoſita, ſuos admonuiſſe cultores, ne ejus orignem indicarent, ſi noſſe contigiſſet; nam Princeps mortalis olim fuerat, mortali matri genitus, & ad Religionis majeſtatem intererat, populum Numinis ſui ignorare natalia. Fortuna, ingens licet, ò filii mei! & Deæ alicujus inſtar, plebi reverenda, habet tamen quod occulat, ſi probroſâ nativitate ad illud faſtigium crevit, unde cæteras ſuperba deſpiciat. Peſſimè divites ſumus, ſi fons opum is eſt quem debeamus occultare ſilentio. Facultates non placent quas me pudeat comparaviſſe. Quid prodeſt judici aureum ſcelus, ſi ipſe, qui reos legibus ſolvit, fortunam ſuam non abſolvat?

Cæterum, ſpecioſior eſt auro æquitas, ſtabiliorque; nam & nitidius fulget, & illam cùm populo dederitis, ſemper veſtra eſt. O quantâ audaciâ flagitioſi homines in ſcelus ruent, ſi nos mercatores eſſe opinentur, & poſſe redimi quodcumque peccaverint! ſi nos debitores, ſi pla-

placatos faciant, antequam ipsi noverimus, indulgere, an irasci oporteat! aurum si accipitis, potestatis vestræ certissimum vinculum existimate; exerceri enim in illos non poterit, quibus erit obnoxia: gladium quomodo arripiet manus, quam implebit aurum? an ut reos ex merito feriat, unquam attolletur, si metallo gravis erit?

Sed & pensate, quantò jucundiùs illud præteriens judex audiat; ecce æquitatis incorruptum servatorem, ecce vindicem scelerum: quàm si illud in aurem venerit; ecce virum in suæ familiæ incrementum, civitatis vastatorem; apud illum quilibet justus, reus est, si inops: miraris divitem? vendit omnia: & ne putes aliquid excipi, jus ipsum. Vides, ut ambulat opimis spoliis indutus? Ex quolibet vestium filo sanguis stillat; illas enim miserorum cruore sibi comparavit: neque lenius dives est, quàm si more tyrannorum plebem mactaret professa sævitie.

Ex his omnibus intellexit Charmion cedrina quædam tribunalia esse; sed plura inveniri quæ corrumpantur, & muneribus, tanquam lydio lapide, optimos judices à cæteris discerni.

JEJUNIA ORNATA.

SUb ipsâ meridie, cum jam varia per urbem horologia monuissent adventasse tempus prandii, nobilem virum in serico curru, una cum uxore ac liberis repetentem sedes suas, obvium aliquando habuerat noster Gyges;

nec dubitavit, ſplendidè pranſuoros, quos tam opulenter tegi, geſtarique conſpexerat. Verum in domum receptus, mox agnovit totam illam veſtium pompam ſupplicium ventris jure haberi, & quidquid in curru niteret, opus eſſe inediæ.

In grandibus patinis parcæ dapes (ad malum miniſtrantium omen) comptiſſimis dominis apponebantur; nec alios omninò cibos à frigido foco expectare fas erat, cum illa ſtomachi ſolatia in ſuo cultu ſtultiſſima vanitas copiosè impenderet. Venuſtè quidem edebant nobiles iſti; nam ſtudium erat, ne more vulgi in egenâ mensâ accumberent: Sed quid ad naturæ levamentum mappa mundior, terſæ fidelius lances, textiles ſellæ, circumque aulæa in fortunæ larvam, ſuis coloribus figurisque fulgentia?

Qui aſſidebant variæ ætatis pueruli, conſumptis citò eduliis (quod neſcirent ſortem ſuam) iteratis blanditiis, atq; clamoribus alia atque alia petebant, quæ tenuis dare menſa haud poterat, memores quid vidiſſent in aliis: ſed ſilere pater jubebat compoſitiſſimæ paupertatis tyrones, docebatque, quidquid velle anſi erant, honeſta patientia, & quæ ingenuos deceret, expectare à parentibus. Interea ſervuli reflexis, ne viderentur, cervicibus, maligne ridebant, gaudebantque illam ætatem inepta ſimplicitate monuiſſe dominos ſuos, quàm fatuè in ſerico & auro penuria foveretur.

Et hoc ipſum ſic apud ſe verſabat Gyges. Quam decorè egent, qui ſic totas opes ſuas ſpectaculum effecere! ſed & quam callidè ſuperbia

perbia inops sua jejunia ornat, ut satietatem quandam opum præferant, credaturque nihil illis deesse, ubi præter clarissimas vestes, ac comparatam, tumentis familiæ damno, supellectilem nimiam, desunt pene universa.

Aliquos esse homines ajunt, qui solo odorum haustu famem placant; patulis admovere rosas aut violas naribus, eximia illis satietas & ubi amicis in effusissimæ charitatis pignus, convivium ornandum est, collectos undecumque, ex fragrantioribus, flores in frugali mensa reponunt; aut si piget diligentiæ, hortos ipsos habent pro cœnaculis. Quàm fœliciter plurimi ex nostris nobilibus hanc accepissent à natura ciborum continentiam! si sic pastis vita maneret, impunè auratis vestibus circumtecti incederent, quos nunc miseramur ærumnosè pretiosos. Non pugnaret in stomachum crudelis vanitas: in eximio cultu absque creditoribus ducerentur lætissimi dies; neque dolor esset iis ornari quæ cum debeantur, possessorem suum lancinant.

Non diu sedentes tenuit leve prandium; & ut explicandis ossibus servi recessere puerique ad suos jocos conversi sunt, serio sermone maritus ita cum gemente uxore de re familiari loquutus est: Quid quereris, quid suspiras, mulier? ad hanc parcitatem tua nos adegit ambitio: non ita nobiscum egit fortuna, ut possimus simul magnifice tegi, & impleri; alterum eligendum erat, aut sobria vestis, aut mensa; placuit inani noxius splendor; sed ô me miserum! qui te ad necessaria jejunia compellentem lares nostros, antequam desperatæ

res essent, & mercatorum turba timeretur, virili robore non compescui! meum erat uxorem regere, non sequi: ordinem matrimonii fœdè ambo turbavimus, dùm tu præscribis quantum insanire luxus debeat, & ego nimium indulgens, ne te gravem sentiam, petitis annuo querentemque te abjecte haberi, placo muneribus: fortunatè rigidus fuissem, qui molliter & infaustè toties dolui lachrymas tuas.

Ad hęc mulier visa est ita lugere, ut etiam liberè excandesceret. Et tu non in culpa, ait, qui tot equos inutiles tamdiu habuisti in stabulis? his tu, quasi Diomedis essent, te depascendum tradidisti. Dum in aula tanto comitatu circumseptus vis conspici, & fortunam tuam vexas, ut grandior appareat: dum viros Principes plus imitaris, quàm sequeris: dum studes placere alienis uxoribus, & fastidita conjuge, turpissimæ voluptates magno emendæ sunt, diripiuntur ea bona, quorum nunc jacturam in meum caput retorques. Si plus tibi videor splendoris quæsivisse in vestibus, consilio, non superbia illud egisse me existima, ut quicumque me cerneret, ex ornatu tuam uxorem sciret esse, non famulam. His dictis, festinanter virum deseruit mulier, ne audire ab eo atrociora cogeretur; simulque Gyges ab turbata domo egressus, ita cœpit philosophari.

Quodlibet vitium certè habet martyres suos. Gravem esse suis cultoribus Deum putant omnes qui ab eo descivere, nec advertunt ipsâ declinatione incommodi, in aliud pœnæ

genus

genus provolvi miseros, quo nullum acerbius. Auro dicere quilibet avarus potest, quod, martyr Christo: propter te mortificamur tota die? sua enim supplicia avarus & patitur, & amat: dilectæ mercedis intuitu, in longa spacia protrahit ærumnas suas, nec beatiores credit quam qui sub tortore cupiditate jure à cęteris habentur infœlices. Invidus carnificem habet alterius fortunam si propitiam viderit: quibuscumque bonis læditur, nisi sua sint. Qui libidinosè vivunt, sub amore suo vapulant. Aliis ut video, durissimum famem infert immodici vestitus splendor, ut nisi jejuni non fulgeant: jucundo amictu, querulo ventre, neque unquam benè pasti, nisi cum apud invitantes famelici convivæ, diu laborantem, contractumque domestica penuria, explicant stomachum suum. Quàm acerbè edent isti cum in alienas ædes successerint! quàm minaces carnibus, quàm terribiles erunt, ubi cultros simul & dapes dabit mensa; licebitque iis armis uti, quibus bestiarum cadavera, post venatorum varios ictus, morsus canum, coquorum injurias, ultimo impetu conficiuntur.

Homines ecce bombycibus per omnia simillimos; isti enim vermes tamdiu edunt, quamdiu sub suo serico non latitant; mox ut illos excepit pretiosus carcer, opusque suum peregit artificis oris ambitiosus labor, egere discunt, in totum jejunant, tanquam per id natura nobis innuat, eos omnes, qui, ut carè nimis induantur, se exenterant, jure habere pro cibis suas vestes.

O patientiæ miraculum! nemo diu loricam

gestat, quia grave humeris pondus, & corpori humano, ubi se tuendi necessitas abest, haud idoneum: togam ponimus, si nimio calore infesta est, cocco licet vel auro conspicua sit; & tamen inveniuntur qui famem pati malint, quam vestem abjicere.

Quos justius damnem, nescio; ex superbiâ voraces, an jejunos: Turpissimum certe est, ex ciborum affluentia & luxu quærere famam. Immanis venter, cui tanto labore parantur cibi, quos etiam nauseans & fastidiens capiat. Atrox gula, quę tot cursores habet qui culinas suas instruant; quæ tot periculis quęri vult, quod sæpe ipsa nolit, ubi repertum est; quæ tot stagna, tot fluvios, ipsumque oceanum turbat, cum ab ventis, & ab syderibus pax est; quæ ingentes feras capi vult, ut modicam partem sibi delibet; quæ condimentis irascitur, ex mollitie, & consuetudine, non ex gustu, coquis placari difficilis. Horrendum, ita vivere, ut quod in unam diem peremptum, assum, elixum est, mensi, si sobrie illum ducas, plane sufficiat. Sed insanum quoque, de vestibus præcipuam curam habere. In subere præter corticem nihil videas, quod usibus humanis serviat; infructuosa prorsus arbor cujus tota vis in integumento laborat, ut obducatur egregiùs. Aliter se gerit prudens vitis; quod virtutis habet, sapienter impenditur: quantum opus est, ex ea cortex accipit, sed major de uvis cura; nec dedecus est arboris, quòd rami informes tanta utilitate peccant. Quid stultius, quàm in pretiosas vestes totam conferre substantiam? sibi suisque patientiam imperare, ut cæteris

ex-

exhibeas decentius ſpectaculum? ad quaſcumque novitates ambitioſe mutari; dolere, ſi quis in amictu, quem ad ingens ſartorum commodum mos novus induxit, citiùs, aut cariùs inſaniat?

Non attritu, aut colorum damno; ſed opinione, jam apud nos panni vileſcunt. Ut pretium veſtis amittas, ſatis, ſi per paucos dies viſa eſt; una ſe veſtiendi lex, oculorum faſtidium. Ad comparandos hos ornatus, ubi pecunia deficit, ſæpe dominus ſolidiora cadentis fortunæ ſolatia lugens vendit, ſuas cœnas, ſua prandia; non rarò matrona pudicitiam; tanti eſt ſplendide veſtiri, ut turpius credatur, obſcure continentem eſſe, quàm fulgere jacturâ caſtitatis.

Verùm ſe prodit tandem tantâ arte palliata neceſſitas; minuitur in dies ſupellex; liberis ſubtrahitur annona; indicitur fames ſervis, & ut familiæ leges apud vicinos pervulgavit aut vernularum loquax egeſtas, aut ipſa jam vacuæ domus miſerabilis ſpecies; intutum eſt foras exire; ſtat in viis cum ſatellite ſollicitus creditor; qui longo carcere dominum cogat ea reddere, quæ olim in hunc fortunæ ſuæ decus mutua ſumpſerat, ut clariùs rueret.

Sed & ampliora in hunc modum meditabatur Gyges. Vexari ſuis malis miſeri ſolent: verùm & ornari poſſunt, ſi inter adverſa virtus ſteterit, firmeturque hoſtili impetu animus, velut quædam concuſſæ procellis arbores copioſiori radice ſuam humum amplectantur ut fidelius adhæreant. Martyres jure dicimus

pœnis ſuis ſplendidos; Illuſtriſſimi namque cruciatus quoddam genus eſt, ita torqueri ut luceas: ſic illorum caput Chriſtus lædi ab hoſtibus voluit, ut per ipſa vulnera, tanquam per rimas, emicarent illi radii quibus totum orbem colluſtravit: & quia (teſte Auguſtino) velut ignis plurimo vapore circundatus, Servator propemodùm latuerat, dum hîc viveret, occidi placuit, ut expoliatus nube carnis, fulgorem redderet majeſtatis. Sed quàm rectè, quamque ſapienter pœna admittitur, ut per illam Martyrum fides ac Chriſti dignitas fulgeat; tàm fatuè quæritur ad illum ſplendorem comparandum qui rem domeſticam exhaurit, imponitque ſpectantium oculis. Quæ (ô Numen!) mortalium ſors & quid in ea expetendum credam, opulentum videri, exquiſitis operiri veſtibus, & ſe ſcire miſerrimum?

Modica eſt quæ in contemplando cultu ſentitur ab oppreſſis voluptas; citò luctum movet inanis luxus, cum ipſa ſui oſtentatione animum ad ſecretæ egeſtatis memoriam revocat, monetque quid ultrà timendum ſit. Hujus tamen ineptiæ tantus eſt in pleriſque ardor; ut ſæpè matrona liberis fundum perire lubentiùs ſuſtineat, quàm ſibi ornatum: & ne deſtitutæ familiæ credatur quàm ſuo corpori crudelior, in gratiam ſuperflui cultus ipſa quoque à neceſſariis abſtinet, & tanquam jubente inediam medico, ne quid repletio noceat, patientiſſimè ſibi jejunia condenſat.

Aureum monile ſuo conjugi prætuliſſe Eriphilem libri referunt: neque rarum etiam apud

apud nos maritum tradi, ut ſuperba uxor, verùm egens, margaritis conſpicua ſit, quibus carere, durum putatur. Ecce aliud omninò vanitatis judicium: cibos credit ornamentis viliores, neque ventris ſupplicia ęſtimat, dummodò ſub pretio laboret.

O quale par ambitio ac fames! inflatur illa, ſtringitur hæc; & tamen cùm naturâ non conveniant, ſimul degere neceſſe eſt, ut ambitio adjutrice fame ea ſibi comparet, quæ magis in tumorem ſuum conferunt.

Tanto impendio quis ferat paupertatem veſtiri? Pretioſiores auro lapillos exiſtimamus, quos in annulis metallum illud circumligat. Picturę injuria cenſetur, ſi tabulæ pretium ſuperat ornamentorum ſplendor, propter quam tantummodo quæſita ſunt: quid igitur ſtultius, quam miſerrimam fortunam felicium pompa conveſtire, ut vilius omninò ſit quod præcipuum, quàm quod ſupervenit?

CONJUX AUREUS.

IN progreſſu ſermonis erant duo viri, cum ad illos Gyges acceſſit: ſic autem ad alterum alter. Fateor, movent me gemitus illi quos etiam ſilentium noctis interturbare, ex famularum relatu triſtis intelligo. Tanquam mori deſtinaſſet, mœſtitia conficit corpus, cibos averſatur, ſomnum excluſit: Miſerum me! in eo ſtatu eſt mea familia, ut niſi opulento genero fulciam, citò cadat: ecce ditiſſimum,

qualem nec ipſa vota ſuſpiraverant. Conſtantiſſimo ardore, veſtium pompa ac numero famulorum, etiam inutilium ambitioſo comitatu, ita magnificè procum agit, ut & humiliter: neque enim pudet quotidianos deprecatores adhibere, qui nos ad miſericordiam flectant; In dotem, ne conſilio amoris obſtet ignobilior cupiditas; perit tantùm quæ in filia mea præcipua ſunt, genus & formam: at luget illa, nec placatur divitiis. Arca eſt, inquit, non homo; inter merces ergo computari me patiar, quæ ſic pecuniis æſtimor? In genero parens meus cenſum quærit, non ſtirpem aut meritum. Beſtiam illam non fero, vitulum illum aureum quem ſic pater adorat.

Et hæc quidem illa abſente me: ſed altius ferit, quod & mihi profeſſis ſuſpiriis ſæpè loquuta eſt; virum hunc in ſupplicium ſibi dari, ſi ad quæſtuoſas nuptias invitam compulero. In patrem & œconomum medius, cui auſcultem prorſus neſcio, niſi fluctuantem animum, conſtantiâ mentis, quia polles, optimoque conſilio firmaveris. Miſerebor, ô amice! an utiliſſimi propoſiti, ad fortunæ noſtræ commodum, tenax ero? ex utraque parte certè ſunt, quæ invitent ac deterreant: Ita vim inferre, feritatis eſt: verùm, non audire lugentem, providentiæ. Vix ad ſuos contemptores redit ſemel repulſa felicitas: ſponte accedentes opes ſi reiecero, quis faſtidioſo reducet ut iterum detur poſſe frui, & ex amantium ſucceſſione agnoſcat gnata mea nihil ſe rebus noſtris nocuiſſe, cum primum expulit?

In hoc negotio, nec deliberandum esse, alter omnino censebat, addebatque subridens: cogi volunt ad nuptias virgines: ut pudicitiæ famam consequantur, flent, gemunt, latitant etiam non rarò; numquam tamen magis lætæ, quàm cùm ex parentum imperio ad id videntur adigi quod maximè desiderant: huc usque filiam (paternæ dignitatis immemor) penè oravisti ut à te maritum acciperet, expectat ut jubeas. Nobilissimæ puellæ injuria erat hæc de fictitiis gemitibus atque adumbrata castitate cavillatio, ideoque dure pater accipiens sic audiente se traduci, quam optime notat virginem suam. Honestius de ea judica, inquit; In illius mores non cadit ista pudicitiæ larva quam in aliquibus videmus: vir iste, cui illam collocare constituo, opulentus est; sed infimâ stirpe editum, nec (ut fatear) ingeniosum satis, vehementer aversatur filia mea, tanquam peccatura in avos (nam hoc sæpe conquesta est) solique corpori nuptura, si illum duxerit.

Ad hæc verba ampliori risu diductus qui procum ignobilem probabat in generum; & quæso, inquit, nonne jam honoris superfluas curas antiquavit consuetudo sapientior, ut nulla pene natalium ratio habeatur in nuptiis, si copiosæ sunt? Utili honestum certè præferebant veteres; sed jam viluit apud nos ea agendi ratio, & ineptus hodie censetur quisquis in eligendo genero, neglectâ familiæ cura

Perbiam consulit. Optimè quidem si ista conveniant; verum ubi altero carendum est, eligendum planè quod solidius. Parva res, crede mihi, vacuus honor: pecuniam malim quàm tumorem ac stemmata Nobilium. Recordare quid nuperrimè Parmenius vir egregius fecerit; filiam habebat venustate oris ac virtute spectabilem: in sponsam petebatur à plurimis, quorum non dispar erat rei familiaris status ac originis vetustas: omnes tamen aliquamdiu inani spe refectos contempsit, lusit, amovit, ut gnatam suam opulentissimo adolescenti traderet; verum iis orto parentibus quos ille, si petas unde sit, nominare non audeat.

Nobiles avos, & te genitorem, nimis certè perpendit tua virgo: nunquid Andromacha clarior est? & tamen sic illa ad filium indignantem se abscondi cum ad necem quæreretur,

--- Spiritus magnos fuge,
Animosque veteres sume quos casus dedit.

Generosissimam matrem docuit necessitas quid de filio ageret: urgente fato, probrum non putavit Hectoris prolem delitescere. Verum si & de matrimonio agitur, sæpè lex ab infesta fortuna sumenda est: neque indignum existima illius arbitrio regi, cujus tantum est in res humanas, ipsosque Principes imperium. Aliqui scripserunt terram esse cœli conjugem quod scilicet illius concipit influxu, nec quicquam generat nisi maritus ille superior ac tot syde-

ſyderibus clarus ſordidam, depreſſamque matrem fecerit. Connubium tamen iſtud, authore Deo factum eſt, neque ullus culpat providentiſſimi Creatoris ſapientiam, quod ſuperna cum infimis tanto nexu cohæreant. Nihil ergo indignum virgine tua ſi jungi ſibi patitur quod infra ſe eſt. An pudet cœli amores, amplexuſque caſtiſsimos aſſumere in exemplum matrimonii? Sed jube vocari illam, & ut pater loquere, ſi opus eſt: quamvis ego, quidquid dicas, jam mutatam crediderim, ideoque tantùm fletus fingere, ne ex levitate animi credatur tandem conſenſiſſe in virum, illum, quem antè tanto faſtidio deſpexerat.

In ſuo cubiculo hærebat cum aliquot puellis mœſtiſsima virgo, ad curarum ſolatium lanam ducens, & quaſi manuum arte atque conſilio lenitura fatum ſuum; ad quam dum feſtinat puer, qui incogitantem advocet, ita Gyges in crudeliſsimum patrem apud ſe pronuntiat. Genuiſti miſer, ut adultam, coacto hymenæo ac probroſâ affinitate conficeres? Si nubere imperas, maritum concede, quem ſine pudore intueri, quem poſsit abſque lachrymis ſecretoque odio in thalamum admittere. Pecunioſus eſt, ſed ſtupidus, ſed vecors vir iſte, ut tu fateris. Paſiphaën vis eſſe filiam tuam, qui tanto animali illam ſubjicis? Multæ lectionis erat Gyges, & ex ſtudiorum recordatione in ampliores cogitationes ſic & facillimè effuſus eſt.

Numinibus ſuis, ut ſanctius haberentur, addebant pretium veteres, quaſi maieſtatis acceſ-

Numinibus ſuis, ut ſanctius haberentur, addebant pretium veteres, quaſi maieſtatis acceſſio foret, etiam in diis, auri dignitas, quod omnium penè mortalium conſenſu conſecravit opinio. Fictiles Deos, ligneoſque, quos ſimplicitatis ingenium diu tulerat, tandem in contemptum adduxit ſua materia: nobiliores conflati ſunt: æneos quoque & marmoreos procedentibus ſæculis erubuit ambitioſior ſuperſtitio, & tanquam decernente avaritia, nihil auro credidit eſſe poſſe divinius. Improbam hanc ac ſacrilegam opum exiſtimationem etiam in quibuſdam Chriſtianis olim Auguſtinus advertit; ſunt enim (ſi detur optio illud colendi, quod maxime probat cupiditas) qui Verbum inauratum velint magis quàm Incarnatum, & pretium ſanguinis vilius putent, quàm ſi Chriſtus perditos homines in metallo redemiſſet. Nam ſicut diſplicet impudicis (ait) quod Virgine matre natus eſt, ita & auaris, quia aureum corpus non habuit, cuius lumen perverſis mentibus proculdubio fuiſſet ipſo ſole charius. Chriſtianorum aliquos ex immanitate affectuum adeo inſanire. ut ſuum Chriſtum faſtidiant, quis credat niſi tantus Doctor ſcripſerit?

Sed ecce in minore negotio, quanquam nec ſine Numinis offensâ, non omninò diſpar guſtus, ac ſordidæ cupiditatis furor; iſte enim vir, ubi de collocanda virgine conſilium init, ſpreto clariſſimi ſanguinis pretio, quaſi nepotes ex metallo ſuſcepturus, optat illi, proponitque invitæ coniugem aureum, per longa miſerrimæ vitæ ſpatia, & fulgidum, ita & fu-

tu-

turum gravem, non redamanti ſponſę; ſimilemque in omnibus auro illi propter quod connubium contrahendum eſt.

Cum hæc cogitaret Gyges, adfuit ante patrem miſerabilis puella: pallidum os; oculi recentes à lachrymis ipſo rubore indicabant, ſi deretur poteſtas, quàm fusè ſolverentur; inceſſus, ex mœrentium more debilis, ut curis fractam, victamque dolore non dubitares.

Neque tamen ſic ſæviſſimum parentem movit; pugnabat in filiam dira cupiditas; & crudelis amici conſilio violentior pater, de pretioſo conjuge ita gnatæ loquutus eſt, ut iuberet accipere. Et nunquid voluntati meæ non obtemperabis, inquit; Ergo non licebit mihi virum eligere, quem tibi magis, mihique probaverim? à te legem accipiam, ego pater & ſenex? ætatis es, quæ non ſapit. Ut fortunæ tuæ melius ſit, iſta affectuum dulcedo exuenda eſt, ex quâ metiris annorum quietem, ac ſolatia matrimonii. Vide Principes, exoſas ſæpiſſime ducunt; amori præfertur fœderum neceſſitas, neque ſympathia nubunt, ſed utilitate & conſilio; accipiunt ſæpius, quos nunquam videre, niſi forſitan ex picturis mendacibus, quarum forma ideam artificis reddit, non virginem, de quâ maxime quæritur: neque tamen ſe miſeros dicunt, ſe infauſto cupidine nuptos, cum aliud, quàm quod inſincere penicillus adumbrarat natura oſtenderit.

An tu regibus in amando delicatior? diſce iungi, non ex naturę arbitrio, ſed ex prudentia Parentis, cuius eſt coniugem gnatę ſuæ

tradere,

tradere, ne videatur illa, si se audiri, si se consuli vel leviter optat, nimium de sponso cogitavisse. Decentiùs maritum ex aliorum oculis, quam ex suis pudor æstimat; laudatur in virgine illa simplicitas, quæ jubente tantum patre, amorem concipit, ponitque, si ad ditioris proci accessum, quem ille recens probaverit, ardere jubetur utiliore incendio.

Suspirabat illa, cùm hæc ardens pater diceret, & ut facultatem obtinuit, sic breviter ore demisso loquuta est. In filiam quantum tibi imperium natura concesserit, non ignoro certè, pater; in culpâ sum, si quem nolis, amaverim: Sed an crimen virginis putas, quod ad viri alicujus nomen horreat, quæ ex pudoris ingenio posset summâ cum laude vel omnes aversari? Ad hæc verba hæsit quidem aliquamdiu pater, sed mox, æquali obsequio, inquit, odii leges atque amoris à parente puella, si sapit, accipiet; neque pudor est sic rigidam esse, cùm flecti juberis, sed animi pervicacia. Ergo ne te diutius lateat consilium meum, virum hunc, cujus odio teneri te dicis, generum volo: gratum tibi necessitas, ipsaque consuetudo faciet; magna amoris incentiva erunt, fortunæ, quam nondum capis, gustus; pretiosissima; qualis esse Principum solet, supellex; aurum, gemmæ, ad triumphi speciem accedentes currus; mensa Siculis æquanda; pedissequarum grex; denique opum ille rumor, ac luxus, qui familias reddit honoratiores, matronasque (quod defectu facultatum præstare nobilis affinitas haud potest) in summam felicitatem asserit.

Cæ-

Cæterùm, quod vir iste non multo ingenio polleat, rerum tuarum incrementum puta; potieris tu pecuniis, quas tantis precibus, tantoque patientię ambitu obtinere à subtilioribus maritis tot uxores nequeunt; non clam ac timide negatas opes in tuos usus subtrahes; caput eris viri tui, imperabis ad nutum. Neque futuræ proli timeo patris illam tarditatem, quæ tantopere (ut ais) ab urbanitate discedit. Heroum filios magnâ ex parte pecudes fuisse, referentibus libris, novimus; & hoc natura videtur egisse, ut in collocandis suis virginibus parentes virorum fortunam maxime perpenderent, non illorum mores, genus, aut denique ingenium. Tùm puellæ abire permisit, monitæ prius, ne nuptiarum quæ parabantur in crastinum, celebritatem ominosam faceret sua mæstitia, aut turbaret suis fletibus.

Sequebatur lugentem Gyges, at illa vix patris conspectum declinarat, cum in suum conclave se recipiens, terribili silentio, maiorem verbis desperationem professa, utraque manu comas divulsit. Ad acerrimi doloris improvisum spectaculum celeres advolant cum cęteris virginibus famulę, tantoque ejulatu furentem circumstant, ut ad hos clamores Gygi sua firmitas exciderit. Dum flet ille secretisque querelis acerbissimum patrem devovet, in deliquium labitur miserabilis puella, & mortis speciem, solutis artubus, ac converso circa cor sanguine, casus ostendit. In tam subitâ clade longum erat vini subsidium expectare à servulis, nec aderant, qui darent con-

confusè poſcentibus. Propiore igitur auxilio perditum colorem, ac propè damnatam vitæ ſpem, in jacentis os conſperſa gelida (quæ tum fortè fovendis floribus recens allata fuerat) utcumque reſtituit. Mox tanquam ignoto loco errare lumina cœpere, omniumque vultus pavidè intueri. Languidos oculorum hebeſcentium motus incertoſque, ſequuntur, qui vix poſſent à circumſtantibus percipi, gemitus: & ut paululum vires collegit natura, potuitque verbis indicare, quid tantùm doleret, horreretve, hæc prima vox audita eſt. Nubam! & huic viro nubam! & cras nubam! neque mihi induciæ ſaltem dantur, ut reluctantem animum ea mora poſſim meo fato conciliare! Non ſatis eſt me perire, niſi & cito peream!

Turbata deinde petiit, an cimba Charontis ſolviſſet à portu; ſe enim velle in illam admitti, nec quid magis tunc optare. Deſperantis ac perire volentis verba hæc erant, & quod in ſuam perniciem preſſiſſet cautior ratio, illud non obſcurè promebat animus haud compos ſui. Plura, ſed quæ non cohærerent, ſæpiùs iterantem in lecto reponunt, adductiſque plagulis, ne lux neceſſariæ quieti importunè obſtaret, exorabilem patrem, ac placidos virgini ſomnos optantes, abſcedunt ſilentio.

Poſtera dies, quæ nuptiis deſtinata erat, flentibus atrox fuit: nondum enim aurora venturum ſolem nuntiaverat, cum puella, ante quàm ad obſequium accederent famulæ, extremum ſpiritum egit, ſive ipſo dolore ſoluta, ſive (ut plurimi conjectabant) pharmaco

ma-

maturavit fatum ſuum. Hinc civium, quotquot audivere, murmur, publicè optantium ut unius pœna diſcerent cæteri patres, impares nuptias certiſſimis calamitatibus vindicari; neque liberis fauſte imperari matrimonia, quæ niſi ſint animorum, conciliante natura, crudeliter fortunas ac corpora miſcueris.

Tantæ virgini debebatur egregium funus: & ut Gygi relatum eſt; pompam data die jam incedere, feſtinavit ad templum. In eo locus erat, ſuis cancellis à populo liber, ut cadaver inter ardentes cereos pulloſq; ornatus extra turbam ſiſteretur: In hunc opportuno tempore ſe contulit Gyges, ne plebi admixtus, ex craſſitudine corporis, aut veſtium tactu proderetur, qui tamen latere conſtituerat, in id conſilium profectus cum annulo.

Dum ſic ad maximæ rei eventum ſe præparat paternę ſævitiæ ultor Gyges (nam hoc erat in animo) procedunt ferales exequiæ, & præmiſſis qui virga & voce ſubmoverent immodice curioſos; ſtatim ut ſe ſcindi tulit confertum vulgus, qua patebat via, triginta virgines opertis vultibus in candida veſte templum ſubeunt: Singulis ſua fax quam & circumducti flores ornabant in ſymbolum pudoris, æqualibus ſpatiis dividebantur, ad longiorem pompam inceſſu graviſſimæ. Funebres puellas ſequebatur ſacerdotum numerus ingens; hos proximè funus ipſum, in capsâ exhibitum cunctis, virginis corpus pretioſiſſimis induerant: capilli de more nubentium ſparſi, ultimo ancillarum officio diſcriminabantur in annulos; & quia brevis ægritudo puel-

puellares genas non exhauserat, sub ipso pallore ita formam servaverat vultus, ut movere lachrymas vel crudelissimis posset, & etiam post fata placere spectantibus.

Feretro accesserat inexpectatæ tragœdiæ author, cum destinato coniuge, virginis pater, quem altè suspirantem, suisque prope lachrymis occæcatum, nemo tamen nisi iratus intuebatur, sentiente turba, juste illi humanitatem negari, qui ea caruisset. Digna quidem comploratione ejulantis proci fraudata spes (neq;enim crimen viro fuerat in eos affectus exarsisse, qui superassent humilitatem natalium) verùm major erat defunctæ virginis casus, quàm ut aliud posset plebs clementer intueri ac plangere, in illius cladem atque ora, tota se effundebat miseratio.

Patrem, & procum pari gressu sequebatur nobilis affinitas: ampliorum amicorum numerus, maximeque eorum, qui communiori charitate, nec atrata veste, lugubres tamen sub modesto cultu pompam auxerant; silentes hos binosque suis indentes lineis, subito tumultu excipiebat virorum ac mulierum promiscua multitudo, ex vulgi genio ipsiusque funeris conspectu, ne acerbissimæ sorti viderentur denegasse suos gemitus intemperanter clamantium.

Eo ordine in templum admissis exequiis depositoque cadavere, vix populi rumor sedatus est, ut qui laudationem funebrem in virginis dote, instituerat, commodè posset audiri. Compositâ multitudine, aliud omnino pronuntiavit suo tectus annulo Gyges, quàm

quàm quod à publico oratore corona expectabat. Eam vocem Gygi concesserat natura quæ non solum in omnes tonos flecti facillimè posset; sed etiam ab imo pectore ita trahi, comprimique in faucibus, ut cum vellet, proximo cuique tanquam distans loqueretur. Hac arte, juvantibus fraudem amicis, multos luserat, & defunctorum querelas tanquam ab remoto loco insinuarat stupentibus. Nec dubitavit magna adstantium auscultatione, ipsiusque patris terriculo (quod maxime optabat) loquuturum se, si præmisso gemitu, ad defunctæ caput situs, velut umbra properatę mortis ultionem reposcens, ita diceret:

O me, sævitiâ parentis citius raptam quàm natura voluerat! Virginem plangite, virgines: concivem cives. Non is dies meus, qui tulit: in plures annos genita heu! mature nimis præcisa sum, & adolescens, cogor umbris misceri. Occidisti pater; non succis, non ferro, non fame; sed imperio. Quid fato insultas, tanquam non siverit gnatam tuam diutius vivere? Ipse tu, fatum meum! ipse tu infaustum sydus, quo premente damnata sum. Ademptam luges, qui funeris legem dedisti? Sub astro mitiore futura superstes citò auferor, quia meis præfuisti natalibus.

Fruere, fruere cineribus meis ò crudelissime mortalium! & nunc qualem voles, cadaveri sponsum trade.

His dictis, in confusa lamenta vox effusa est: & ut recedentis umbra esse crederetur imitatione motus sensim imminutam Gyges finivit silentio.

Cess-

Ceſſante Gyge, quid in ſubitis poſſet cujuſque affectus ſtatim ex vario adſtantium rumore innotuit. Toto templo trepidæ voces, ſuſpiria, minæ concionem partita ſunt.

Plures tamen in vindictam proni, acerbè muſſabant, ſparſimque, audiente patre, ſerpebat indignantium vox, eum inique vivere qui filiam peremiſſet.

Paventem, & jam de ſuo periculo ſollicitum monent amici, ut ſpectante plebe, ad corpus virginis accedat, veniam ab illa exoraturus; ſic enim & poſſe ſedari animos multitudinis, & defunctam placari. Dum ille conſternatus gemit antè feretrum, poſtulatque ſibi ignoſci ſævitiam ſuam, ſubtiliſſimo conſilio Gyges in adverſam partem flectit virginis caput, ut videretur illatæ injuriæ memor, nec parentem audiviſſe. In eo quoque motu, terribile cunctis fuit, quòd ad acceſſum patris, cadaver copioſum ſanguinem naribus emiſit, tanquam ſuum interfectorem non ferens, amoveret prodigio.

Viſo cruore, vix continebatur populus; & ne ampliori odio moveretur ad ſpectaculum, detractis ornamentis, in apertam humum citò condi virginis corpus curavit nobilium prudentia, ſicque pavore magis ac tumultu, quàm religione & precibus, totum funus peractum eſt.

Maximam urbem ſtupendi eventus adeò pervaſit ſubita fama, ut cæterarum rerum cives per dies aliquot viderentur obliviſci. Optandæ novitatis cauſa, rumor: Poſthac enim nullus inventus eſt, qui in liberorum affectus

crudè

crudè suâ potestate uteretur, & ad æquitatis normam mitigatum est imperium. Timebant Numinis vindictam: acerbas, neque placabiles territæ conscientiæ querelas: Umbrarum reditum: ipsiusque familiæ cladem, si conjugiorum iniquitate, sese in opes erexisset.

Nec contentus Gyges patrem in templo turbavisse, sæpè quoque, ne quietâ nocte uteretur, inter tenebras, circa jacentis lectum, novos questus edebat virgineis gemitibus persimiles, attonitumque citabat ad tribunal.

Satis vexato viro illo, ad aliud Gyges, non minore pietatis fructu, solertiam suam transtulit. Civilibus licet officiis per totam Galliam necterentur populares, non omnium tamen una erat religio. Quod sensibus altior esset Catholica veritas, ac sæva nimis voluptati, plurimi à paternis sacris defecerant: nec plebejus tantùm error; etiam divites familias hæc pestis afflaverat, & ubi commodioris fortunæ tepidis Catholicis spem subjiceret errantium affinitas, indiscretè cum illis contrahebant matrimonia: nec arduum erat, sacerdotes invenire, qui vetitas nuptias suâ præsentiâ, suoque suffragio comprobarent.

Hinc tamen & subversionis periculum, & quotidianæ conjugum rixæ, liberorumque, ferè semper, circa veritatem Christianam ambiguitas: nam quid ex pugnâ parentum collegeris, præter istud; de rebus divinis nihil dari certum mortalibus, & quæcunque insectatur unus, defendit alter, in disputantium quasi ludum esse problemata Evangelii?

Subfuscam prolem gignunt candida uxor,

& vir æthiops, ut parentes ignorari prorſus nequeant, amboſque proponat in liberis dubius ille color, qui nec ater, nec albus eſt. Haud profectò ſinceriùs, Gygis ævo erudiebatur ſoboles in illis familiis, ubi patre ac matre, ex varia inſtitutione, diverſa credentibus, continua erat animorum ſermonumque diffidentia. Fluctuabat inter illos duplicis fidei turbines anxia domus: vel in firmitatis ſpeciem, patribus filii, matribus gnatæ accedebant, ut in eligenda religione, non veritatis, non recti, ſed omninò ſexus, ac ſuaviſſimæ conſuetudinis ratio haberetur.

Audiverat Gyges, virum divitem, at hæreticum, qui puellæ Catholicæ nupturus dicebatur, eſſe in procinctu matrimonii. Conſenſerant ex utraque parte parentes, & ut quiſque mutuo conſilio conceptas conjugalis pacti leges propriâ manu firmaret, in virginis domo (nam hoc ſexui debebatur) ſtatam diem elegerant: Facto non multo poſt conventu, conſcriptam, expoſitamque adſtantium oculis ſperati matrimonii tabulam nondum ullus ſuo nomine auxerat, cùm illicò turbandis amoribus haud vocatus Gyges adfuit, abſtulitque omnes calamos, ut jam nemo poſſet exarare, quod ad publici inſtrumenti fidem pertinebat, ſtatumque nubentium.

Sic ademptis æquiſſimo furto calamis, ſubitum inter Catholicos dubium fuit, an Deus probaret ejuſmodi nuptias; an qui ſuo aſſenſu promoverent, ad ſummi judicis conſpectum haberentur innocentes? Firmiori mente virginis pater prodigium acceperat, avidus opum,

opum, nec facilè consensurus, religionis intuitu consilium suum distrahi, spemque dulcissimam evanescere. Sed cùm novos peteret calamos, moneretque leve hoc esse, quod assidentes turbaverat; stupuit ipse, ubi sensit occultâ vi sibi contractum eripi, quem habebat in manibus, licet contra conaretur. Tremuerunt cum illó & cæteri, ut jam, vix collatis sermonibus, tanquam Deo significante, quid vellet, omnium consensu solverentur sponsalia.

Attonitam præ cæteris virginem ita solatus est Catholicorum unus, sibi commodiorem virum servari à Deo, qui hunc manifestò improbavisset. Pertinere ad Christum omnes Catholicos, neque sine illius injuriâ mysticas ejus partes matrimonio jungi partibus illis, quibus aliud caput est, quàm quod Ecclesiæ pręficitur ad regimen ipsius: illa unione monstrum effici ipsâ chimærâ deformius: nam quid, si membris Domini membra draconis adhæserint?

Horribile quoque esse è duobus conjugatis unum semper iræ Dei subjacere; haberi Majestatis ejus hostem, damnarique, si decedat sententiæ suæ tenax. In illa conjugis jactura nihil inveniri, quo soletur orbitatem suam Catholica mulier: quicquid enim dicat ratio, istud majus est; sperare mariti salutem ipse mihi Deus prohibet: periit, nunquam redimendus: vivam felix, ego caro ipsius, cùm ille comburitur?

Quod in illis ædibus dictum, actumque fuerat, postea rescivit tota civitas, neque dein-

 ceps

ceps Catholicis extra Ecclesiam matrimonia quæsita sunt.

FORTUNA IMMEMOR.

SI quis è templorum fastigiis jacentes circùm terras conspiciat, vertitur pavore cerebrum, nisi stiterit aut insita animo audacia, aut ipsa videndi consuetudo. Aliquid simile accidit his, qui è fæce vulgi ad sublimes gradus, amplissimasque opes pervenere: nam debile caput vehementissimè concutit sortis illius novitas, quæ plebem abjectè miseram tanto celsitatis intervallo infrà se intuetur.

Inter copiosè divites, vir erat, ut ferebant porcario patre genitus, verùm cui animus ad tot facultates adeò intumuerat, ut pristini status, ac consanguineæ paupertatis, quæ in ejus adhuc cognatione per notissimos agros pecorum curam agebat, non viderentur meminisse.

Regiis negotiis, ut sua curaret, diu ac variè implicatus, ex illo munere se spectabilem, ac plurimorum fortunis pernecessarium plus justo advertens, optabat assiduâ petitorum concursione, quibus (& ex composito) non semel colloquium negabatur, strepere aream suam, in amplius intolerandæ superbiæ spectaculum. Ad hanc frequentiam tanta hominis lætitia erat, ut ex cancellis, quibus tegebatur, adventantes quosque, aut abscedentes ex tædio, otiosus ipse, & eum familiarissimis colludens sæpius conspiceret.

Nul-

Nullus primo congressu ab inflato aliquid unquam adeptus erat; procrastinabantur quæ magis urgebant; & etiam quæ vendebat beneficia, lento gradu procedebant, ut ex morâ fortius sentirent, qui erant recepturi, ex illius arbitrio pendere fœlicitatem suam, ac nisi miseraretur, posse neminem debitas pensiones accipere, aut armorum stipendia; redditi juris pactam à Principe mercedem, vel denique regiis donis frui. Ipso salutationum usu, vanitatis gustum adeò sibi fecerat, ut licet fatigatus sæpè quereretur miserum se, qui tot honores excipere quotidie cogeretur, illis tamen haud posset satiari.

Hominem istum non tantùm videre cupiebat Gyges, sed & sanare, si posset; in id conducebat, superbiam viri ad sua natalia revocare, ideoque Gyges secum tulit, unde illam validè comprimeret.

Eo domum subeunte, nobiles equos agasones aliquot ducebant ad flumen, ut lavarentur, ac biberent. Inter eos mulus erat, disciplinæ impatiens, & in prolixis auribus, omnibus equis gloriosior: quem ut vidit Gyges, Domini sui (inquit apud se) imaginem præfert mulus iste; neque enim meminit se asino patre editum; fratres habet, qui pistrino quotidie serviunt, dum nimio esu impinguatus recalcitrat, & phaleratus per urbem graditur, aut nitet in stabulis. Ridiculum animal, improbè etiam genitum, & tamen ipso Alexandri bucephalo superbius. Quàm verum est, in abjectiori tumidiorem esse solere arrogantiam! fræno generosi equi obsequuntur, duci se sinunt; au-

ritus iſte rudentis aſelli filius ire renuit, jactatisque impetu calcibus rectorem ſuum conatur excutere.

Quid in beſtiâ Gyges notaverat, illud quoque in divite mox advertit, cum ad ejus cubiculum perveniſſet. Aderant multi: ille omnibus medius, omnes ferè increpabat, quòd feſtinantiùs vellent perfici negotia, quàm poſſent. Tot petitoribus non ſufficere principis ærarium; facultates ſuas Regem haud ſatis noſſe, qui tot penſiones, tot dona ſæpè immeritis concederet: largitiones niſi caſtigaret ipſe, brevi nihil ſuperfuturum ad graviora regni negotia: denique recederent, ſeque quieſcere tantillum paterentur, quem jam tot anxium curis, immodeſtis etiam petitionibus ad tædium uſque vitæ perduxerant.

Silebant plurimi, & quibus major fiducia erat, demiſsè requirebant, ut liceret breviter loqui; neque enim poſtulata ab æquo deflectere: ſed ex prece iratior, cum jam terga verteret, ſoleas ligneas Gyges, quas de induſtriâ attulerat, ante illum ponit, ut ad ſtirpis abjectiſſimæ recordationem utiliſſimo pudore ſuffunderetur. Viſis quales olim puer in domo parentis induerat, & ipſe ſordidiſſimi gregis paſtor, ſimulq; ignoto qui eâ cavillatione anteactam egeſtatem exprobrarat, eo furore accenſus eſt, ut omnibus qui aderant gravia minaretur, niſi contumeliæ authorem illicò proderent. Sed omnes cum juramento negabant (ut res erat) ſcire ſe quis illi ſic illuſiſſet. Cum diu ex vultuum inconſtantiâ ac incertæ vocis indicio fruſtrà quęſiviſſet in arcanum illud penetrare, &

& jam aliquos videret non ſatis à riſu cohiberi, dolore frendens, nec quid ultrà loquutus, quò liberius excandeſceret, in proximum cubiculum, comitante Gyge, ſe proripuit.

Mene, inquiebat, in domo meâ ſub tot virorum conſpectu ludi, nec poſſe hoſtem agnoſcere, in quem ex merito mea tela dirigam! ô dolor! quiſquis læſit, ſecurus fruitur malo meo, ridet inſcium, quòd accepto vulnere, mihi ſic omnino vindicta perierit. Verùm tandem agnoſcam; illatæ contumeliæ gaudium hominem prodet; non diu tacebit, qui ex probro meo apud malevolos laudem ſe conſequuturum arbitrabitur. O non expectatum, poſt tot annos, ac in tantis opibus, dedecus! Quis fuiſſem jam omnes penè ignorabant; ſtirpis meæ maculam, quàm benè velabat novus ſplendor, uxor nobilis, mutatum quoque non infelici induſtriâ nomen! ne quis meorum qui in agris tenuiter degunt, ad me accederet, curaveram ſedulus; quid profuit calliditas? quid omnibus penè votis amica fors? Ecce inimiciſſimus homo recentiſſimè detegit quod tempus, & maximè opes tam altè condiderant, & ut cito, qualis olim fui, tota urbe innoteſcam, mox per ſingulas domos cum cachinno iſti garrient, qui acceptæ injuriæ teſtes fuêre.

Hæc cum ille conſternatus, ac fletu gravis quereretur; ſervus quìdam rudis adhuc, & è villâ recens, ligneos calceos quos ex altero cubiculo tulerat, ne quis ſurriperet, attulit ad dominum, ineptè poſtulans ab irato, quid de illis fieri optaret: jam acerbum in rabiem egit in-

fulfi hominis quæftio: injuriis, pugno, calcibus fignificavit quantùm ifta averfaretur, addiditque fe famulum cum foleis perditum velle. Servo fugiente etiam Gyges egreffus eft, ne fi junctis ex ira foribus, in illo conclavi diutiùs hærere dominus vellet, & ipfe remorari cogeretur. Tum fic apud fe Gyges; benè eft, fanitatem polliceri videretur ifta commotio; ardet, fudat: fi frigidè hæc accepiffet, defperata res erat: fic morbus excutitur: timebit deinceps infolenter fortunâ fuâ uti, diu continebit faftidientem hujus diei memoria.

Poft hæc, ad contumaciam viri iftius, in mentem rediit libertinorum illorum vetus arrogantia, quos Principes fui traditis imperii facultatibus, ut ditiora fe mancipia dicerentur creaviffe, vocaverant ad pileum. Talibus (cogitabat Gyges) publicum ærarium credi, ingens certè Romanæ dignitatis probrum erat; verùm & majus, quòd illorum fævitiam ferre patriciæ familiæ cogerentur, & ambitiofas abjectiffimorum hominum fores, totos dies obfideret deprecantium habitu circumfufa nobilitas. Quotquot ex præcipuis ftirpibus, tanto obfequio, tantâque patientiâ pecunias ab immiti manu extorquere laborabant, fodinis dabant operam, ex quibus plus fudoris quàm auri fibi caperent; & quofcumque Imperator, velut percepturos fpectatiffimæ virtutis præmia, ad ejufmodi viros remittebat, fub honoris & auxilii fpecie damnabantur ad metalla. Vindicabat eo modo fe confcia fordium fuarum humilitas, & tanquam natura peccaffet, quòd nimiâ obfcuritate fervorum fatum dejecerat.

cerat, mancipia ortus sui culpam eâ duritate referebant in nobiles.

Quia abjectè natus est iste vir, pœnam luunt, qui honestis parentibus sunt editi; nihil placidè loquitur: tanquam tota vita iratus, omnibus pene infestus est, qui ad illum accedunt. Hos verbis, alios vultu, quosdam silentio suo exturbat, ut si tandem cogatur tradere quæ justissime petuntur, nemini fuerit officiosus, quem anteà non læserit.

Sed an fortè humanitatem abjicit, non quod severitas re ipsa placeat, aut ad vindicandam generis sui ignobilitatem sit tumidus; sed quia rigidum esse, & procrastinare solutiones, ad fortunam suam confert?

Certe audivi à multis victam sæpe petitorum patientiam eò devenisse, ut crederet se non male haberi, si partem acciperet. Ubi hoc verbum sonuit, dicunt istum hominem non omninò intractabilem esse, ac dicere solitum; ærarium quidem Principis exhaustum; sed ne diutius expectet petitor, se de suis quod tum potest, non tamen sine aliquo domesticæ fortunę incommodo, libenter daturum in promptiorem solutionem. Si hoc ita est, ô utilem simulatæ iracundiæ ludum! ô acerbitatem quæstuosam! diu negat totum, ut qui toties frustrà postulavit, tandem tædio dejectus, ad iniquissimam conventionem accedat, & dato mendaci syngrapho (quasi nihil negaretur) abeat lætus; cum tamen partem unam invitus concesserit, ut alteram emeret.

Sic philosophante Gyge, per totam urbem contumeliæ rumor spargebatur, quam incer-

to authore acceperat fastidiosus ille vir, qui porcorum suorum videbatur oblivisci. Et mox imitatione injuriæ, plurimi, nocte oborta, ad illorum divitum ostium quos sua fortuna inflaverat, varia ponebant, quæ pristinæ sortis admonerent immemores. Stramineos pileos, cultros recenti madentes sanguine, lagenas, prout vel in villis olim pastores egerant, vel in carnario laniones, aut in tabernis vinariis œnopolas; & locus proverbio datus est, quoties aliquis è pulvere ad opes & ad munera assumptus insolescebat, calceorum memineris.

BIBLIOTHECA DIVITIS.

SÆpe non res habent, sed duntaxat rerum titulos pharmacopolarum loculi, & ea nominum vanitate solatur inopiam suam artifex pharmacis destitutus. Istud quoque in plerisque hominibus advertas: ubi se optimis vacuos sentiunt, signis student; ambiunt præclarissima nomina, quemadmodum ille Imperator, qui se Herculeum dici voluit, cum tamen nihil Herculis haberet præter spolium leonis, ac clavum; hæc enim quocumque pergeret, secum deferri impendio curabat, & suis etiam numismatibus cælari, ut ex Herois insignibus crederetur fortitudini ac victoriis natus.

Talis erat Gygis tempore quidam homo imperitus; sed præpotens, qui, ne videretur illite-

literatus, ingentem bibliothecam ſtruxerat. Mortua ſine liberis uxore, ſuſpicioſo homini ſecundæ nuptiæ non placuerant, & odio hæredum ſtatuerat in ſuam famam conferre, non annuos tantum reditus, ſed & latiſſimi fundi qui hos dabat, maximam partem, ne inultus decederet. Præclariſſimas lacunas facile invenit effundendarum opum conſilium: Gymnaſium ædificavit ſuis ſumptibus: in rurales delicias domum conſtituit, decimo ab urbe milliari, quaſi in ipſam naturam pugnaret, ita non ferens objecti collis interjectu ſibi patentioris agri proſpectum eripi, ut immenſa pecunia intra breve tempus tolleret.

Librorum præcipuum ſtudium fuit: vetuſtiſſimos codices diligenter conquiſitos carè emebat, nec faſtidiebat neothericos, quaſi ingenii ac doctrinæ detractio eſſet novitas laboris. Literatos habebat qui omnes ætates, omnem ſtudioſorum penum accurate ſcrutarentur, nam quidquid ab orbe condito, ad id uſque tempus, omnibus linguis præcipui authores ſcripſerant, volebat in bibliothecam ſuam congerere, ne ea ſedulitate videretur Philadelpho inferior.

Tot accipiendis voluminibus ampliſſima aula conſtructa eſt; & brevi in eum ordinem repoſiti libri, ut facile eſſet ex illorum diſpenſatione agnoſcere inſtitutum ſcriptoris. Cuilibet ingredi volenti ſtatis horis apertus erat locus; & ad ſtudentium commodum, adeò familiarem habebat tantam illam voluminum ſupellectilem bibliothecæ cuſtos, ut nullo negotio quærentibus traderet quodcumque peteretur.

Receptus Gyges in vastissimam illam mortuorum Academiam (æquum enim ita vocari tot sine vitâ magistros, quos intelligis, consulisque silentio) miratus est literatam opulentiam. Studiorum causâ aliquot illuc viri convenerant; sed non prius quid legerent, aut quid scriberent voluit scire Gyges quàm librorum ordinem levi circuitione percurrisset. Ubi tot hæreticos vidit sanctis patribus admixtos; quid isti hirci faciunt cum ovibus? ait, non satis erat illos judicem Christum ab invicem separavisse, ut dives ille, cujus libri sunt, domini sui sententiam sequeretur? Cæteræ literaturæ bonum odorem corrumpit immanis fœtor. An fortè de Religione ambigit problematicus homo? & fluctuanti, ex prudentia visum est, ea apud se tenere arma quibus posset Ecclesiam ad arbitrium oppugnare, vel tueri? Non video quo symbolo amicas acies distinguat ab hostibus; nam pari omnes apud illum honore habentur. Quis huic potestatem fecit recipiendi veritatis inimicos? licet vitâ jam careant, nocent tamen; & quid frequentius, quàm putidis cæsorum cadaveribus, cum timeri desierunt & solo aëris vitio pugnant, victores interire?

Cum nuper in suppellectile magnæ cujusdam mulieris, quæ paucis abhinc diebus decessit, arcula inveniretur venenis referta, quorum & usum docebat; simul & antidota, suspectam habuerunt omnes diligentiam illam, quæ non remedia tantum sed malorum causas ab Italia sibi mitti tanto secreto voluerat. Est certè cur interrogem quibus succis homo sanetur; quanto

to tempore pati ſuum auxilium æger debeat, non quâ pernicie certiùs tollatur, quæ toxica lento odio, aut pręcipiti iræ, retardatione vel feſtinatione interitus fideliùs reſpondeant: hæc enim noſſe non prodeſt, & in ſecretæ ultionis commodum, periculosè tenetur quidquid ſollicitat innocentiam. Quo animo vir iſte tot peſtes collegit? Quid de probitate illius cogitem, qui tàm exitio providit, quàm ſaluti legentium? perire volet aliquis? ad bibliothecam pergat; illic inveniet unde corrumpatur fides, concipiatur impietas, mores ruant, quos antea, ne dilaberentur, continebat certa ſui Religio. Sed hîc quoque remedia ſunt, dicet? Ineptam ſemicatholici excuſationem! ut ægrotos ſanet, morbos efficit; vipereum virus potandum lectoribus tradit, ut quid poſſint in illud ſua antidota, norint quicumque volent tanto ſui periculo experire medicamentorum efficaciam. Beneficium non eſt, nocere ut proſis; nullam gratiam illi debeo, qui ex me ſcire voluit quàm bene ſanaretur acceptum ab illo vulnus.

In agro Campano ſpeluncam eſſe ajunt, in quam ſi canem projicias, venenato terræ ſpiritu ita ſtatim corripitur, ut tanquam mortuus jaceat; vires reddit proxima palus, ſi deficientem opportuna aqua merſeris. Ancipitis doctrinæ Bibliotheca hæc, & in contrarios effectus parata, peſſimè afflat animos, quibus poſtmodum, ut creditur, certiſſimum robur datura eſt; ſatis erat ſi lacum, non ſpecum imitaretur; ſi optimos quoſq; haberet authores, expulſis his, quorum tabe aliquando pietas nunquam inſtauranda

cor-

corruit: nam ubi guſtum ſui fecit pernicies, timetur ſanitas, & frequenter ita volentes perimus, ut non majori ſtudio hoſtes fugiamus, quam medicos. Auſtera ut plurimum veritas; familiaris error eſt, vitiis amicus & curioſis animis multùm placens: prohibitę lectioni ſuavius incumbent qui huc venturi ſunt, quam ſeveris illis monitoribus, qui ut neminem fallunt, ita & neminem palpant, docentque ſincerè quid de divinis credere, quid agere inter humanos oporteat.

Seriam noſtri Gygis meditationem res non injucunda ſuſtulit. Putabat virum illum, qui ingentem bibliothecam tanto ſumptu conſtituerat, doctiſſimum eſſe, omnibus linguis inſtructiſſimum; ſed non diù in ea opinione fuit. Duo viri quos longior lectio fatigaverat, ad modicam remiſsionem ſubmiſsâ voce fabulabantur; his admotus Gyges audivit utriuſque de divite judicium. Unus ajebat; quoties volet pecunioſus iſte in ignotæ linguæ regionem ſuccedere; ſatis erit ſi bibliothecam ſuam intret, tota enim illi barbara eſt; neque hominem libri novere, neque homo libros. Alter eleganti ironiâ: Et inde mihi maxima viri exiſtimatio, inquit; commendatur enim præcipue in exteros charitas; Recipit, veſtit egregie plurimos ſcriptores iſte vir, cum quibus tamen non poteſt miſcere colloquia; ſufficit viro ad prolixam humanitatem, ſi moneat aliquis, Syros, Hebræos, Arabes, Græcos adeſſe, qui ab ſolo patrio veluti extorres, in Gallia hoſpitium ſibi concedi poſtulent: ad illorum conſpectum exultabundus geſtit; & quod officioſo ſer-

ſermone advenis teſtari haud poteſt, id comitate vultus profert, lætoque ſilentio.

Verùm ſi non charitati ſed ambitioni tribuis, quod tot ignotos, ſibique elingues clementer habet; & hoc excelſiſſimi animi indicium puto. Illi orbis domitores quorum impetus nec ſe ipſe comprimere poteſt, nec ripas pati, haud curant qua lingua civitates loquantur, dummodò ſuæ ſint. Putas Alexandrum abſque interprete intellexiſſe tot populos, quibus imperium ſuum auxerat? Non ingens cenſetur Principatus, qui uno idiomate continetur: gloria eſt, per explanatores rogari à ſuis; Ergo ne dedecus puta, hominem internuntiis egere, qui referant, quidquid authores iſti vernacula ſua loquuntur: inſcitiam facit poſſeſsionis magnitudo.

Vide ut iſta bibliotheca tanquam orbis quoddam ſimulachrum habeat ſuas regiones; neceſſe eſt in plurimis peregrinum eſſe divitem iſtum, qui ſua ditione omnes occupat; neque ſcio, an in ipſo Latio ſatis commode verſetur, cui certe non multum aſſuevit. Melius apud Gallos aget, dum nos in varias plagas feremur, ipſo ſinente, qui cum illis nullum poteſt ſtatuere commercium. Mirum eſt tanto affectu, tanta librorum cura literis ignorantiam conſuluiſſe. Sic aliquando Venus voluit loricam fabricari à Vulcano, criſtatam caſſidem, ocreas quibus ipſa non uteretur nec enim mollisſimæ Deæ; ſed armorum præſidi Deo incus gemebat ſub malleis; totum illud opus Marti fiebat, qui fabrum haud incitarat ut faceret. Fruamur & nos imperiti hominis

dili-

diligentiâ, ac labore, nobis ſtruxit non ſibi hæc varii generis ſtudiorum copioſiſſima ſubſidia.

Plura Gyges audire neceſſe non fuit, ut diſceret, neminem ex ſuâ bibliothecâ debere æſtimari, & quæ in veſtibus, in ædificiis, in ciborum nimio apparatu quotidie peccat, etiam non rarò in libris vanitatem inſanire. Non quicunque venaticos canes apud ſe habet, venator eſt, multis ſufficit ea impenſa famam quærere, ut appareat quàm ſint nobiles, quamque abſit à neceſſitate fortuna, quæ tam caro latratu delectatur: libros emere, qui domino ſuo nihil præter nomen conferant, idem furor.

Aliqui exterarum gentium arma, ſpathas, arcus, pila, ferratos barbara induſtria fuſtes diligentiſſimè conquirunt, non certè ut iis pugnent: ſed ut ad ſe divertentibus oſtendant, quot modis in ſe ſæviat humanum genus, quæ ſit odii ac vindictę variis in regionibus ſolertia. Haud diſpari animo aguntur, qui libros non ad ſuos quidem uſus habent, ſed ad ſpectaculum; ſcientiarum fautores imperiti; muti linguarum cuſtodes; adeò patientes contumeliæ, ut ſinant à tot ſcriptoribus, quos ante ſe habent ac ſuos domeſticos effecere, ſibi quotidie exprobrari inſcitiam ſuam.

Viris iſti callidiores ſunt matronæ nobiles; formoſas enim pediſſequas cavent, ne pulchritudinis opinionem, quam maximè optant, deleat vultus præſtantior. Inter libros turpior eſt ignorantia, quàm ſi longe ab illis ſorderet; neque hoc tamen advertunt plerique divites, qui dum ad inanem pompam, tot vo-

volumina tanto pretio ſibi comparant, emunt quoque imprudentes ſuum dedecus : nam ſtatim quæritur de eruditione illius, qui tot eruditos convocavit, & probrum eſt, ſi reſpondeatur; cœco amore in literatos ipſum ferri, neque ſcire quid loquantur iſti authores, quos ad ornamentum ſuæ domus tanquam tabulas aliquas juſſit exponi.

Non omnibus, qui bibliothecam divitis inrraverant, idem erat propoſitum. Unus ab alto ſupercilio, ac inuſitata veſte, ſuſpicionem Gygi fecit aliquem eſſe ex iis, qui terrenorum faſtidio ſtellis miſcentur, & ab hominibus tanto intervallo ſemoti, propemodum ignorant, quis ſit cultus cæterorum mortalium. Et vere erat Aſtrologus, non de eorum numero, qui ſapienter cœleſtium facum curſus, fœdera, rixas ſcrutantur, docentque quàm varie proſint, aut noceant; quod verè illis ſit in regiones, & in ipſa hominum corpora imperium: nam hæc ſciri omninò poſſunt, & nemo peritus negaverit aliquas ab illo nobilium ignium cœtu leges dari, quibus orbis inferior nunc ſeverius regitur nunc lenius, & modò immodicis imbribus, modò ſiccitate laborat; leves morbos, aut civitatibus graves, ac quandoque ignotos admittit, vel læta temporum ſcire fruitur in exactæ calamitatis ſolatium.

Majora audebat ille Aſtrologus, & in profundioris amentiæ ſtudium, tanquam diutino errore non ſatis deceptus, adhuc ex antiquo codice inveſtigabat, quomodo hominum vitam ita ſtellæ definiant, ut nihil vel adipiſci, vel fugere poſſint, niſi ad præſcripta ſui ortus;

&

& quâ ratione quidquid videtur casus adducere, aut eligere voluntas, ad illa statuta referatur, quæ in nascentes lata sunt.

Magnificis verbis de futuro pronunciabat author libri; evolvebat omnes ætates, & imperantium syderum particeps, decreta illa explicabat, quibus (si credere dignum est) nullus homo se absolvit. Vitiis natos affirmabat frustrà in virtutes eniti : religionem concipi non afflatu Numinis, sed ipso syderum influxu : virgines necessariò manere, quibus suæ stellæ viros negant : beneficos homines esse, vel fures, prout in Jovem inciderint, aut in Mercurium : neque virtuti satis virium esse, ut ab improvisâ cæde, aut tristi sævitia abstineat, si ita Marti, aut Saturno placuerit.

Erat tunc major quàm anteà horoscoporum fides, & ea sæculi insania, ut, quovis modo aliquis libertatem impugnaret, illicò subtilis ac eruditus haberetur. Non futilem modò, sed prohibitam esse eam scientiam Theologi ostenderant; inspirante cacodæmone inventam, fotam; ut quilibet provocantes ad vitia stellas lubens sequeretur, in quas frustrà pugnaret, credereturque, Religio libertatis umbrâ orbem ludere, ac inepte eos præcipere mores qui rationi consentiunt; cum optimos, aut discordes legibus faciat non laudabilis conatus, vel incuriosæ vitæ ratio, sed omninò nativitas.

Ut solidè plures in perniciosissimum errorem scripserant, ita & jucundè aliqui; sed suprà cæteros placuerat ille, qui amœnissimo commento (quod quia breve est referam) tradu-

xerat

xerat Aſtrologos. Titulus erat, Aſtra Damnata. Hæc autem lepidæ fictionis ſeries.

In ipſo Olympi vertice, ſub frondeo tecto aliquos Deorum Jupiter ad convivium vocaverat, Saturnum ſcilicet, Martem atque Mercurium; & ne quereretur ſexus alter ſe à viris diſpici, Venerem quoque, & cum fratre Apolline, Dianam. Ut hilariùs epularentur, curas omnes Dii poſuerant, lætique plenis ſcyphis, quod alternis propinabat Ganymedes, bibebant ſuum nectar, cum ſubitò ingenti ſtrepitu, non ſine Numinum tremore, mons totus perſonuit; nam ex veterum gygantum fœlici propè audacia dudum timere didicerant. Repentini tumultus cauſa, aliquot nocentes, qui cum ob nota ſcelera comprehenſi, ante tribunal ſiſterentur, tanquam ipſorum Deorum ſuaſu ſanctiſſimas leges calcaſſent, totam criminum invidiam referebant in Numina, & adeò fatua plebs, ut ad primas nocentiũ voces, abjecta cœleſtium reverentia, clamaret, comprehendendos eſſe Deos illos, qui authores ſcelerum dicerentur; neque arduum facinus proponi, cùm omnes ſimul otioſi accumberent; & Jupiter ſuum fulmen, ſuam falcem Saturnus, Mars gladium, ut inutilia convivantibus arma poſuiſſent: nec tum potenti virga metuendus eſſet Mercurius, aut Latonæ proles ſagittis, quibus confoſſa Niobes familia momento interiit, & Venus iræ miniſtrum, qui noxiâ cuſpide feriret hoſtes, non duxiſſet Cupidinem: denique fatum, cui & Dii ſubduntur, ita de illorum ſorte diſpoſuiſſet, ut ſi feſtinanter in ſuprema montis conſcenderet

civium

civium manus, omnes unà capi possent.

Religionem omnem abjecerat vulgi furor, & sibi multum gratulabatur insania quod non homines petebat; sed Deos. Primùm quidem silentio conscendunt missi à cęteris cives; sed mox ut ad summam planitiem pervenere, & in ingens spatium effusi, locum ambierunt, ubi longo imperio fatigati ad curarum remissionem Dii diverterant, quasi fuga Numinibus præcisa, exultabundi, illum clamorem edidere quo convivii hilaritas simul, & Olympi quies excussa est. Neque mora: frondeam porticum subeunt, insalutatisque Numinibus una vox omnium erupit, postulari Deos, qui plurimorum scelerum accusati à consciis, si quid in patrocinium cederet, apud æquissimos judices causam dicerent.

Diis indigna visa res; sed consensum ab invitis extorsit necessitas, & multùm ad specimen innocentiæ erat, quòd libenter ad tribunal viderentur accedere. Ergo flente Ganymede Jupiter quasi volens suo Olympo deductus, cæteros Deos ita fato consentire docebat, ut etiam suæ dignitatis admoneret. Visis Numinibus tota civitas novitate spectaculi primum stupens, mox effuso cursu; ut etiam loquentes audiret, ad forum contendit; Illic Ptolemæus sedebat Radamantho rigidior, nec humanioris vultus senes undecim, qui ex eminentis scientię fama Urani vocabantur. Hos ut Mercurius vidit, in aurem Apollinis demissus, jam quid iste judex statuat scio, inquit, virum novi; nullum scelus ab hominibus patrari autumat, nisi quod compulsi peccant, adigentibus Diis &
eadem

eadem insania decepti senes isti, quidquid in virtutem pugnat, nobis impingunt, ut mortalium crimina ad innocentiam videantur accedere, dum nos authores habuerint.

Ubi hæc dixerat, siluit; nam quia cæteris cœlestibus eloquentior erat, & ex ejus ore pendebat optimæ causæ fœlicitas, quærenda erant argumenta quibus apud Ptolemæum se Dii absolverent. Interim urgebat tacentem judex ut oraret, non semel objectis criminibus quibus dicebantur suam sanctitatem polluisse.

Meditante diutiùs Mercurio, quo exordio uteretur, ad inopiam juris referebat rabida plebs cogitabundæ sapientiæ silentium. Tum Ptolemæus. Quid tu verò, Mercuri! qui ceteris dicendi copiam inspiras: tamdiù siles? aut fare, aut ut mutus pœnam cum tuis sodalibus subi; nunquid isti nocentes vestris consiliis sanguinem fudere? rapuere alienas opes? invasere toros; in cives quoque suos sumpsere arma patrię militię desertores? Nunquid & vestra etiam manu impulistis ad facinus? Non expectavit Mars donec Numinum interpres loqueretur, sed iracundia calens, iuravit per stygiam paludem (nam majus sacramentum Dii non habebant) flagitiosè ea sibi suisque sociis scelera imponi, negavitque mortalium ullum nisi sponte nequam esse.

Dum sic insultantium hominum, Deorumque se frustra purgantium mixtis clamoribus forum strepit, interim Dii minores fama referente audiunt quid illis septem contigerat, qui ut cæterorum principes majori orbis religione colebantur: & quia communis Injuria erat,

om-

omnes uno consilio, uno agmine festinant ad vindictam. Ingens Numinum turba: præcedebant tanquam lictores, Pallor & Febris, qui suo adventu amoverent cùm plebis, tum judicum audaciam: neque arma Diis ultoribus placuerant; sed verbera & fustes, ut ipso genere vindictæ maceraretur insolentium hominum in Deos temeritas. Non expectavit venientes concio: statim adfuturos esse ut rumor in forum perlatus est, diriguit primùm populus, mox ipso timore incitante fugere omnes, ut in illo motu facilimum fuerit reos, quos unà cum Diis adduci voluerant judices, debitis suppliciis elabi.

Ergo præter Ptolemæum suosque assessores qui præ senectute festinanter se subtrahere nequiverat, nullos Dii inveniunt quibus furorem admoverent. Stabant constricta loris septem Numina, & horrore spectaculi exacuebant cæterorum Cœlestium iram. Redditâ libertate postulaverunt, ut soli sceleris vindices essent, qui contumeliam acceperant. Annuere petitis omnes. Igitur Jupiter, Saturnus, Apollo, Mars, & Mercurius fustes sumpsere, ut viriliter ferirent; Venus & Diana virgas, quòd fœmineo ardori magis convenire viderentur. Tum in ejulantes Astrologos, frustraque obsecrantes sibi parci, impetu ruunt: & ut cœlesti iræ modum posuit vulnerum livor, cruorque, diu cæsis cædentes imperaverunt palinodiam.

Ea erat, ut faterentur, mortales suorum scelerum authores esse, non Deos: si quid influerent cœli iniquius, non eo cogi voluntatem huma-

humanam, suę pravitatis ut & probitatis arbitram, sed ad summum induci. Fortuita latere prorsus Astrologos, nec de illis scientiam dari quæ sponte vel elegit homo, vel respuit. Suppliciter tamen petentibus ne omninò damnaretur Astrologia quæ sic in Deos peccaverat, concessum est, ut de syderum motu quanrùm vellent loquerentur; & quia fabulas vendere consueverant, nec facilis est solitorum abstinentia, etiam permisere Dii, ut de morbis, de frigore, atque æstu, de siccitate, ac pluviis cæterisque hujusmodi impunè mentirentur.

Rationibus aliqui in Mathematicos pugnaverant; nec ardua res fuerat ostendisse eam virtutem fingi, quæ momento cœlis delapsâ, & ipsâ stellarum festinatione tam citò evanescens, totam vitam manciparet. Sub eodem syderum nexu plures quotidie homines nasci, quorum non una vivendi ratio, dissimilis fortuna; dispar exitus; & ineptè dici furere discordes ventos, fluctus intumescere, ipsum nauclerum oblivisci suæ artis, quòd aliquis qui navi vehitur, naufragii legem nascens acceperit; unaque genesis sit veluti pelagi fatum, quo cogatur statâ die agi in rabiem, ut ille destinata hora pereat quem omninò mergi suæ stellæ voluerunt. Ridiculum quoque asserere, ita convenire omnes causas interitus, ut necessario aquis ferri velit qui ad illas damnatus est, tunc cum paratur à natura tempestas, & infidum mare placidis undis vectores ad certum naufragium invitat.

Verùm quia falli homines amant, & fallere, quærebat adhuc apud judiciarios inanis Astrologus, unde ipse magis deciperetur, alios-

que

que eluderet, & ad suę artis vanitatem ampliores conjecturas, grandiora verba colligebat quæ daret lubentibus. Superstitiosum laborem! inquiebat apud se Gyges; sed & spei, si quid faustum promiserit, longissimum cruciamentum; deteriorisq; fortunæ, quam & pari audacia prænunciat; maturatam calamitatem! nam quis hujus artis fructus, nisi ut prolixa solicitudine commodos successus expectem, timeam malos, donec temporum lapsu agnoverim ea in arte nihil esse suo errore certiùs, nullosque hominum ineptius allucinari quàm qui se prophetas ex stellarum consortio jactitant, & tanquam orbis oracula fidenter promunt, quidquid occultante Deo nondum tempus evolvit?

Impostores hos ex merito damnavit Augustus Tiberius, licet aliquando consuluerit, mulctavit tamen. Vitellius jussit Italia excedere; Domitianus combussit, ut illustri supplicio ambitiosam culpam luerent, & ex igne, qui etiam noctis sydus est, agnosceretur quid peccassent in sydera. Apud nos tamen, ô pudor! secure agunt, nihilque jam communius, quàm dissimulante Magistratu, non sobrias nativitates texere, fortuitos eventus, libertatis humanæ consilia revocare ad stellarum imperium, & tot principum decretis castigatæ arti eam adhibere fidem, quam vix damus Christianæ veritati.

In eadem bibliotheca alium hominem agebat longè diversa solicitudo: occupatissimus videbatur, & aliquid spei hausisse à libro quem in manus sumpserat. Ad eum cum accessisset

Gyges,

Gyges, agnovit quàm inutili ſtudio tam contenſius incumberet. Codex erat ex hebræo in latinum verſus, qui ad majorem operis reverentiam, in ipſa fronte lectorem monebat, ſacra eſſe quæ illic traderentur; prophanos arceri à conſpectu: cumque diris devovebat qui in occultæ philoſophiæ penetrale vellet admitti, niſi eſſe Sacerdos, aut Levita. Præmiſſa comminatione, argumentis probabat graviſſimus author, inferioris metalli in aurum converſionem eſſe poſſibilem: deinde per Deum Abraham, Iſaac, & Iacob religiosè jurabat, paucis conceſſam à Deo, ſibi tamen revelatam fuiſſe eam artem, quam tot mortales, tantis laboribus, tanto fortunæ diſpendio incaſſum quæſivere.

Verùm auri conficiendi leges magna ex parte ænigmata erant, tot intricata figuris, atque coloribus, ut ipſi Oedipodi deſperationem facerent. Nihilominus fruſtra conantem in caliginoſa illa documenta virum incitabat promiſſi magnitudo, nec ingratus labor videbatur, qui propoſitis tot opibus cupiditatem acueret.

Cùm nihil præter pollicitationes, pretioſa vocabula, ac tenebras Cimmeriis denſiores in illo codice Gyges advertiſſet (nam legebat cum alio) ita ſecum. Iſte vir, qui metallorum converſioni tantoperè ſtudet, non mihi videtur Aſtrologo ſapientior; artem ſectatur qua egeat: nam quæ tandem prolixi operis utilitas? ignium, quos fruſtra accenderis, fuliginem diu bibiſſe, & in illam incurriſſe inopiam, quæ ineptæ diligentiæ nunquam non merces fuit?

Multo auro quærunt aurum metallici homines; quippe viam & terminum artis idem putant, neque ad illud unquam perveniri, nisi per ipsum. Diceres Numen imitari metallorum principem: nam & suos adoratores habet, & adipiscendi leges eædem censentur apud alchimistas, quæ ad obtinendum Deum Christianis datæ sunt. Etenim in se ducit Christus tanquam via, & ad se perducit tanquam patria; sed nunquid non istud aurum facit? Audi peritos artifices; nunquam se dat quærentibus, inquiunt, nisi auro itinere sint usi, ut ad aurum, scopum laboris, & votorum finem deveniant. Nugatorum hæc disciplina, ut scilicet profusionem illam opum excusent, quam gradum ad illas profitentur, & eâ spe deceptus dives aliquis, dum consectatur copiosius aurum, imprudenter sinat illud deperdi, quod sine clibano, sine igne, facile patrimonium dederat.

Aurum ita investigantium adeò nota est processu temporis tenuitas, ut ex rei familiaris penuria, & pannoso cultu pertinacem alchimistam penè à cæteris secernas. Huic tamen studio hodie non pauci se dedunt, cui postquam diu sudavere, ignem suum majori religione foventes quàm vel olim suam Vestam sacrarum virginum sedulitas, demum una dies multorum annorum spem metit, & totum operosæ diligentiæ præmium, laboris ipsius pœnitentia.

Sed & si aurum arte fit, nolim certè invenire secretum, quod nisi jacturâ libertatis in alios haud possim effundere. Nam si deprehendar,

dar, ſtatim à Principe cuſtodes aderunt, qui mihi tanquam reo advigilent, ne elabar, invitus damnabor ad opus quod elegeram; & quia pretioſus ero meo Regi, quæ pretioſorum omnium fortuna eſt, mea quoque erit captivitas. Tantum verò arcanum nulli concredere labor eſſet ſcientis; ſtudia licet fœliciter proceſſerint, ingrata ſunt, ſi ſileas: nulla ſine ſocio jucunda poſſeſſio eſt. Nolo ita dives eſſe, ut cogar abſcondere meas opes; ut timeam frui, ne uſus me prodat, & ſuſpicionem furti faciat opulentia, cujus ego cauſam celaverim, ut libertati meæ conſulam. Sed cur de ſucceſſu laboris, tanquam dari poſſet, mihi jam imaginatione blandior: Plurimos certè referunt, qui fauſtè circa hanc artem ſudavere; verùm audacibus cœptis quondam faverit fortuna benignior, quis nunc tantam præceptorum noctem ingenii ſui luce diſcutiat? In avaritiæ ſpem ſimul atque ſupplicium ſcripſiſſe videntur authores iſti; celant, quod ne celarent, edidere: involutis locutionibus, ad majus ſcilicet inquirentis negotium, addunt figuras obſcuriores, & in tantâ caligine ſi quid fortè luminis curioſum animum ſolatur, fulgur eſt, aut triſtiſſimi ſolis quidam radius, quem vix nube emergentem urgens & circumſtans vapor obruit.

Felix cui non eſt niſi ad licita, & ad vera ingenium! ſed pudet ea tantummodò noſſe quæ profiteri ſalva pietate poſſumus; & quaſi non ſatis pateret ſuperbis animis veritas, in mendaces diſciplinas & plerumque nocivas ambitioſè extendimur, fluviorum more, qui tumentes

ripam indignati innatant agris, & ipsa sui licentia cœnosi fiunt, cùm priùs solitis septis conclusi, ut commodè ad gentium usus, ita & nitidissime fluerent. Sed ecce novum Gygi spectaculum, tabescentis scilicet invidiæ operosam plane diligentiam.

Aliqui sunt, quos si aliena fama discruciat, ut nullam ægriùs calamitatem perferant; quoties novum aliquod sydus in conspectum prodit, & insolentia fulgoris admirationem orbi movet, latrant ad lumen, nec placantur rabidi & acres, nisi nube condatur claritas illa, aut vertente cœlo occidat. Ex isto Zoilorum genere unus librum recens editum legebat, non ut eruditior inde evaderet; sed ut si quid peccaverat author, colligeret errores, qui in egregium opus incuria scriptoris, aut oblivione irrepserant. Neque solos defectus notabat; etiam quandoq; in optimis inveniebat quod inscitiæ tribueret mordax animus; & ubi dignitate rerum, aut subtilitate ingenii cogebatur ad reverentiam authoris, tanquam ictus telo, mutatis vultibus, lachrymas dabat.

Iniquissimam diligentiam cum ex charta agnovisset Gyges in quam suas notas referebat criticus ille; O perversum laborem! ait, nihil egregium putant emendatores isti, nisi quod suum est, cum tamen aliena miseratione plus cæteris mortalibus egeant; mendosi censores, punctis suis digni, & ex ingenii tenuitate ad illud amaræ scriptionis institutum compulsi, quod omnium abjectissimum est, atque facillimum, & eorum quos procaciter carpit vestigia serviliter sequitur.

Argumentum suum invenisse ingens est scriptoris apud eruditos gloria, major, si in amplissima rerum serie non allucinatur ratio; si à se non dissentit, quæ sæpius circa initia magis floret, eloquentia; nec vis illa deperditur, quæ incipienti fuit. Imperito viatori, & in multum iter succincto plurima occurrunt quæ errorem vel moram faciant. In patente solo sæpius intercisæ viis viæ; sylvæ variis callibus incertæ, aut ipsa dumorum asperitate haud penetrabiles; decursus aquarum sine pontibus, neque saltu superandi, absentibus scaphis: præcipitia, montes: nihil remoratur eundem, nihil turbat, si se credit alteri, & exercitato duce utitur. *Gravissimis* certè curis ingentique labore se exonerant critici, dum in suæ famæ ineptam affectationem libellos conflant, quorum tota agendi ratio scriptoris alicuius mentem, verba, syllabas quibusdam criminationibus insequi, ac veluti regente filo incedere: ne illo adjumento destituti authores in proprio opere, ut in labyrintho, pereant. Scribunt quia scripsit alter; Egregiam verò laudem! priores enim gradum facere nequeunt; nec alium plerumque petulantissimæ animadversionis ordinem calumnia servat, quam quem author ille tenuit, cui infesta est, ut censuram jure dixeris hederæ similimam, quæ seipsa non stat, ipsique muro, cui nocet, debilis innititur. Nobiliori operæ ideo non incumbunt isti convitiatores, quòd magnitudine cœpti territi, suarumque conscii virium, etiam argumenti inopia laborant.

Statuam æquali per omnia pulchritudine

nec ipſe *Phidias* fecerit: ſemper in aliquo ars peccat, ſi arduum ac grande opus aggreditur; & neceſſariæ culpæ ſolatium eſt, naturam, quæ ut doctior agendi regulas arti præſcribit, ſæpiſſimè errantem intueri. Nullus ſcriptor adeò inſons, ut apud ſeverum judicem omninò ſe poſſit abſolvere. Poſt tot annos adhuc citantur ad tribunal Homerus, atque Virgilius; Cicero patrono indiget, qui inanitatis accuſatum in optimam eloquentiæ famam aſſerat; Ennianas phraſes objecit illi aliquis; nimiam in verbis mollitiem alter, numerosque qui plus juſto ad muſicam accederent. Ita fert humana conditio, ut quidquid à nobis fit, ſaltem ex parte reprehenſioni pateat; ſed abſurdius nihil, aut iniquius, quàm maligno calamo aliorum lapſus perſtringere, ut ſuprà errores poſiti videamur, qui tam ſolutè, tam protervè arguimus. Stulti eſt, optimam meſſem damnare, quòd inter ſegetes, extra agricolæ curam, inutiles aliquot plantæ eruperint: Genius ille, qui non libenter bonis immoratur, & ad ſolatium ſuum errata quærit, ut corrigat, muſcis ſimilis eſt, quæ non ſatis partibus, ſed putidis adhærent.

Quotquot hodie eruditi viri ſcribunt, eodem quo Achilles fato videntur geniti; ſuos enim Therſites habent, qui generoſæ virtuti convitiantur; verùm facili ira plectendos, cùm ad hoc ſatis ſit, vel pugno, ſi illo uti placuerit, vel contemptione, qua digni ſunt, ineptè garrientes caſtigaviſſe.

Calumniam vocat Auguſtinus illam nominum impoſitionem, quæ puriſſimis ſtellis

a-

adulterorum Deorum, furioſorumque crimina videtur impingere. Quid ad hanc contumeliam cœlum innocens? non curant ſydera, inquit, quid de illis mentiantur Aſtrologi, quid ſchola vomat; conſtantiſſimè fulgent, & æquali ſemper motu exercent curſus ſuos. Majori offensâ claris authoribus inſultat invidorum grex; ferantur tamen ut ſuus illos genius incitabit: magnam orbi injuriam facient iſta lumina, ſi ob rabularum impudentes querelas quieſcant, ac lucere deſierint.

Non omnium qui illic libros pervolvebant, ea inſania erat, ut vellent vetitis, aut inanibus ſtudiis, detineri; vel ex odio, ac dolore animi, in aliorum labores animadvertere; Ariſtotelem legebat unus; alter diſcebat à Seneca, quàm ſit fœlix, etiam in adverſis, ſapiens; quàm Deo dignus, qui in paupertatem, in dolores, in cupiditates humanas pugnat, & vincit, Sanctiorem Philoſophiam accipiebat à Chryſoſtomo Eccleſiaſtes quidam junior, & eo magiſtro. Pauli genium induebat, ut Chriſtianæ veritatis ſecurior interpres eſſet, & in perditos mores utilius inveheretur. Nec rationes tantùm, aut acumina; ſed figuras ipſas, quibus concutitur animus, quem argumenta vix moverant, ſtudioſè colligebat, & ad Promethei ſimilitudinem, veluti cœlo admotus, ſacrum ignem rapiebat, quo deinde frigidos auditores incenderet.

Ad hos, maximo gaudio affectus Gyges; Iſti libros norunt, inquit, cum quibus honeſtè, atque utiliter amicitias contrahant: utinam pari prudentia ac ſucceſſu cæteri ſtuderent,

nec alios literatos haberemus, quàm qui ſapiunt!

Cùm hęc ille mente agitaret, librorum præfectus legentes admonuit, horam adeſſe qua jubebatur egredi, & dimiſſis qui illuc ſe ſtudiorum causa contuliſſent, bibliothecæ (in craſtinum, eodem quo ſoleret modo reſerandæ) jungere fores. Ita ſtudentium labor finitus eſt, omnesque diſceſſere.

REGULI.

VIrorum qui tum regia negotia curabant, ſolertia fecerat, ut intra Galliæ fines nullus civis publicam quietem laceſſeret; ſed à finitimis pericula imminebant: Circùm motus armorum, & ex aliquot Gallorum Principum defectione audacior hoſtis, Regem ipſum ad extremas uſque imperii urbes acciverat, ut animos ſuis adderet, exteris metum, propiore majeſtate. Hæc cum agerentur, pauciſſimi tamen ex viris nobilibus ſponte ad Regia caſtra accedebant; nec pudebat expectare imperium, licet glorię ſtimulus (qui perrarò ab ingenuis ſtirpibus abeſt) patriæque ipſius charitas non modica eſſent incitamenta ad maturandam profectionem. Multos voluptas; otium plures; non paucos detinebat in provinciis aut rei familiaris cura, aut probroſus nobilitati timor.

Aliquos ex iſtis audiverat Gyges expectari in urbe ab amico, non procul ab illis ædibus in quibus ipſe ſibi domicilium collocarat; & ut feneſtræ innixus, adventantes in equis conſpe-

ſpexit, ſumpſit annulum; mox facilè in illam domum, ad quam pergebant equites, admiſſus cum cæteris. Ut de ſalute omnium utrinque multâ humanitate quæſitum eſt; & in triclinium amiciſſimi hoſpites ſucceſſere, plurimus de rebus ludicris ſermo fuit; tum ad graviora delapſis, ex temporum conditione, & regii exercitus non unâ apud omnes famâ, de politicæ adminiſtrationis prudentiâ, fœlicitate, erroribus, ſuam quisque ſententiam protulit: Eâ ratione obſideri urbes ab otioſis, duci foſſas, muros everti, fugari hoſtes, ridebat feſtiviſſimus Gyges; & quàm ſecurè audaces ſunt nobiles iſti! inquiebat, quam facilè remoto à periculis de periculis loqui! fictitios hoſtes iſti non timent: O ſi veros non metuant! nam quis ſciat, quid in bello futuri ſint, qui bella forſitan, niſi in tricliniis, non videre; & de vulneribus agunt, non tanquam milites, ſed medici, qui ad ſui Hippocratis formâ commodiſſimè ictus declinantes, doctè tamen loquuntur, quàm graves corpori humano, & quàm altè recepti ſint?

Proh dedecus! iſti magna ex parte enſem gerunt, ut nihil pro patria agant, nihil audeant, & fortitudinis imagine obvelent ſegnitiem ſuam. In ipſis Galliæ finibus minatur hoſtis; jam propè munimentis quibus tegimur, admovet ignes; diu, ac validè in nos paratus, deſpicit tumultuaria arma; ſeros milites; tyroneſque, quos exercitatis ſubito conſilio objicimus; vocat honor ad partium auxilium, Rex ipſe in caſtris eſt, & quieſcunt! Quid differunt à togatis militares iſti, niſi quòd ad forum ſint

inutiles, & ore minaci hostes, quos sibi ad arbitrium creant, provocant quoque, & inclusi, regias cohortes disponunt, hortantur, promovent? lepidi duces, in quoscumque sumant arma, certissimi reportare incruentas victorias. Ita pictores conflant exercitus, præliorumque imagine telam implent, nihil à militibus metuentes, qui penicillo authore prodierunt, eodemque cadent, statim ac novo labore in eâdem telâ artifex ludere volet, & fecisse pœnitebit.

Quam turpe ad tubam non moveri istos nobiles, qui ideò cæteros dignitate antecedunt, ut ex ipso honore, ubi respublica periclitatur, & Rex hominibus indiget, invitentur ad obsequium! Plebis est, torpor iste, quæ non nisi coacta, aut receptis intra viscera hostibus, commodat manus? & solùm præsto est, cum aut à principe imperium instat, aut ab armis, jam penè circa focos rutilantibus, periculum.

Noverat Gyges, nobilibus viris igneam esse indolem, nec amantem quietis; ideoque in venationem immodicè pronam, quòd ille *labor* quodam præliorum simulachro pugnaces animos oblectet, & in ferarum mortibus, (maximè si insequi periculum fuit, & robore aut dolis diu vitam suam tutatæ sunt) adumbret meliores victorias. Cur ergò, ajebat, vacant isti? cùm liceat ferri in hostes, nullumque possint edendæ pugnę theatrum invenire patentius aut illustrius, quàm quod nunc exterorum audaciâ gallicæ virtuti excitatum est?

An forte ex illis sunt quos campestres Regulos

gulos vocant, & periculoso honori præferunt, quod nullo discrimini patet; villaticum imperium? Certè nihil regno dulcius, si pacatum, aut saltem nulla in eo insurgat potestas, quæ timeri digna sit. Rusticos habent pro subditis viri nobiles: in ista agrestium turba, ut audio, sua purpura sæpe conspicui, adeò principes agunt, ut qui illos in pagis suis viderit, putet Reges esse, ita licenter potestate sua utuntur; sibi solvi tributa ab fortunis humilioribus imperant; minis, fuste, servulorum satellitio reluctantes quoslibet cogunt ad opus; canes sibi nutriri jubent, ut qui vel currentem leporem intueri non audet rusticus, illum tamen capiat domino suo.

Cum sic cogitaret *Gyges*, illique varia de bello loquerentur (quippe illud ex historia noverant; & pluribus sęculis mixti, pugnaverant aliquando sub Alexandro, Scipiones habuerant pro ducibus, Cæsari fuerant à consiliis) agrestis quidam derepente in triclinium irrumpens, horrendo prorsus spectaculo omnium oculos in se convertit. Immane vulnus caput acceperat, toto vultu proruentibus lachrymis mixtus cruor ita mutaverat speciem ut vix posset agnosci, qui acceperat injuriam. Prementibus suspiriis anhelum pectus erat, urgenteque dolore interclusa vox, ante stupentes poscentesque unde illi hæc pernicies, per longum tempus nihil satis significans Sacerdotem cui crederent, accepti vulneris religiosum testem secum duxerat rusticus, & ut consumto illo impetu qui atrocissimis mœroribus ad primos adstantium contuitus verba intercidit,

pacatiùs ingemere misero concessum est; ante dominum domus supplex, tremensque (nam dubitabat an vel læsus audiretur) in hos sermones prorupit.

Ecce me, filii tui miserabilem hostiam; cerne, ut ferro non pepercit impotens ira; neque solum caput sensit quid fureret, intuere repetitis ictibus fractum corpus, livore tumentes lacertos, & si nudum conspici fas est, agnosce quoque in humeris non disparem insaniam: heu me qui mortuo fratri nimium fidelis, dum unicam ejus gnatam quam mihi decedens reliquerat, non alia charitate apud me teneo quàm si illam genuissem, tot procellis locum dedi! Ne quære quid peccaverim, crimen meum, neptis, eadem futura mihi laus, si irritum volens testamentum parentis, eam alteri in sponsam concesserim, quàm quem ille nuncupavit. Diu est quod ineptam adhuc matrimonio virginem filius tuus cubiculario suo tradi vult, qui junior fuit illi à pedibus; non annui, fateor, sed submissè, sed orans ne impari conjugio, quod & ipsa puella horrebat, nos afflictos vellet, læderet functos quibus religio debebatur. Nihil nostræ preces, nihil familiæ luctus apud illum valuere; invitam ab invitis tulit; & quia injuriæ haud satis patiens, inermis licet, veneram in vocantis auxilium, tanquam sibi infensum rebellemque, in cæterorum exemplar (ut ipse retulit) qui talia auderent, ita me mulctavit filius tuus, ut in ipsos sicarios, Numinisque contemptores mitius à judicibus decerneretur. Tu pater, aut filium imperio cohibe, ne ultrà sic sæviat, aut in totum.

tum mori jube, quem ille omninò non trucidavit; lubens solvar, neque enim corpus placet, accepta injuria, cui mederi vel solertior ars nequeat, jam ineptum operibus.

Auditis querelis, quæ prius emicuerat extincta est in omnibus miseratio; dicebant enim jus nobilium esse, ut in obnoxios quosq; rusticos omnia possent, nec nisi ex illorum arbitrio orbæ parentibus puellæ, quibus pinguior hæreditas, dentur in conjuges. In mercedem solvi diutini famulatus ejusmodi matrimonia, nec gratiori spe conductos fideliter constanterque dominis adhærere, qui ad obsequium sumebantur: rusticis familiarem esse eam audaciam, ut jugum excutere velint; & tædio suæ sortis dedignentur patientiam illam cui nati sunt. Meritò vulneratum qui id noluisset quod imperaverat dominus; & si quid in raptu injurium legibus esset, crimen censeri illius, qui neptem postulanti domino tam superbe negaverat. Rediret igitur in domum suam instructior, satis sibi concedi existimans, quod ejusmodi querelas aure placida excepisset vir nobilis, mendaciis utique refertas, dignasque quas aversaretur ac fuste comprimeret.

Vera tamen esse ea omnia affirmabat sacerdos, petebatque virginem patruo reddi, ut ex parentum voto nuberet, ubi aptam viro, curisque familiaribus præstitisset ætas maturior.

Non is erat nobilium sensus, ut ad sacerdotis monitionem vellent in rusticum humanius agere; sed dum ille luget, & superbè amo-

movetur à conſpectu, alibi melius fuſurus lachrymas ſuas, adoleſcens intrat cum epiſtola, quam ut domino tradidit, cęteri officiosè paululum ſecedunt, ut ab illis remotior, ſuis codicillis liberius incumberet. Medios nondum abſolverat, cum percurrentis vultum invaſit ſubitum incendium, & mox voce acriter ſublata; niſi in ruſticos auſterius agimus inquit, tota ruit nobilium exiſtimatio, reverentia, poteſtas. En agreſtium illorum novum facinus, en quid auſi in alterum filium meum! Is verò contextus epiſtolæ erat.

Ut noveris, Optime pater, quàm protervè in me peccare ruſtici ſoleant, diſce inconditæ temeritatis novum auſum, & ex poſtrema injuria collige, quàm non leniter habendum ſit iſtud hominum genus, ut in officio maneat. Agros qui nullius erant, ne abſque domino eſſent, jure nobilium tibi ſumpſeras, prohibuerasque ne in poſterum ruſticorum ullus in eos ſua pecora intromitteret: Per aliquot menſes obſequioſi, tandem mutato animo ad priſtinum morem, inconſulto me, rediere, ea etiam fronte ut dicerent te pagi tyrannum, te acerbiſſimum hoſtem, qui incolarum pecudes, quarum lacte nutriuntur, ſolvuntque annuatim duriſſimum vectigal, ab ſolo illo arceres, in quod ex veteri uſu, æquale jus eſt omnium. Nec verentur quas obtinuiſti nuper à principe literas publicè calumniari, tanquam in commune damnum leviterque conceſſæ ſint. Omnia vitæ ſubſidia ſibi eo diplomate eripi furiosè inclamant; teq; mulctam magis à principe quàm ampliores agros meritum, qui

qui fraude, emptoque regii confinii suffragio tam fœdè, tam audacter majestatem luseris. Ea insania incitati, suos greges in tua pascua plurimi illorum deduxere, quibus servorum meorum manu validè amotis, iterum rebellat rusticana contumacia. Hanc premere (in tantum crevit) jam nequeo, cum maximè ad illorum questus sacerdotes accesserint, ob hoc maximè infesti, quod (ut palam queruntur) sub plebeio nomine, nobiles viri invitis templorum rectoribus, decimarum redemptores ea sibi bona adscribant, quæ altaribus vota sunt; tu consule, tu jube, optime pater, quid fieri in tanto negotio oporteat. Si vi agendum est, & imperas, auxilia mihi dari à vicina nobilitate sedulus curabo, & in castigandis rusticis segnem non habebis filium tuum, vale.

Ad epistolam indignabundi omnes dixerunt plecti debere rusticos; convocandos ex amicis qui contumaciā illam comprimerent, opemque promisere. Quod ut audivit Gyges, O Regulos! ait apud se, quàm insolenter concessis titulis abutimini! Ad hoc ergo stirpis honor ut agrestes pro mancipiis haberetis? ut periret, etiam apud subactos, conjugiorum arbitrium, quoties vestrorum aliquis sponsæ inhiat, quæ egentem, & sordido famulatu notissimum, ab infima sorte erigat in honestiorum imaginem? Non ea est Regis adversus nobiles viros sævitia, ut præscribat quem cuilibet generum velit, si opulenta virgine notus est; Neque enim legitimè jussis conjugiis potest ipsa majestas illorum fortunas augere, quos ex servitiis, aut ex charitate æstimat. Et hoc tamen

men audent isti ! O affectuum humanorum haud ferendam tyrannidem! Non bene coguntur matrimonia, quibus conciliandis ideò amor præficitur, ut læto successu excludant, quæ compulsis partibus familiaris est, maritalis vinculi pœnitentiam.

Communes agros tollitis! & ut solertius lateat iniquitas, sub emendicato diplomate sævit in vulgus! An soli habitabitis super terram? an de vobis, non de ipso Deo dictum est: Domini est terra & plenitudo ejus? O egregios unitatis amatores! ne vario incolarum jure terræ discretæ sint, alienos fundos patrimonio vestro jungitis; Pacis humanæ cultores certè eximios! ne mixtis hæreditatibus lites insurgant aut odia, ut omnia vestra sint, religiosè curatis; Alexandro simillimi, dicere sæpius solito, se ideò bellum orbi indixisse, ut sub uno Rege, iisdemque legibus fœlicius ageret. Et vos etiam quis non dicat illo principe beneficentiores? Etenim ut terrarum dominus fieret, nihil dabat; vos saltem, ne ejectos agrestes, tristes habeatis, aut querulos, comparatæ hæreditatis leve pretium ad arbitrium solvitis.

Hæc illo cogitante omnes ad promissum obsequium festinavere; si quid durum ageretur revocandumque ad tribunal, mercenariorum testimonio ac judicum cęco favore, rejecturi in rusticos.

Huic materię congruit, quod exactis quatuor mensibus Gyges vidit, cum ad amicum pergeret, qui ægritudine impeditus & solatio egens, illum per varias epistolas ad rus suum invi-

invitarat. Festus erat dies, mite cœlum, & rustici aliquot in apertum fortè convenerant, ut otium fallerent, ac sole fruerentur: quid inter se agitarent homines isti, cupiit scire Gyges, suum tunc consulto indutus annulum, ne pedester videretur ab obviis: placuerat enim viro sic incedere; neque nummis, sed valetudini consulens, ad majorem corporis exercitationem equo carere voluerat.

Pueros amoverant rustici, & qui ætate ac facultatibus grandior erat inter illos, ita cæteris: Credite, nobiles isti possunt ad modestiam cogi: habent supra se quem timeant, sævitiam suam dediscent, si deferantur ad Principem. Scitis quid in Regem peccaverit pagi dominus, cui nos natalium sorte sumus obnoxii? nam de cæteris minùs curo: Amplam pecuniam acceperat, ut milites legeret, quibus ipse præficeretur: Et quidem quasi seriò mandata Principis ageret, pulsari tympana, tubas audiri per aliquot dies ambitiosè curavit, ut jam latè diceretur non temnendam partem exercitus, ubi convenisset in aciem tota belli vis, virum hunc debere moderari. Verùm audite fidissimi hominis diligentiam: non quàm feliciter dimicaret Rex, sed quàm privatâ fortunâ ditesceret, providit in ipso militum delectu dux egregius: satis enim illi fuit modicâ impensâ ineptos plerumque collegisse, quos etiam ex parte regiis copiis subduceret, postquam ad inane spectaculum abituro mox milite completi ordines, non suspiciosæ potestati tàm vafrè quàm turpiter imposuissent.

Ne-

Neque ſemel crimen iſtud admiſſum eſt: quoties ad majorem virium ſuarum fiduciam jubebat Rex luſtrari exercitum, vel ad horam ſuppoſititii bellatores deſtitutas viris turmas flagitiosè ſupplebant, vel infami inter ipſos duces commercio, idem ſub variis ſignis, ad ſtipendiorum fraudem, mutuatus miles comparebat, tanquam in theatro luderet, nec de perſonarum ſed de ſcenarum numero duntaxat inter armatos ageretur. Dolum hunc ſi Princeps noverit, de pœna non ambigo: ſcitis enim carnificis manu nuper præciſum fuiſſe nobile caput, cui penè præter hanc culpam nihil objectum eſt, ut tam turpiter caderet. Sed quia ſcriptis major fides quàm verbis eſt, ecce chartam, authore me, plurimorum manu ſubſignatam, quâ probatur armorum hæc ludificatio toties regio honori officiens, & infeſta victoriæ. Nobis ſolùm fido homine opus, qui ad aulam tantæ rei judicium non cunctanter & intrepidè deferat. Quis veſtrûm, ô viri! ſatis firmo vultu & animo erit, ut negotium hoc pro communi bono, noſtrique juſtiſſimâ ultione ſuſcipiat, dum Rex non longè hinc abeſt, & ſolatia ruris captans, majoribus curis exoneratus, in rem noſtram videtur commodior?

Cunctis diu timore ſilentibus, unus tandem non ineptè cenſuit, ruſticos ad hoc opus haud eſſe idoneos, qui nec loqui Principibus aſſueverunt, cultuque agreſti ut & ſermone aulicæ pravitati profectò cachinnum elicerent. Quid verò ſi & Rex ipſe nobilium novis artibus deluſus chartam hanc vel convitiis ple-

plenam arbitretur, velut futilem omnino contempſerit? Ergo hoc ſolum ajebat ſupereſſe ruſticis, ut ſuos oppreſſores nullo vindictæ ſolatio ferant, uſuque miſerrimæ conditionis dureſcant in malorum tolerantiam.

Cum hęc lugens diceret, ceteri pariter lachrymabantur, ipſeque Gyges flebat; ſed mox animum acuente miſericordiâ, chartam tulit, quam datâ opportunitate deferret ad Principem: ſed quod ruſticis profuturum erat, acerrimum timorem movit, dum neſciunt, quis raptor hujsmodi ſcripti fuerat, in quo tot nomina conſpici abſque multorum periculo vix poterant, ſi inconſultè proderentur?

Poſt hæc jucundius ad amicum feſtinavit Gyges, quem cum per dies aliquod ſolatus fuiſſet ſuaviſſimis colloquiis, etiam illius opera de Regulorum tàm pace quàm bello indecoris moribus, multo inſtructior in urbem reverſus eſt: & ſtatim ut ſcribendi otium fuit, hoc ordine digeſſit in charta, quodcumque de regulis & de caſtrenſium ſtipendiorum expilatione non dubius acceperat. Laudata primum Majeſtate quod publicæ quieti, armorumque ſucceſſibus, ubi belli neceſſitatem jura fecerant tam ſtudioſè conſuleret, eorumq; inſuper fide commendata, quos Rex in curarum ingentium partem aſſumere voluerat, ſenſim deſcendebat ad ruſticos, vilem certè regni portionem ſi facultatem reſpicias, verum non deſpiciendam, ſi numerum, utilemque Principibus ipſis laborem attente perpenderis. Ab his enim plerumque fit militia robuſtior & auctior gaza, in quam cives profectò minus

con-

conferunt, ut tota ferè regni vis atque dignitas constare videatur rusticorum nervis, abjectissimæque fortunæ diligentia.

Deinde quàm simpliciter vitam degerent, quàm constanter obsequentes essent, quàm inepti ad illa audenda promovendaque scelera, quibus pulsatur regia dignitas, nisi Nobilium animis ac pervicacia compellantur ad facinus, insinuabat Gyges, & verborum lenocinio Regem optimum, jamque misereri facilem, ampliori humanitate inclinabat in agrestes. Illorum verò sortem maximè deflebat, quòd in pagis tot regulorum dominatu ita premerentur, ut si ex jugo & labore æstimanda sit natura, pecudes potiùs quàm homines censueris. Nulli datur agello suo tutè frui: si ad latiorem Domini habitationem, vel ad serendas arbores, quæ longo ordine ad illius fores adventantem quemque ambitiosè deducant, videtur commodum, deserenda est miseris paterna hæreditas: pretium, ex ementis imperio: rusticorum culpa, quòd de obsequio vel modicùm deliberant, quòd spontè non pereunt. Ad eliciendum consensum adhibentur minę: servorum non raro jussæ manus: & valida sævæ potestatis argumenta, fustes, Quidquid annuorum redituum debent viris Nobilibus rustici, si non suo tempore solvitur, vel agnellis ex pauperum grege, vel etiam ovibus, cæterisve quæ rus alere aut procreare consuevit, emenda est dominorum patientia; nec egestas excusatur, quod elementa nihil dederint, unde diligentius cogi pecunia potuisset: regulis rusticorum mora vel duplex fructus, vel crimen est.

Cum

Cum hæc Gyges in charta conscripsisset, addidit quoque Regis injuriam videri, si tot nobiles summi imperii imitatione id audeant, quod subditis non licet: Et tantæ sævitiæ subjaceat, quæ germanæ potestati tam libenter obsequitur, solvitq; justius vectigal rusticorum simplicitas. Sed ut Rex in agrestes esset proclivior, causam illorum regiis negotiis ita Gyges attexuit, ut ostenderet rusticorum tyrannos plerumque eosdem esse, qui militum stipendia in privatos usus converterent, magnoque armorum detrimento extenuarent legiones, quibus excitandis Principis ærarium tanta sui jactura laboravisset.

Qua ratione luderetur facillimus Princeps, narrabat per singula; peccatum illud jam in morem transivisse apud viros nobiles, nec in furtis numerari, quod inscio Rege sic rapiant. Inde fieri, ut rarus miles ingentibus Regum cœptis non sufficiat, & in vexandis rusticis atrox sit, ne deficiente stipendio illis omnino subsidiis destituatur, sine quibus agi vita non potest, aut qui inter copias est admissus, officio suo defungi. Hinc fit ut egenos prædonesque pro militibus exercitus habeat, Patriæ etiam suæ justè timendos, quacumque profecturis in hostem iter fuerit; focos enim suos tam expilat armata paupertas, quàm hostium. Insistebat maximè quod variis temporibus aliquot urbes eo rectorum peculatu suis orbatæ præsidiis hostili solertiæ patuissent: curaret ergo Rex, ne illa arcium solitudo, dum privatis quorundam hominum rebus mirificè consulit, publicis noceret: neque enim in ipso

pſo hoſtium confinio ſapienter civitates cuſtodiri quas in exitium comparat occæcata ducum providentia, & ad ſummę pacis veluti oſtentationem vacua militibus ſecuritas.

His,ut tantæ rei conveniebat, nervoſo ſermone explicatis, etiam aliquorum nomina promebat Gyges, qui regiæ militiæ impendio ſuas ita facultates auxerant, ut cæteris peccandi cupiditatem ſimul & audaciam ſuo exemplo facerent. Non paucos tamen ajebat inveniri, qui ſordes has omnino averſarentur, dignos planè quos Rex fidei memor ad altiora promoveret. Cæterùm ne Regis juſtiſſima vindicta ad ſævitiam diceretur accedere, ſi tot Nobiles plecti imperaret, quot in creditam ſibi militiam tam turpiter deliquerant, culpam hanc pulcherrimè utiliterque plurimis poſſe condonari, ſi paucorum damno admonerentur, quanto ſui periculo deinceps nobilium ullus crimen illud admitteret.

Ubi hæc Gyges exaravit, ruſticorum querelam cum ſua aptiſſimè compactam defert ad Regiam, qua tamen ratione illam in manus Principis trajiceret inſcius adhuc: ſed anxio ſollicitudinem mox abſtulit curſor cum codicillis adveniens; nam ut hos, multo cum honore, expectanti Regi porrexit, ea ſubtilitate Gyges ſuam chartam ad illius pedes devolvit, ut inter tot epiſtolas, vel curſoris vel Regis ipſius incuria videretur cecidiſſe. Dum humili obſequio colligere abjectam omnes feſtinant, purpuratorum unus cæteris diligentior eam obtulit Regi, quam ut ſolvit ille, nec ullo deprehendi indicio poſſet cujus manu con-

conſcripta, aut unde mitteretur, acerbiſſimis oculis in attonitum curſorem intuens, petiit qua audacia ejuſmodi codicillos ſine nomine ad ſe perferendos accepiſſet: ſed negante viro talibus ſe literis infamaſſe ſuum munus, in varias cogitationes Rex perplexaſque delapſus eſt. Verùm ſenſim redibat Principi vultus amœnior dum legeret, nec multò poſt; quisquis (ait) iſta me ſcire voluit, amicus eſt, non vulgari præmio certe donandus, niſi nomen ſuum ex animi diffidentia, meique ignoratione latere voluiſſet. Neque tum plura Rex, ne ex verbis aliquid illius conſilii palàm fieret, quod ad tempus celare conſtituerat.

Quid monuiſſet author ſcripti non tarde oſtendit inſolita judicum in ejuſmodi ſontes inquiſitio; ſed ex Regis miſeratione, regnandique ſolertia fuit, quod clariores, tanquam non peccaſſent, inter fidiſſimos computati ſunt: ſatis enim ſi inferiorum mulcta diſcerent non impunè fore, ſi quis in poſterum nequiter diteſceret ex militum ſtipendiis.

Inter calamitoſos quibus gratiæ ſpes omnis adempta eſt, præciſis cervicibus, ſpectaculum ſui fecit Nobilis ille, quem ruſtici ſuis querelis in crimen vocaverant; & quia ſic jubente Rege judices pronunciaverunt, duplici titulo illum plecti, quod militum ſtipendiis injuſte potitus, etiam in agreſtes tanquam pagi ſui princeps ſummam poteſtatem exercuiſſet, compreſſa fuit illa Nobilium dominatio, qua tot Reguli eſſe videbantur, quot in villis ſæviebant.

EDA-

EDACITAS CASTIGATA.

INterim, quia ſacrum tempus inſtabat, plurimi deſipiebant, & in novas voluptates ineptiſſimè ſolvebantur. Aliqui in curribus, plures in equis, major pars ad humiliorem inſaniam coacti, pedites ibant; & per vicos, vario larvarum ſpectacluo veſtiumque inſolentia inſulſæ plebis admirationem, riſum, clamores excitabant.

Donec furor ille ſeponeret, & pacatiùs per commotæ urbis regiones viatores incederent, decrevit Charmion domi hærere, & eorum quæ viderat texere hiſtoriam; ea ratione, ut magis curatio morum eſſet, quàm geſtorum narratio. Nam licet plurimi authores ſcripſiſſent de moribus; omnes tamen pridem decantati argumenti prolixas quæſtiones ſatis mœſtè tractaverant, & nullus eorum adverterat, philoſophos lectoribus ſuis ad nimis ſeria oſcitantibus nunquam prodeſſe facilius, aut efficacius poſſe, quàm ſi manente propoſito, veſte mutata, hiſtoricos agerent.

Reddita mente, incœperant cives modeſtius verſari; & indictis jejuniis, atque oratorum qui cœleſtes minas intonabant ſacris vocibus, larvæ & audaciora quæque ſcelera palàm ceſſerant; cum ſolito more Charmion, viſurus quid in privato homines agerent, domo ſua digreditur. Non multum proceſſerat, cum ad divitis ædes, quæ forte patebant, jam ſuſpi- ciosum

ciosum compulit carnium odor. Plures ex amicis vir ille ad prandium vocaverat, & quia non omnes ita pietatem abjecerant, ut vetitis cibis vellent sibi propitii Numinis furorem excitare, curaverat prudens convivator, ut inter damnatas epulas intirmisti pisces modestioribus viris apponerentur; & ita ad arbitrium quisque sumeret, quod videretur commodius, intactis quæ aut gustus horrebat, aut improbabat Religio.

Ad immanis licentiæ conspectum stupuerat noster Gyges, nec satis credebat corruptissimi hominis impudentiam, qui conscientias laxiores ejusmodi cibis ad scelus provocabat; cùm flagitiosas subitò (ne quid caloris vel levi cunctatione perderent) epulas circundant, premuntque carnarii. Neque de more Christiano invocatus Deus, antequam ventres pascerentur; precis loco risus fuit; frustrà importunissimis clamoribus concionatores raucos fieri, qui cæteros mortales vellent abstinere à carnibus, ne soli pituitâ & ciborum, quos esse noxios toties monuerant medici, malâ coctione laborarent. Sed cachinnum compescuit subitus omnium pavor, & maximè illius, qui Religionem eâ ciborum ambiguitate traduxerat, non expectata consternatio. Quippe dum effrenatius loquuntur, & ex primo famis impetu concitatiores tangere vetita properant, voce, manu, pedibus etiam Charmion omnia turbat. Mixtis ita confusè epulis, jam inutilem & condimentorum vario colore deformatam subita diligentia convivæ mensam deserunt; improvisoque tumultu ita in omnibus fames

perit, ut ciborum, qui promiſcuè turpiterque in ipſis etiam ſedilibus jacebant, non meminiſſent. Unde illa tempeſtas, nemo ſciebat; divinitùs tamen immiſſam dicebant qui Religione tenebantur; & dum lances, hac, illac diſperſas, jactatasque aut fractas circum lagenas attoniti ſervi colligunt, jejunare interim, tremere diſcit jam pallida voracitas.

Ne quid de illa re vulgaretur præceperant famulis domini; ſed imperio factum eſt difficilius ſilentium. Ipſo die per totam civitatem rumor increbuit, cœleſti manu illis in ædibus turbatos qui vetitis uti non timuerant. Inde vulgi in ipſos magiſtratus indignatio, quòd ſinerent laniones ejuſmodi gulæ irritamenta ita audacter, ita publicè exponere, cauponesque adeò impunè prohibitis ferculis onerare menſas, quoties licita molliſſimorum hominum palatus faſtidiebat, ut nulla penè apud Chriſtianos temporum diſtinctio haberetur.

Neque minùs peccare medicos ajebant, qui ne artem ſuam nimiâ ſeveritate proſcriberent, nobilium faucibus grati, illud omne quod intempeſtivè gula optabat, ſtatim ac jejuniis dicati dies incœperant, nullo pene ęgritudinum aut perſonarum delectu, fatebantur laboranti ſtomacho pernecеſſarium eſſe. Ad hæc accedebat ſacerdotum facilitas, mosque peſſimus, ut ipſo qui cinerum dicitur die, antequam quid nocuiſſet abſtinentia, ex ſolâ piſcium, quos nondum aut mare aut ſtagna dederant, nauſeâ, plus libertatis ad edendas carnes, quàm cineris petentibus concederent.

Si

Si vel leviter turbabatur quies, aut modicam tussim excitabat saliva frequentior, statim pisces in culpâ; si pallorem, si macie confectos vultus ostenderat speculum, si caput errabat, devovebantur omnium malorum causa cibi; & vocatus illicò medicus testabatur exleges esse, qui sic deficerent, ut urbanissimo testimonio tota comedonum niteretur de edendis carnibus facultas, ipsorumque Theologorum, qui nimis creduli omnium propè votis annuebant, officiosa conscientia.

Aliorum tamen, qui effræni omnem disciplinam solverant, audacia fecerat, ut optimi illi haberentur qui damnari absque prælatorum licentia noluerant. Chartam enim ostendisse qua pinguis mensa simulatæ ægritudini prohibitas epulas ministraret, maximum pietatis argumentum; & absque scandalo temnere Ecclesiam putabatur modestissimum culpæ genus, cui etiam deberetur, ut singulis virtutibus, sua laus.

Intereà haud silebant concionatores, ut vel finem faceret pessimorum hominum libertas, vel saltem publicè verberata erubesceret; & cum perturbati convivii rumor suspensam adhuc civitatem teneret, factum est ut ex sacris oratoribus unus, præsente ipso Charmione sic in carnarios loqueretur.

Ecclesiæ, an hæresi, nomen dederitis, dicite, ô abjectissimi mortalium! usque quo claudicatis in duas partes? ad altare Catholicos esse quid juvat, si inter adipes, mox ut plebi Christianæ imperatur abstinentia, cum hostibus censemini? Invenistis, ô carnium voratores!

quomodo ore ſacrilegi eſſe poſſitis, etiamſi taceatis. Ergò fruſtrà juſſerit Deus, vos legibus, vos matri obſequentes eſſe, niſi ventri placuerit! Ergo ſaluti obſtabit faſtidiens gula, & ipſo cœleſtium amore ſagina potentior? venenatas carnes quis edat, ſi ſciat breviſſimæ voluptatis certiſſimam pœnam, funus? quidquid prohibente Eccleſiâ in corporis ſolatia deglutitis, mortiferum eſt.

Porcos intueri in Romanorum vexillis aliquando noluerunt Iudæi, quod putarent ſe non ſatis prohibitas eſcas odiſſe, ſi quod ori conceſſum non erat, oculi conſpicerent: O Gens an Chriſtianorum dedecus plusquam imperatum fuerat, ſobria! non ipſas tantummodò carnes averſata es: ne vel ſuâ imagine religioſa corpora polluerentur, etiam picturas horruiſti. Sed diſcere à Iudęis vetitorum abſtinentiam nimis vobisglorioſum, O helluones! doctores habere canes ipſos: Captâ præda, urgente ſtomacho, fixis etiam ipſâ in carne dentibus, temperantes ſunt, ſi jejunos eſſe ſuus dominus jubeat, veſtros docete ventres illam philoſophiam, quæ arte, & imperio, eſurientibus beluis tàm altè infunditur: non pudet humanas mentes, quæ regendis corporibus natæ ſunt, à brutis ſuperari?

Quàm vilibus, ſed & quàm tetris ſæpiſſimè epulis, quamque parcè avarus utitur, ut quod ſibi ſubtrahit miſer, in ſuos acervos tranſeat, & inanitate ſtomachi fiat fortuna tumidior. Pallida vigiliis ora, & ex jugi inediâ attonitos, patentesque, pluſquam natura voluit, oculos, ſi lubet,

lubet, intuemini. Placet volenti fames ſua; placet horridior victus; neque curæ eſt, quàm injucundum ſui ſpectaculum orbi exhibeat, dummodò auro accedat aurum, & ad comparatas, ſed intactas opes, ſtultiſſime exultet, ſibi crudelis, etiam dum ſibi obſequitur, pecuniarum cupiditas. Tum ad Eccleſiam verſus concionator: quàm vilis es, inquiebat ille, quàm deſpecta apud tuos, ô Eccleſia! quid te ſponſam domini tui, quid te quoque matrem noſtram, toties iteratis ſermonibus jactitas? quod vitiis ultrò concedimus, hoc tibi negamus Chriſtiani: Etenim jucundioribus cibis abſtinere, inviſis nutriri, ſi avaritia jubet, & utile & dulce eſt: arduum non modò ſi imperas; ſed iniquum, & ad tyrannidem propemodum accedens ſævitia.

Verùm quouſque, ô certè non ampliùs Domini cultores! ſed abdominis: quouſq; pinguedini magis quàm Deo, quàm veſtræ ſaluti ſtudebitis? Numquam legiſtis apud Cyprianum, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur? Sed hæc apud vos nulla ſunt: ſtupidas, ac prope carneas mentes non movet malum imminens. Ergò ad libitum prohibita vobis edite; talibus vixiſſe, etiam ſuo modo proderit: Nam & vos ac libidinem vegetiores utique facient, & athletis illis edacibus, certiſſimo fato, mox ut paſti fuerint, interituris, per omnia ſimillimos, qui ſaginantur in pœnam, ut cariùs pereant.

Cum his quoque addidiſſet ille Eccleſiaſtes ad terrorem auditorum, quam retulimus de

ſubverſo convivio hiſtoriam, multùm gaudebat ultiſſimæ tempeſtatis author Gyges ; & modico riſu perſtrictus ita ſecum loquebatur: O Annulum! quod te pretium æquabit? ſi diu ita fœlix ero, per te quot bona non faciam?

Sed ut licentia illa, quæ divitum prope omnium eſſe inceperat, efficientiùs compeſceretur, non ſatis fuit in eam ſacros oratores invehi, nec unius exempli, de quo & plurimi dubitabant, ad id ſufficiebat tota urbe ſparſus rumor. Novo igitur ingenio Charmion cogitavit, antequam jejuniis dicata tempora effluxiſſent, tot divitum menſas afflictare, ut nemo deinceps quod edere fas non erat quietè comederet.

Cucurbitas ſylveſtres quas Colocynthides vocant, vili pecunia comparatas, in minutiſſimas partes ita pulveravit, ut contritis aſperſa levi manu eſculenta ſic delicatis faucibus acerbiſſima fierent, ut non amitterent colorem. Hac arte non ſemel divitum multi à prohibitis epulis abſtinuere, & primùm (quod neſcirent unde tanta illa ferculorum amarities) coquis irati, mox ut didicere, plurium qui ſimiles menſas ſtruxiſſent, eam calamitatem fuiſſe, ad ſobrietatem compulſi ſunt. Religioſam abſtinentiam maximè ſuadebat, quod illam ciborum injuriam apud verè ægrotos non adverterant, quaſi hominum ſtatus, edendique varias cauſas diſtinguente providentia.

Jucundiſſimum quoque illud fuit, quod ad Matronæ cujuſdam conſpectum, quæ conceſſos ab Eccleſia cibos averſata, ne piſcium uſu vultus caderet, ſolebat illicitis uti, aſſam perdi-

cem

cem ita momento fœdavit, ut vermibus ſcatere videretur. Teſtudinis muſicæ chordas aliquot ſecum tulerat; ſed in fruſta conſultò ita ſectas, ut quælibet pars vermiculorum menſuram non excederet. Has in fumantem avem, antequam quid de illa detraxiſſet mulier, plena manu jacit Charmion, & quaſi animam calor daret, illicò cœpere moveri, ac putidæ carnis in cultiſſima menſa exhibere ſpectaculum. Ad ſubitam mutationem horruit illa, neque qui aderant ſervi leniùs concuſſi ſunt, mox perdice damnata, mulieris juſſu admiſſi canes, qui projectam comederent.

His omnibus effectum eſt, ut qui ventri nefariè indulgebant, deinceps modeſtioribus epulis, quoties jubebat Eccleſia, Catholicè veſcerentur. Sed & oppugnatæ veritatis præſidium fuit illa Charmionis in tot menſas, quæ per urbem irreligiosè peccaverant, inſultatio. Multi enim tunc temporis haud credebant aliquos eſſe ſpiritus, qui extrà carnis hujus commercium nobiliorem vitam agerent, eſſentq; quolibet elemento ſubtiliores. Angelos toties hominibus apparuiſſe ac eorum ductu tot victorias atque Regiones obtinuiſſe Judæos, fruſtrà referebat divinus codex: bonas mentes, aut Regnanti Deo aſſidere, aut in certiſſimum ſubſidium mortalibus mitti: Dæmones quoque exiſtere, qui virtuti inſidiarentur; &, vel prędam quæſituri, vel ad tempeſtatum inſaniam collecturi nubes, per aëra diſcurrerent, donec ęterno carcere incluſis omninò adimeret Deus illam quæ in viventium exercitationem juſtiſſimè conceſſa eſt nocendi facultatem.

Dogma hoc tot eventis, tot rationibus firmatum, mera fabula à pleris que habebatur; nec apud fatuos ipsi Ethnici, quorum tamen erant reverentiores, authoritatem invenerant. Nam quid notius inter philosophos quàm cœlestibus orbibus intelligentias pręfici; spiritus esse qui Regnis, qui civitatibus præsunt; qui etiam privatorum curam suscipientes ad virtutem capessendam dant animos, vires, & aliàs incautis subeunda pericula, suâ luce, suo præsidio amovent? Talis erat Socratis ille genius qui nutantem & incertum à noxiis solitus erat avertere, ne quid ageret quod Socrati exprobrare vel inimicissimus posset. Et si de nefariis spiritibus etiam agitur, quotquot historici de rebus Romanis scripsere, spectri illius meminerunt, qui Bruto jam suis partibus desperanti, petentique esse quis esset, respondit: ego sum tuus malus Genius. His adde, tot sæculis tripodes loquutos; statuas quoque, quasi ipsæ metuerent, in proximæ cladis præsagium subito sudore manantes, & quidquid ludente Dæmone, dum adhuc vigeret superstitio, Gręcia vidit, aut Roma mirata est. Hæc omnia fieri nisi spirituum ministerio haud certe potuere, qui muto lapidi sermonis imitationes addere; ea quæ illis nota est industria, ad arbitrium possunt & ad mortalium stuporem, quoties lubet, reddere elementa vocalia.

Virtus illa quâ magnes ferrum allicit, simulque tactum cogit, motum facilem præstiterit subjectus cardo, eandem Cœli partem quærere, inventamque constantissimè intueri: illa inquam virtus, cùm nostros omninò sensus

ſus fugiat, creditur tamen, & ignotæ cauſæ non minor apud nos fides eſt, quàm effectus illius, quem neſcire haud poteſt quisquis efficta ad magnetis leges ſolaria perſpexit. Eſto, ſpiritus illi non videantur quos tamen credi Religio imperat; tanta ab illis acta ſunt, fiuntque quotidie, quæ ſuprà corporeæ ſubſtantiæ vires eminent, ut angelos, latentes licet, ſua virtus prodiderit. Nam unde illa, quæſo, ſaxorum articulata vox, toties audita quoties oracula cecinerunt? & unde in arreptitiis illa facultas pluribus linguis eruditè loqui, quas nunquam didicere? Rudes fœminas, pueros græcè fari, cùm Greciam eſſe ſæpè nec norint, certiſſimum eſt argumentum, præter humanos ſpiritus, alias dari mentes, quæ non ad vitam quidem, ſed ad potentiæ ſpectaculum, in corpus aliquod delapſę, illud regunt; eaque organa non tumultuosè, ſed conſultò movent, quibus ſermo efficitur: ut quidquid velit Angelus, omnibus linguis, ipsâ ignorante animâ, quæ naturaliter corpori inſerta eſt, diſtinctè pronuncient.

Error hic quo negabatur alios eſſe ſpiritus quàm qui carni immerſi ſunt, inde proceſſerat, quòd qui ſe totos corpori dederant, in brutorum modum nihil caperent præter id quod acceperant à ſenſibus. Ut ſtultisſima opinio exploderetur, effecit noſter Gyges, incogitans licet, & longè alia meditatus, quàm ut illam de ſpiritibus veritatem aſſereret. Nam quia inviſus tanta variis in locis patraverat, omnes uno oro faſſi ſunt, aliquos ſine dubio ſpiritus dari, qui humanę probitatis, ut & nequitiæ te-

ftes, Deo jubente, bonis fæpiſſimè faverent,& in ſceleratos ſævirent pro merito.

DIONYSIA.

NOn tantùm aëre circumſepti vivimus,ſed & illum ſpiramus omnes; neque tamen major pars hominum ſatis novit quod perenni internorum motu, in caloris levamentum non plus exturbat, quàm trahit. Nam quanti ſunt qui de his, quorum etiam uſu vita ſubſiſtit, philoſophantur? Nihil aëre fortius,debilius nihil; montes concutit ſi iraſcitur, & totas aliquando urbes ſubvertit, cùm tamen vel muſcis volantibus cedat ipſe, & in omnes formas, prout locus coegerit, patiatur ſe effingi. Talis propemodum Gallus: ſi de bello quidem agitur, nulla gens illa natione acrior: nam quis ad furentis Galli impetus non pertimeſcat? ſi de moribus, vix in orbe aliquem populum invenies qui facilius, ubi cum exteris mixtus eſt, peregrinę improbitati conſentiat. Ille inquam urbium domitor, mox ut ab armis quievit, & in otia delapſus eſt, quidquid vis, efficitur.

Inter Germanos & Gallos nova fœdera intercefferant, nec quid utrinque prætermittebatur, quo ille nodus ſtrictius fideliusque coaleſceret. Aulam impleverant Germani, & frequenti conſortio, non Francorum tantummodò veſtes magna ex parte corruperant; ſed & ſuam quoque ſobriæ genti dederant ſitim: illiſque authoribus, apud nobiles Gallos magno applauſu recepta erat opinio, Heroas vino

no non minus quam virtutibus effici, aut nobilium armorum fœlicitate. Ex illis qui cum Germano legato venerant, unus erat quem ab haustu & urceis vocabant Biberium. Nunquam ad satietatem perpotasse, fama erat, & bibacissimo cuique ita metuendum, ut nemo mente illæsa posset ad tot sanitates provocanti ex æquo respondere. Dolium dixisses qui tot scyphos, tot amphoras capiebat.

Ineptam bibuli hominis gloriam meditabatur Charmion, cum duo juvenes, quos ad eundem dominum pertinere indicabat unus vestium color, per urbem incedenti occurrerunt. Amplissimas lagenas præcipuo vino graves dextra gestabant, sinistra hederam: & quasi nihil urgeret, pleno gradu ambulantes, ad obvia quæque, de more servorum, spectatores otiosi, etiam inter se fabulabantur; sed exhaustus cursu alius ac sudore madens, qui seros accelerare jussus fuerat, mox ut ab illis audiri potuit, intercisis multo anhelitu clamoribus, manuumque jactatione cunctantes increpans, simul monebat, dudum à domino expectari, nec impunè abituros.

Hæc cum audivisset Charmion, subito consilio in obscuram porticum, quæ tum fortè objecta est, ad modicum tempus secessit, ut aptato secretè annulo, simul ac egrederetur, extrà conspectum fieret. Mox adolescentes, ipse ardentior, concitato gressu adipiscitur, & unà cum illis domum subit, in qua dicebatur minax dominus de servorum mora queri. Plures illic mensæ assidentes de famosissimis vinis ambitiosè loquebantur; & ad novi meri, quod

nuper ab extremâ Galliâ, ubi vitis generosior, allatum fuerat, celebre nomen, duos ex servulis miserant qui de œnopolâ emptum festinanter deferrent, simulque hederam: nam placebat in solutiores delicias celebrare Dionysia. Multarum virium erat vinum illud, & mox ut communi potatorum suffragio probatum est, detracto pileo singuli sibi virentem coronam imposuerunt, omnesque unà, exundantes penè scyphos sublimi manu tenentes, hymnum Baccho cecinere.

Quid! ajebat Charmion, an me mea fallit acies? non ex vulgo isti sunt; licet ensem posuerint, nobiles tamen arguit vestium cultus, & maximè famulorum frequentia: ô sordes! qui egregia stirpe editi sunt, in id opprobrium patiuntur se devolvi; & quasi non sufficeret vitiis illis laborare, quæ dignitatem aliquam præferunt, etiam turpiter peccant! Sic ingurgitari vinis ingenuos quis ferat? ac ut fiat sitis ardentior, saltiusculis illam per tot horas provocare, quam tamen benè extingui, cum merso stomacho corpus simul & ratio nutant, penè non sustinent.

Quis ex Gallis Germanos fecit; vah! tam modico tempore discipuli, jam suos magistros æquant! jam temperantia apud illos sic viluit, ut cùm temulentos aliquis petet ad colloquium, non pudebit responderi à servis, quod nulla famæ injuria in justissimam excusationem ajunt passim à Belgis usurpari; potatione recens est adhuc dominus meus, stertit in lecto, abi rediturus ad vesperam, commodum enim non habebis donec ebrietatem proli-

prolixior somnus excusserit.

Quid tandem Gallus erit, si fœderatarum gentium omnia vitia ea facilitate suscipiat? Jam plurimi quod cum Italis mixti sunt, nihil penè sincerum loquuntur; quidquid in urbanitatis, aut amicitiæ speciem proferunt, non immeritò dixeris aut tricas, aut ambages. In promissis verbosi, postquam simplicioribus spem fecere, tandem contemptos destituunt; tota illorum prudentia, cæteris nox est; & licet fulgorem suum habeant, non videntur tamen, adeò radii illorum cum tenebris consentiunt. Binos vultus habent viri isti, ut ille ex fabulis Ianus; uno propitii, altero quem non intueris, sæpè truces, ut prorsus nescias cùm tibi magis arriserint, plus ne ab amicitia sperandum sit, quàm ab odio timendum. Ab Italis quoque venit ad nos ille luxus, qui in domestica supellectile, in aulæis, in picturis etiam ac signis, quibus ab nomine artificis, aut ab ipsa ætate pretium est; tot pecunias quæ creditoribus debentur, stultissimè ac iniquissimè effundit. Restabat ut à Germanis disceremus quàm sit capax vini humanum corpus, & quot sanitates una bibétis sanitas absque damno ferre queat.

Interim potabant voluptarii homines, & unus illorum, qui medicæ disputationi aliquando interfuerat, retulit se tum multa didicisse, quæ ostenderent ineptissimum fuisse Pindarum, cui fons suus Hippocrene adeò placuit, ut inde frigidus Poëta, nec sua lauro dignus, aquam optimam caneret; Medicos pene haud necessarios esse, ubi vinum admitteretur

retur; & meritò Bacchum hujus artis peritissimum dici, quod vinum sit omnibus morbis, quibus affli&atur mortalium vita, singulare remedium. Deinde affirmabat utiliter dari nascentibus, cum nihil sit quod pituitam, qua scatet infantium ætas, magis attenuet, incidat, coquat. Iuventutem illo optimè uti, ne robur caderet; senes in illa frigiditatis atque cruditatum necessitate, quæ ultimæ ætati adveniunt, non impunè quod illis superest temporis ducturos, si vinum negligant. Illud quoque non tantùm ad fugandas curas pernecessarium esse, sed & ad illos spiritus arcendos, qui melancholicis atra consilia subjiciunt: venenis esse antidotum; balsamum vulneribus; paralyticis suos nervos restituere; lethargicis excutere soporem; eodemque adjutore effici, ut apoplectici excitentur & spirent, epileptici conquiescant. Nam pestem vino amoveri, exsiccari catharros, notius esse quam opus sit ut referat.

His auditis, alter qui historiæ magis quàm medicæ arti studuerat, ne vini patrocinium deseruisse crederetur, retulit de Alexandro, Magni cognomen meruisse, non quod Asiam suis armis obtinuisset, sed quòd vina amabat; & prolixus convivator, etiam ad scyphorum pugnam aliquando provocabat subditos, iucundissimo bello ita deditus, ut multorum funera, qui nimio vino interierant, ab ejusmodi voluptate principem non averterent; Antonio, qui suis poculis famosus fortunam quoque suam bibit. Addebat & Catonem, cui non semel in anno placebat procurata ebrietas, ut as-

aſſatos ſeriis animos exhilararet, & ita utiliſſimam imperio ſanitatem tueretur.

Politiæ inſuper ignaros fuiſſe ajebat Principes illos, qui in ultionem homicidii totâ Aegypto vineas ſuſtulerant, ne plebs quæ vino peccaverat, deinceps ebrietate fureret; optimos enim cives eos eſſe qui potu, ſi forte aliquid à Principe nocuit, iram mergunt, & ex vini genio ita veritatem loqui conſuevere, ut notiſſimo proverbio locum dederint. Meritò ſuſpectos eſſe qui totâ die ſapiunt, & à potantium hilaritate nimiùm averſi triſtes ſæpiſſimè cogitant quibus machinis, quâ vi imperia moveantur, ut publicâ pace excuſsâ, in illo tumultu privatis fortunis melius ſit: Denique nihil optimo vino jure præferri; & quia ſe moriturum ſciebat, nolle ſe dulciori fato occumbere quàm quod Principis cujusdam fuerat, qui damnatus ab alio, conceſsâ de genere mortis optione, voluit in aromatici vini dolio vitam extingui, ut acerbitatem caſus leniret naufragii ſuavitas.

Quia hæc omninò inſulſa non erant & aliquis literarum odor ſermonum licentiam temperabat, à riſu Charmion abſtinuit; ſed & cogitabat, Quid iſtis profuit ſtuduiſſe? fruſtrà rivos argenteos fontes emittunt, ſi in cloacam præcipitant. Quidquid literarum iſti didicerunt, inter pocula fœdatur. Ex floribus mella conficiunt apes, venena aranei; quod iſti bibuli in ſuam perniciem vertunt, candidioribus ingeniis ad formandos mores multùm eſſet.

Plurimis morbis vinum mederi quis negat?

gat? Sed quid ſtultius quàm ſi vel utiliorum intemperanti uſu naturam ipſam cogas iis te interimere, quæ ſobriè hauſta profuiſſent? quid infœlicius quam ægrorum remediis ea labi corpora, quibus vires non parcè ſufficiebat ipſa ætas, ac elementorum ſub optimo cœlo optimum fœdus? Vinum ſumere cum jubetur à medicis, ſapientia eſt; nec in totum etiam ea voluptas prohibetur, ſi cum illa ratio virtutesque conſentiant. Verum ea hodie inſania bibunt perditiſſimi ganeones, ut ſæpius merſa, tandem omnino hebeſcant, cadantque hominum ingenia, & plures à vino morbi quotidie creentur quàm levare idem poſſit. Multorum tortor, vinum, multorum funus; podagricis dolore magis quàm deliciis notum, non raro deſperationem fecit, frequentisſimè pœnitentiam.

Quid autem iſte in ſui vini prædicationem de Alexandro mentitur? Peſſimum nomen habet apud hiſtoricos Princeps ille, quod vino ſimel & iterum victus, ea fecit quæ lachrimas ab ipſo extorquerent; poſtquam ſui compos vir militaris, ad mortem amicorum, quos illa ebrietas tulerat, doluit, & erubuit. Cæterum, Alexander erat, cum inter hoſtium tela impavidus ducem ſimul agebat & militem, cum à voluptate abſtinebat, non cùm biberet: & quia in illud probrum aliquando lapſus eſt, dubitavit hiſtoria, an magni cognomen mereretur, qui animis ingentibus, qui clementiâ ac fœlicitate cæteros Principes vicerat, tantæque fuit caſtitatis, ut pulcherrimas virgines, quas jure victoris tanquam ſuas alius tuliſſet, ne

forma

formâ earum caperetur, sæpè nollet intueri. Generosissimo Principi, atque inter ethnicos continentissimo, ita nocuit illa ebrietas, ut efficeret, ne apud authores qui de illo scripsere, totum Alexandrum haberemus.

Nimio vino Catonem suam maculasse sapientiam, haud verum est; sed adeo rarum Catoni bibere, ut etiam cum ex medicorum præscripto paulo largius potaret, historici notarent. Neque putandum est vino deditos reverentiores Regibus esse, cum nulla sit major audacia quàm quæ Baccho inspirante rapit arma, & sæpè à vino initium sumpserint illi tumultus, quibus tot Principes destituti sunt, aut cæsi.

Rationis opus est obsequium illud quod Regibus defertur à subditis. Ubi prudentia deficit, frigidis illius consiliis, securisque, ut plurimum succedit noxius calor, qui si vino quoque augescat, furiosam plebem, ac suis ignibus cæcam, non sinit Majestatem revereri, aut futura prospicere.

Sed ô quàm falsè! & quàm nefariè dixit iste vir, optare se abjectissimi principis sordidum interitum! Morientis nulla voluptas est, nisi quæ à virtute ortum habet; Exeuntem nullus liquor juvat, nisi lachrymæ. Quàm diversa loquetur ebriosus iste, cum extremis temporibus vicino vina sua in memoriam venient; hymni illi, quos vix patientia Christiana ferat, etiamsi ab Ethnicis canerentur: sic dies effluunt, sic noctes?

Charmionis meditationem turbavit impurissimorum hominum, quibus jam sua ebrie-

tas ſalaces ſtimulos fecerat, obſcœnus ſermo. Sine Baccho frigidam eſſe Venerem dixit aliquis; alter ſubtilius, ac fortius: absque illo libidinem monſtrum haberi, & propè ad fidem non eſſe, ſi quis dicat ignominiis patuiſſe abſtemium. Iſti qui tot vinis madidi, ſitis imitatione ad promptiora pocula urgebant feſtinantium famulorum diligentiam, citò in ſpurciſſima prolapſi ſunt.

Suos unus amores narrabat, ut quàm fœliciter redamatus, ad optata perveniſſet, cęteri ſcirent; & abjecta ſilentii fide illud omne effutiebat, quod ut taceret conſtantiùs, toties Numine invocato, ſe perditum voluerat, ſi vel animi perfidia, vel ſermonis levitate aliquid de turpiſſimo ſecreto excideret. Alter fingebat ſe feciſſe quòd ſolùm in votis fuerat; & in palmam obſcœnitatis, plures volebant ea de ſe credi ſcelera quibus nec fortuna favere toties ſolet, nec penè humani corporis vires ſufficiunt.

RELIGIO VINDICATA.

HOs cum pati amplius non poſſet Charmion, ob verborum ſpurcitias, in alterum conclave, unde rumor audiebatur, ſe contulit. Alii erant eo ludo implicati in quo temeritas & caſus, non ratio aut conſilium valet. Ne verò de ſola temporis, aut pietatis jactura ageretur, ingentes pecuniæ jacebant in menſa, ad ſpem metumque ludentium. Pal-

lere vultus aut incitari, commune omnibus, quoties fortuna tacitis votis aderat, aut videbatur recedere.

Incogitantes nautas fluctu rapiente in oceanum devolvi, & mox eodem referente, ſuo reſtitui navigio, aliquando vidimus; ſed quod in pelago rarum, hoc in ludo frequentiſſimum erat: nam ſubito alearum jactu fœlicitate ereptos, rurſus in opulentiam referebat caſus, & ea varietate ludentium ſtatum quaſſabat alternata ſors, ut nemo diu ad comparatas pecunias lætaretur, aut ad perditas deficeret.

Quantò dulcius, ajebat Charmion, conceſſis à Deo opibus iſti fruerentur, quàm trepidè ſperant, & ut alienis facultatibus augeantur, ſuas exponunt, quas ſi tandem, ut fit ſæpiſſimè, ludus exhauſerit, fruſtrà dignitates à patribus expectabunt filii, matrimonia gnatæ! Quis hic alearum furor, ut homo, cui ſua conſtant, egeſtatem quam tantopere reformidat, pluries in die experiri ſuſtineat, & ut levi ſpe reficiatur incertus animus, toties pavere & iraſci?

Ad breve ſpectaculum metheora effingit natura, fluxos in aëre ignes, coronas, arcus, ſoleſque, mox ut admirationem ſui fecerint, interituros: breviora ludus oſtendit, fortunas momento ſublimes, momento dejectas, quæ ut invidiam cupidis fecere, mox illos ad riſum detorquent, aut, ſi humani ſunt, ad miſerationem.

Aleatoribus ita perierat ratio, ut iſta non adverterent. Dum ſic ludo incumbunt, contigit ut unus illorum ea die cæteris infœlicior ingen-

ingentem pecuniæ vim amitteret, quo factum eſt ut ipſi Deo iratus, non dejeraret tantummodo, ſed horrenda impietate, inauditis ad id uſq; tempus ſermonibus, notas blaſphemias cumularet. Ad ſceleſtas hominis voces nihil primò Charmion, niſi ſe cruce ſignare, mirarique, quòd adſtantium nullus furentem animum revocaret ad Numinis reverentiam; moneretque contumacem, niſi ſilentio premeret diros animi motus, ſe protinus aleas projecturum in ignem, ne impietatis conſcii haberentur, quibus ad tam nefarium ſcelus non defeciſſet patientia, aut domus ipſa repentino caſu ruens, ludentes contereret.

Quo fræno teneatur jacturæ impatiens animus? quid non audeat, ubi ſe deſtitutam ſentit à fortuna, rabida impietas? Phreneticus ille tam acerbè, tam conſtanter in Deum injurioſus fuit, ut pavere inciperent qui aderant; ſed duplicatus derepentè terror, cum Gyges non viſus menſam ſic leviter movit, ut tremere ipſa, & aliquid videretur minari acerbius. Verum illo motu ceſſante perditum hominem ad novas execrationes compulit infœliciſſimus ludendi ardor, quas ut iterum Gyges compeſceret, denuò menſam, ſed fortius, ita concuſſit, ut ex pavore, vix collectis quæ proſtabant, pecuniis, omnes uno conſilio fugerent.

Relicto deinde ſcelerato illo, cujus voces vel ipſa ligna horruerant, agitaverunt cæteri an res deferretur ad judicem. In ea quæſtione haud idem omnium ſenſus. Aliqui dicebant Religionem ſummoperè lædi, ſi ab illâ accuſatione abſtinerent: jam per Gallias illud ſcelus non

non vulgare tantum esse, ubi deterior ludus turbatas obstinato damno mentes ad impia impelleret; sed & à frigidis sæpissimè usurpari, qui nullâ jacturâ provocati, aut tristes, verum famam eâ insaniâ quæsituri, nova convitia publicè fundebant in Deum, non ferenda mancipiis; iniquissima opinione juvenes ita corrumpi ut inveniendis ejusmodi contumeliis ingenia sponte laborarent, & ille subtilior haberetur, qui in Deum pervicacia, contemtu, inusitatis injuriis esset atrocior. Timendum ne Regno ista ferenti aliquid accideret triste; Cœlestem iram quæ tot annos non audienti similis à suppliciis abstinuerat, tandem posse lassari; & sæpè effundi in Principes, qui se satis fœliciter regnare existimant, si despecto à subditis summo Deo, ipsi reverenter habeantur, & quodcumque in mentem venerit, ad arbitrium faciant.

Probata quidem omnibus quæ de atrocitate sceleris dicebantur, & de Numinis ira: sed inclytis pbrentiaus erant genitus sceleratus ille, & timebatur ne Religionem quæ in eum testibus esset pugnatura, vindicta exciperet. Qui pessimam causam cum opibus habent, minis agunt, & justissima delatione sæpè frustrantur tribunalia, quòd metus ipsa pietate sit fortior, paucíq; inveniantur qui ad arduum nobilissimumque facinus pares animos acceperint. Quid? & ipsi judices gaudente ejusmodi reos non vocari in crimen, ne aut periculosè illos damnent, aut fœdè absolvant, & tota fere illorum in egentem nequitiam authoritas armatur. Hîc implacabiles, hîc nova severi-

veritate insueta supplicia aliquando quærunt, cùm pauper ea egit dixitve, quæ Magistratus iram merent, & expedit in ampliorem sedentium famam publicè vindicari.

Functis hominibus parcebat olim medicina, ne crudelis videretur si sectis illorum cadaveribus instructior fieret, & nostrum genus reverita, si quid de internis scrutandum erat, humaniori consilio sæviebat in simias: Eodem prorsus genio in nobilissimos quosque reos aguntur plerique judices; nam intactos abire sinunt, quibus atrociora supplicia debentur; & quæ ab illis manus abstinuit, ita in pauperes incitantur, si quid in leges grave peccaverint, ut non rarò ab æquitate sævitia deflectat.

Tunc temporis Vaurclorius quidam sanctioribus Christianæ Religionis mysteriis ita illuserat, ut vulgatâ criminis famâ cogeretur Magistratus abominandum hominem in carcerem detrudere. Non diù captivitate illâ maceratus fuerat cum impium libertati reddidit sua nobilitas, & reverentia sanguinis, quem ille fœdissimis moribus, & maximè Numinis contemtu tàm sceleste corruperat. Pone, viliori manu perpetratum id crimen, nunquam evasisset pauper, aut ignobilis, adeò generis splendor, atque opes ex scelestissimo quoque innocentem creant, & judiciorum momenta sunt.

Hæc sciebant qui de illo alio quem Charmion ab aleis & nefandis sermonibus suâ industriâ tulerat, inter se loquebantur, & ideò plures innuebant, ut periculosam, ita & inutilem delationem fore; sed numero minor, animis

nimis fortior fuit altera pars; & quatuor viri qui religione præstabant denuntiandi hominis provinciam suscepere, cæteri si vellent silerent, aut minuerent crimen, cum in testes vocarentur.

Ut primùm audiere judices, visi sunt ingenti ardore illud negotium amplecti, & subito satellitio comprehensum hominem velle se in exemplum cæteris nobilibus dari, qui simili insania atque impietate furerent. Verùm aliquot mensium lapsu frigidioribus effectis, tandem quidquid grave crimen illud habebat, visum est ad ebrietatem pertinere, nimiæque severitatis esse, si vinum in nobilissimo viro, alio quàm carceris supplicio plecteretur.

Tunc in memoriam rediit non delinquentis tantum claritas, sed & emendationis spes, Galliæque ipsius commodum, si ad sapientiam ea animadversione compulsus, regiis in castris militaret. Ex illis stirpibus servandos esse qui cum licentia ætatis, vel contagione morum plura peccaverint, maturi posteà officiorum utilitate pulcherrime compensant quidquid in contemptas leges actum est; & sæpe pœnitentia vapulatam religionem quæ tardos judices in ejusmodi reos incitarat; nam peremptos redire non posse, cum illorum opera eget exercitus; & frustrà functorum nomen invocari, quos perire voluit pietas civilibus negotiis non raro infesta, & in iis quæ hujus vitæ sunt, plerumque cæcutiens.

Ea mollitie, ea judicum mora securum crimen erat, nisi pauperis calamitas jam prope extractum carcere virum nobilem ad merita

sup-

ſupplicia revocaſſet. Egeſtate & divitum ſævitia in deſperationem actus fuerat homunculus quidam, & in ea mentis caligine, plurima in Deum loquutus, etiam de virgine matre ea dixerat quorum propè crimen memoria. Furentem multi audierant, & re illicò delata ad judices, ita animos zelus accenderat, ut vix benè auditis teſtibus, ſponte confitentem reum, tanquam negaret, acerbiſſima vexatum quæſtione, intra paucos dies flammis darent.

Feſtinantiſſimo judicio conſenſerat pium vulgus, & pereuntis, nullæ ſpectantium lachrymæ, gemitus nulli acerbiſſimum fatum lenierant; ſed ut de illius nobilis venia, qui mox de carcere egreſſurus dicebatur, ſparſus eſt rumor, ingenti tumultu concitata plebs, neq; ſine armis forum implevit. Una vox omnibus: Niſi dives ille pari ſupplicio afficeretur, quo nudius tertius pauper, ſe judicum officium occupaturos; damnationem inſuper accelerarent, niſi & perire vellent ipſi: non ferendum enim, ideò nequiſſimum hominem ſuppliciis eripi, quòd affines, quòd amicos in eo ſenatu haberet, aut denique corruptos pecuniis. Leviora pauperum crimina eſſe, quos ad nefaria neceſſitas adigit, quàm divitum qui ex voluptate ſceleſti ſunt, & maxime iſtius, cujus nota impietas in eam audaciam creverat, ut quicumque Deo injurioſi priùs fuerant, homini perditiſſimo compoſiti, viderentur innocentes.

Deliberante adhuc Magiſtratu, aulæ fores in qua judices recumbebant, repetitis fruſtrà per aliquod tempus ictibus, tandem ingenti conatu, ab irata plebe afflictæ ſunt; & ferven-

te multitudine, cùm vix obtinuiſſet ſilentium ille qui principem locum in ſenatu obtinebat, quantum potuit voce contensa, ut audiretur ab omnibus petiit, quid vero meruiſſent judices, ut ea vi dignitas illorum tam indignè haberetur? inauditum illud facinus eſſe: ſi quid expectarent à Magiſtratu, precibus multo fœlicius obtineri, quàm armis: & licet forſitan juſtiſſima eſſent petituri; iniquitatis tamen ſpeciem habere tumultus illos, qui jus extorquere malint, quàm à volentibus accipere. Ad hæc jam modeſtiore plebe, timenteq; ne plus deliquiſſet quàm cauſa illa merebatur, qui audaciſſimus erat inter illos, nec omnino imperitus, cæteris in eum intentis in hæc verba prorupit.

Vel iniquiſſimo equiti quod à vobis meruit, reddite, judices, vel pauperi vitam: non enim ita interierit ille, quem ad impios ſermones adegit, orta ex divitum immanitate deſperatio, hic autem inultus abibit. Egenum tam cito damnaviſtis! quid ſuſpenſos tenet adhuc divitis ſcelus? donec tam acerbè peccantis memoria prorſus in populo evaneſceret, tamdiu tribunal expectavit! & propè perierat deteſtandi flagitii imago; ſed illam excitavit miſerrimi hominis vobis damnantibus properata mors. Ergo quod officioſi eſtis in Deum, debebitis inopiæ noſtræ, & torpebit in judicibus Zelus ille Religionis, quem tantoperè jactatis, niſi ex plebe ærumnoſus aliquis, ad leges quas jam opulenti neque ſentiunt, neque etiam timent, vos oblitos compulerit? blaſphemavit pauper, moriatur: blaſphemavit nobi-

nobilis, vix damnetur ad carcerem; & inclusus, regiis sumptibus vivat, ut in fortunæ proventus cedat ipsa pœna; ut ditior sit, quia reus, & judices videantur non de supplicio hominis, verùm de œconomiâ tanquam procuratores cogitavisse.

Sermones hos sequutum est populi murmur eadem confusè iterantis; vixque à turbidis obtentum est, ut ad modicum tempus recederent, donec decerneret senatus quid de illo divite agendum, cujus mortem tanto judicum favore, totque artibus dilatam multitudo postulabat.

Quod æquitas, ac Religio non potuerant, hoc à tribunali metus obtinuit; nullus fuit ex senatoribus qui impium absolveret. Jam vinum peccasse dicebat nemo: subita mutatione restituta est homini ratio, ut justissimè ab omnibus damnaretur. Neque visus regno utilis, aut emendationis spem dare, qui consuetudine peccandi cœlestem iram ita provocarat, ut Gallis placari nisi ejus interitu haud posset. O judicum potestatem cæteris mortalibus inconcessam! oculos ad arbitrium habent, ac ponunt: quid mirabilius in Lamiis suspexit credula antiquitas? Cùm nox lucro est, statim optantibus ingruit; cùm dies utilis, illicò nascitur: ut jure dixeris, lucis ac tenebrarum dominos; crimina sint ipsis altiora montibus, & Deo notissima impietate injuriam inferant, non videbunt si volent.

Divitem novissima exempla meritum pronuntiaverunt jam oculatissimi judices, licet aliquid ex supplicio demerent ad vitandas nobilium

nobilium querelas, qui se minus mori existimant, quoties non vulgari fato pereunt, & probrum etiam minui, si damnatos ob scelera ingenuos ad distinctionem plebis maneat suum dedecus.

Ad æquissimam sententiam quamprimùm pacata plebs; & supplicii fama ad aulam perlata lætatus Rex teterrimi monstri interitu expiatam fuisse suam Galliam; addidit quoque edicto se curaturum, ut judices in ea Numinis injuria ad humanitatem non flecterentur, & nemo eo scelere constrictus vel levem gratiam à Majestate expectaret.

OCEANUS AULICUS.

SUbtiliter, licet impiè, naturam nostram Lucianus adumbravit, cùm hominem quendam, qui Superorum numero adscitus fuerat, dixit constantissimum hunc immortalium statum diu ferre non potuisse, supplicemque orasse Deos, ut tantæ dignitatis pertæsum, pristinæ conditioni quæ nova semper suggereret, restituerent.

Si impietatem demas, facetosum illum non ægrè probaverim: nam varietate rerum magis delectamur, quàm rebus ipsis, adeò inquietos agit novitatis amor, consiliique ad diversa respicientis mobilitas. Quid pulchritudine amabilius? & tamen possessori suo quàm non raro vilescit? injucundam facit consuetudo, & nisi ardere conceditur alterius formæ desiderio, prior illa quam solam suspi-

rare licet, non amantis ſolatium eſt, ſed ſpecioſa calamitas. Ita eſt omninò: bonorum ſucceſſione, non uſu metimur felicitatem noſtram. Placet lux, ſed ſi non perpetua, ſæpiſſimeque occidat, ut toties rediens, faſtidienti oculo nova ſit, ſuique tædium auferat, per alternas noctes repetita nativitate. Pax ipſa quam tot bellis demereri volunt mortales, quam tot emunt malis gemitibusque, ubi obtenta duraverit, contemnitur, tempeſtatum, quas ipſa ſedaverat, deſiderio.

Ad naturam planè concinnata eſt hæc Gygis hiſtoria; tædio obſtat ſua diverſitas: nam quia ille vir nunc in illam domum penetrabat, nunc in alteram, prout ſe dabat occaſio, ſæpè factum eſt, ut omnino pugnantia una dies oſtenderit. Facillimum quidem erat omnia quæ ad eandem materiam ſpectant in unum cogere; verùm hiſtorico non rerum, ſed temporum ordo ſervandus eſt; & quæ laudaretur in docente, in referente crederetur ineptiſſima diligentia. Gygen ſequor, non rhetorum, aut philoſophorum præſcripta, & ad delicias lectionis plurimùm facit, quæ caſu evenerunt, quadam etiam caſus imitatione ſcribere. Præviſos dolores minus ferire ajunt: idem prorſus & de voluptate cenſeas; non expectata magis placet: & quæ de Gyge narramus gratiora erunt, quod ferè ſemper non cogitantibus occurrent.

Aulam velut quendam oceanum eſſe aliquando legerat, in eaque inveniri ſcopulos, ſyrtes, animalium pugnas, immanes cetos, quibus eſca piſcium vulgus; tempeſtates, naufragia,

gia, ſyrenas etiam, quæ faciliores quosque cantu alliciunt, neque placent niſi ut perdant. Ventorum adeò regionem eſſe plagam illam, ut nunquam ab illis quieſcat; & quidquid in ea agitur, aut faventibus auris in portum ſuccedere, aut averſis mergi.

Semel quidem, aut iterum aulam viderat Gyges; ſed nihil præter tumultum in eâ adverterat. Igitur ad hujus elementi naturam ſcrutandam ſolertiùs, denuò placuit in illud admitti, eâ tamen ratione, ut Plinio fortunatior eſſet, qui incautâ diligentiâ Veſuvii flammas propiùs luſtrans, dum nimis Philoſopho ſtudet, ab illis abſumptus eſt. Nihil officere viro poterat, ſi annulo ſuo tectus, inter vaferrima ingenia, & plerumque timenda verſaretur.

Eâ die ſolito copioſior aula erat, ubi cùm & Monachos, haud cæteris diſſimili motu, ſurſum deorſum curſitantes, erectiſque cervicibus, intuitus fuiſſet Charmion: ô Verè oceanum! inquit: nam & hîc quoque amphibia ſunt, quæ duplici elemento ita utuntur, ut æquali facilitate ſilvas trajiciant, & æquora. Clauſtrum certè ab aula multum diſtat; illud quietis locus eſt, procellarum hæc; & tamen iſti ad utrumque ita nati ſunt, ut cùm ſua illis pax diſplicuit, ſubire fluctus cum cæteris poſſint, & ſervato ſpiritu iiſdem turbinibus volvi.

Piſcium innumeras eſſe figuras ajunt, quaſdamque inveniri non tantum corporis humani, ſed & veſtium, quibus uti conſuevimus, imitationes: Verum quod referentibus libris

haud credidi, hoc jam cerno, mirorque, piſces Monachos. Sed quia videbantur duo ex illis cum aliquot aulicis mixti, ſatis commoto pectore ac vultu, ad quæſita reſpondere, voluit ſcire Charmion, quid illi agitarent, & unde hæc ſermonum vis, ruborque qui dicentes incenderat.

Frequentius illi in aulam concedere ſolebant quàm ſolitarios deceret; & tot negotiis implicati dicebantur, ut ſui ſtatus virtutumq;, quæ ſervari niſi ſemotæ vix poſſunt, non viderentur meminiſſe. Hos cum fortè obvios habuiſſet quidam aulicus, malitiosè petierat, an ignis corripuiſſet cœnobium, ut ſic monachi fugerent? Dentatam quæſtionem audiverat alius, cujus riſu mox plures acciti, circa hos convenerant, ut & ipſi, ſi quid jucundum eſſet, caperent, & ſi videretur, aliis etiam facetiis laceſſerent cucullatam patientiam. Jam ad quæſtionem non ineptè ſenior reſponderat; & in amplioris diſcurſus ſeriem, odiumque ſtatus illius, qui diverſos à cæteris mores profitetur, ita tum monacho aulicus, cum ad illos acceſſiſſet ſubtili veſtigio Gyges auditurus quid dicerent.

Ne quæſo moleſtum tibi ſit, ea à me audire, quæ cum æqualiter cogitent omnes, nullus tamen, ut opinor, dixerit tibi. Melius, credite, ac decentius veſtra vos ſolitudo, quam hic locus excipiet. Mores alios, alias etiam à nobis veſtes non ideò induiſtis, ut inter nos quotidie mixti, aut oſtenderitis quàm vobis diſpliceat cultus veſter, aut noſtrum denique, qui tantum ab illo diſſentit, continua quaſi ex-

pro-

probratione damnaretis. Avibus quidem delectantur aves, ſed non extra ſuam ſpeciem; neque enim ciconiæ corvos, aut aquilas milvi quærunt; cum quibus verſari debeatis, ex plumis agnoſcite. Sed negotiorum causâ huc convenitis: quæ autem illa? oro; aut aliena certè, aut veſtra ſunt; ſi aliena, ô vos ſimplices, ne dicam fatuos, qui ut cæteri melius habeant, abdicatis, quam tamen tot exornatis laudibus, pacem veſtram! An peribit Reſpublica ſi non procuretur à monacho? & tot capita civilibus nata negotiis, quid bello, quid pace agendum haud ſatis ſcient, niſi à vobis, quos ignorari melius ſit, oracula veniant? An forte in precum veſtrarum libello legiſtis Ariſtotelis politica, illudque didiciſtis otioſi, quod peritis Magiſtratibus vix infudit ſua experientia, ſuus labor; & militaribus viris tot annos ducta ætas ſub caſſide, & clypeo? At ſunt privatorum negotia, non Regni quæ ita vos agunt, & ad hos tumultus invitos rapit non quietis faſtidium; ſed in miſeros charitas: ipſi gerant quorum intereſt facultates non perire. Vos eſſe ſæculo mortuos quis credat, ſi quoties amici aut affinis alicujus familia vexatur, tanquam ſitis præ cæteris viventes, ſubito caſu ad primas invocantium querelas venitis in auxilium? ſtatus veſtri, quem ſenſibus exutum tantopere jactatis, pudor eſt tot quotidie defunctos excitari: verum non Angeli voce; ſed hominis, ut ſic ſuſcitatos feriat divinum illud verbum, quod tyranno in martyres ſævienti aliquando dictum eſt: tibi reſurrectio ad vitam non erit; ideò autem hęc

refero, quia notiſſimi, totiesque etiam à vobis decantati ſermonis, videmini memoriam perdidiſſe.

Atrocia hæc erant: ſed ut copioſiori licentia poſſet & ipſe monachus quæ cogitabat effundere, jam placidior aulicum ſubridens rogavit, ut donec loqui non turbatus ſineretur, ſi quæ in ſolitarios proferenda reſtarent, libere diceret. Tum ille: De alienis quidem negotiis dicebam, quorum curam ineptè, ac etiam inhoneſtè ſuſcipitis. Quid autem ſi veſtra? turbidos certè vos eſſe arguent, nec invicem officioſos aut patientes, qui controverſiis componendis toties adhibetis exteros, & am frequenter ad lilia provocantes laſſatis Regiam benevolentiam, ſatis vobis adfuturam ſi aliquando ſubveniat. Neque enim negavero ea poteſtate ſolitarios quandoque indigere; verùm nemo mortalium probet, apud vos tanta agitari, ut in clauſtris patronos', judices, ipſum denique jus negotia non inveniant.

Sed gratia noſtri forſitan, aulam teritis, ut tepentes animos accendat zelus veſter; paululum vini ſi in multam aquam projicias, vincitur: inter tot aulicos citò monachus in aulicum tranſit, faciliusque nos illum mutamus, quàm ille nos. Si quid levitatis habet aula, ſi quid iniquius ſperat, ſi dignitates aſſentatione quærit, aut vili in viros Principes obſequio: citò has artes, hæc fortunæ compendia diſcit monachus, & faſtidita veſte, qua religioſus dicebatur, inquietus apud ſe agit qua tandem illam ratione commodiùs, ſi placent opes, aut

ſi

ſi honor, decentius exuat. Viſco tota aula oblinita eſt; qui ad illam aceſſerit, capitur, niſi celerrimo fortiſſimoque volatu inſidias declinarit; ad gluten hoc, quòd tenaciſſimum ſit multumque adhæreat, plerique veſtrum pennas ſuas amiſere. Quid vobis cum aula, monachi? æmulari nos vultis: quomodo liceat, monebo: conſuetudinem veſtram, colloquia veſtra, ex veſtitus morumque diſparitate vitamus, & nos fugite. De cætero, ubi vos non ſæpè videmus, reveremur: ſi quid tum tanquam homines delinquitis, latet nos: & facilè excelſiſſima virtus putatur quę non ambit laudari, aut conſpici, quæ ad ima non deſcendit. Sacra ſua Eleuſis ideò abditiſſima habuit, ne detecta vileſcerent: reddite vos cellulis veſtris, & modeſtiores ſocios imitamini, qui totum inſtitutę vitę pondus ſemoti ſuſtinent, dum hic aulicos agitis, quos cæteri rideant.

Ubi hęc ille loquebatur, tunicati quidam incedebant prolixis veſtium laciniis, ſuiq; ordinis inſignibus: An & iſti peccant, o Aulice! inquit; ſua dignitate ita ſancti ſunt, ut ſi quid in nobis ſacrum, illud habeamus, quod ipſi nos tetigere. Si vel divina loquimur, vel ad altare accedimus, illorum omninò munus eſt, neque culparum aliquid condonamus plebi, niſi ad id prius poteſtatem petentibus nobis fecerint: ut ſcias quantum ſupra monachorum ſtatum emineat illa ſanctitas, cujus, cum effundi placuit, ne ſola ſe frueretur, rivi ad nos pervenerunt. Chriſtianam perfectionem, ad quam nos ſolitarii toto niſu, totis viſceribus properare jubemur, jam adepti ſunt proceres

illi, & ex fidiſſimo portu quem contulit illis ſua dignitas, ſæpè nos in fluctus fruſtra enitentes miſerantur, aut naufragos deflent. Certè tu rigidus, aulice, ſi quod in perfectiſſimis viris minimè culpas, tam acerbè damnas in nobis, ut niſi ſceleſti aulam adire haud poſſimus, quam ipſi pietatis duces non frequentant modò, cum in urbe eſt ſtabilis? ſed & mobilem conſtantiſſimè ſequuntur; non amiſsâ ſanctitate.

Plerosque illorum ſuis in ſedibus fixos, nec alteri in pacatiores ſomnos commiſſi ſibi gregis curam concrediſiſſe, equidem ſcio, ſublimesq; illos ſpiritus pulcherrimè movere ſuos orbes, qui abſentibus Angelis aut perversè agerentur, aut omninò quieſcerent. Illuſtrium laborum eximiæ nec citò laſſandæ ſolicitudinis fama ingenti rumore venit ad nos, & illi maxime ſponſis ſuis digni habentur, qui nunquam deſerunt, illudque Apoſtoli ſibi dictum exiſtimant, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.

Sed quia vix credibile eſt aliquos ex divinis illis hominibus inveniri, qui in ſuam dignitatem ſcientes, diuque peccare velint, inde conjicio crimen haud eſſe monachis in aulam ingredi, cui tot proceres, quorum virtus cæterorum lex, adeoque eſt eminens ſanctitas, ita ſe dedere, ut tanquam ſedium ſuarum obliti, ſtipatores Principum agant, & nuſquam ſint, niſi ubi Rex.

De Alexandro forſitan audiveris: captum piratam qui lembo ſua latronicia exercuerat pluribus verbis increpabat, quòd mortalium

talium quietem in ipſis undis inſectaretur: Sic verò ad illum miſer : Ego reus, Alexander, quod timide, quod navigio uno piraticam ago; tu innocens quia palam, totque triremibus, ut ſub illis pelagus gemat? Ad nos redeo : quod verecunde, quod neceſſitate compulſi agimus, quid reprehendas, ſi illud ipſum toto anno, totâ aliquando vitâ illi faciant, quos tu orbis lumina vocas, & ex eruditione atque ſanctimonia ſuſpicis? Aula excedant illi, ſuiſque ſedibus reſtituantur, ut & nos repetamus rupes noſtras : Nam quis dicat illud ſolitariis prohiberi, quod illi ordini conceditur, qui præ cæteris ſacer eſt; qui divina ſublimiùs tractat; qui ab aulico tumultu tantò plus tenetur recedere, quantò plus tranquillitatis requiritur, ut illud expleat, quod à turbidis implicatiſque, & aliud agentibus, geri non poteſt? Si extra culpam ſunt exemplaria, illi rei qui imitantur? & noſtra forſitan ſolitudo, juſtius à nobis ſe queretur deſtitutam, quàm ab ſuo duce exercitus, ab ſuo paſtore grex, plebs à medico tot vulneribus ſaucia, ut qui derelictam viderint dicant, quis medebitur tui?

Quod dixiſti de negotiis, ſi nos agnoviſſe contigiſſet, dixiſſes ſapientiùs. Sua aliquando baptismata, ſuas ſylvas deſerebat ipſe Joannes, ut principi eſſet à conſiliis qui audito eo multa faciebat, & regimini per tot prudentiæ civilis anfractus ſæpiſſimè perplexo, certius, ac divinius lumen infunderet. Qui longius à vitiis abſunt haud

certè negabis Numini propiores esse, ex quo lux illa est quæ nec fallit, nec fallitur. Mendaces radios habet non rarò quorundam hominum sapientia, quibus si se Reges credant, aberrabunt ab illa regnandi fœlicitate ad quam certissima, ac etiam unica via sagax pietas, non flexuosa illa nequitia tot funestis meritò infamata successibus. Hanc verò oculatissimam pietatem sæpè Regibus dederunt, tanquam aliquo cœlo deducti, solitarii homines, & ideò absque prophetis quos speluncæ aut ipsorum cacumina montium negotiis dabant, sæpè non visum est ex prudentia, aut bellum inchoare, aut cum hoste pacisci. Neque tu etiam ignoras nostrâ tempestate unum ex illis quos in totum regimine amoves, adeo utilem regno fuisse, ut functum amarissimè fleverit purpuratus ille minister, quo in distinguendis hominibus, præficiendisque, aut consulendis nemo certè sagacior. Jam vides solitarios, si vocantur à Principe, non ineptos publicis negotiis. Aliorum autem privatas res haud curamus; nisi dicas illis nos implicari; quia judices interdum provocamus ad integritatem, principes ad misericordiam; ubi pudens egestas nummisque destituta, leges pavet quas non læsit; aut infœlicibus illis omninò opitulamur, quibus ad majestatem nisi per nos non daretur accessus.

De nostris quoque negotiis habeo quid respondeam. Adeò pax nostra diuturna & nota est omnibus, ut si quid illam leviter concusserit, & modici mali nascentes molestias pervul-

vulgarit, vel minus cauta prudentia, vel auxiliorum necessitas, continuo ingentes tumultus fingatis; cùm tamen apud nos rari sint illi motus, quos ut patimini fama non loquitur, quòd consuetudo admirationem tollit, illisque vita vestra damnata est.

Præterea, ut infrequens apud nos ille domesticus turbo facillimeque placandus, ita non rarò à cupidis hominibus impetitur res nostra; qui quòd sciant nos quieti deditos ac pietati, perferendis injuriis aptiores esse, neque illarum memores, audacius, siquid opum nobis contulit religiosa fidelium beneficentia, in eas peccant; & modò annuis reditibus, modo agris ipsis imminent, quasi facultatum securitas nulla esse debeat, & in illas jus omnium sit, ubi ad quietos pervenere. In tanta tamque frequenti prædatorum ac nequiter insultantium injuria, restat ut tribunalia, & aliquando ipsi Reges norint, quàm malè sit illis qui inermes & noxii, nequid adhuc in illis aliena nequitia concupisceret, tot bonis se abdicaverunt, ut quicumque copiosos dicit, & nimio otio obesos, illorum tamen labores, vigilias, paupertatem denique timeat profiteri. Hęc sunt negotia quæ invitos nunc in forum, nunc in aulam ipsam aliquando nos compellant, nunquam recessuros à solitudine, si non ipsi cogeretis.

Dum ita suas agit partes monachus; Charmion cogitabat non illos nocentiores semper esse, in quos lingua invehitur licentius, & sæpè peccata apud ineptos minui, cum dignitatibus accessere.

Sed

Sed his intentum avocavit ad alia vir quidam, qui submissâ voce, ne ad cæteros perveniret, amico loquebatur. De potentissimo homine inter familiares sermo erat, quem æquali damno aliqui nuper violaverant, dum ita perditum credunt, ut nunquam rediret proscripta fœlicitas, aut facultas ultionis: fugerant alii, affectu in adversas partes trahente, & misellis spebus incubuerant à quibus fortuna abfuerat. Auditis his, agnovit Charmion quàm verè in aula scopuli esse dicantur, in quos si impingas, frangeris: impetu enim tangi non sustinent; quàm duri sint testantur quassata circum navigia.

Arma virum, tabulæque, & Troia gaza per undas.

Sed & nimium si recedas ab illis scopulis, quæ tot naufragia fecere, vix habebis ubi jacta anchora navis hæreat, si te à cæteris remotum terris aliquando atrox tempestas per commotos fluctus circumagat: saxa enim illa, quæ tot periculis, tot mortibus famosa sunt, non paucos servavere; & si leniter, ac præmissâ veluti bolide, ad illa accedas, sæpè pro portu habebis, & rerum tuarum securus non timebis pelagi minas, aut ventorum insaniam.

Vix hæc didicerat Gyges cum visis aliquot mulieribus, quarum una vultu ac dignitate præstantior malorum omnium causa ferebatur, quæ cum vulgus, tum principes ipsos ad satietatem exercuerant; aliisque prætereà, quæ blanditiis vel nobilissimos viros habuissent in conjuges, vel incautos atque inaniter sperantes exhausissent suis opibus & istæ forsitan,

tan,

tan, inquit, Sirenes ſunt, licet Acheloum patrem non agnoſcant, neque illas Calliope genuerit.

In extremis Neuſtriæ partibus Sirenem aliquando viderat Gyges, quæ recedente pelago aquis deſtituta in arena jacuerat, & flebili voce in proxima domo quæ ad oram maris ſita eſt, juſtiſſimum timorem moverat, ne ex pueris aliquis in aquas lapſus, cum ſe expedire à periculo non poſſet, hos ederet gemitus. Cum ſubito ad pereuntis repetitos clamores acceſſiſſent diligentiores famuli, pro puero piſcem vident. Humanum planè caput, ſed paulò craſſius; capilli breves; oculi, naſus, aures nihil à noſtris diſſentiebant; ſed os grandius, & ferinis dentibus terribile. Manus illi noſtris per omnia ſimiles, verùm abſq; brachiis mirabili naturæ ingenio ſub utraq; mammâ ad natandi facilitatem videbantur erumpere; & ubi ad pubem uſque humana ſe figura produxerat, tanquam oblita ſui, & fluvidi elementi leges ſequuta, deſinebat in piſcem.

Multùm diſtant ab illa, inquiebat Charmion, aulæ Sirenes: ubi commodius natent, novere; mox ut recedentes aquas adverterint, ſolertiſſimè fugiunt; nam alto æquore ferri gaudent; gemunt ſuaviùs: quod humanum illis deeſt, venuſtiori forma compenſatur; calliditate nocent, non dentibus; denique rarius capiuntur, quàm capiunt.

Juxta mentem Platonis cuique orbium cœleſtium ſua Sirene præficitur, ut ordinatiſſimos motus comitetur, quæ maxime placet, ſymphonia: Neque his ſimiles ſunt Sirenes auli-

aulicæ, quidquid enim movent, ab ordine deflectit; quidquid canunt, non Deum delinit, sed exasperat.

Quis vero iste, qui tanto comitatu, tanto fastu graditur? Non ex modicis piscibus aliquis: Cetus est, ah! ex suis iconibus hominem novi, ut tam fasto animali sua moles constet, minora voranda sunt. Quantas fauces habet hæc fortuna! sufficiat ne tot fœcundum bonis pelagus, ut tantam voraginem expleat?

Alter mœstissimo vultu, nexisque articulis, & in ipsa ambulatione sæpè hærens, à cæteris recesserat ut suo dolori solus esset, & iis qui tamdiu expectabundum sperare jusserant liberius irasceretur. Longè diverso genio alius veniebat à Principe, & multis jam facultatibus ab eo donatus, quotidie etiam illis honoribus crescebat, qui lentiùs dari consuevere.

Ambos ut vidit Charmion, in isto inquit oceano sunt, qui cessantibus ventis progredi nequeant: suntque quos amica quidem, sed violentior aura ita promovet, ut non sine periculo fœlices sint; festinantibus enim sæpè nocet velocitas sua. Media pars horæ effluxerat, cum vir quidam concitato gressu in ædes Regias intravit. Vultus illi haud pacatus, & qui hominis esset aliquid ingens nuntiaturi, si fari sineretur. Sed à pluribus rogatus quid didicisset, quid afferret, nihil cunctatus ibat, silebatque. Quiddam tamen grande in aula patratum haud vanè conjiciebant omnes, maximè cum id verbum incauto excidisset, se ad Regem properare, neque fore apud eum sine cul-

culpa, si in audiendis amicis vel modicum tempus insumeret.

Hunc sequi in interiorem domum Gyges constituit; nam huc usque in areâ tantum substiterat, ad investigandam aulicæ vitæ rationem omnibus mixtus, imminensque non modo singulorum verbis, sed & silentio, ac nutibus, qui persæpè in principum aulis, cum loqui non placet, aut fortunæ periculum est ingenuitas, inter cordatos pro voce sunt.

Ubi pervenit ad Regem vir ille, repetitis quæ tanto fastigio debebantur ad humum, penè salutationibus, hoc solum addidit, omnia ut imperaverat fœlicissime esse peracta. * Tum Rex: qua vero constantia animi tulit non expectatam captivitatem? num turbatus, aut insolens aliqua dixit suis natalibus haud digna, vel injuriosa majestati? Respondente nuncio, nihil tale factum fuisse, solumque colore mutato captivum interni doloris dedisse indicia, & ad Regis nomen patienter sustinuisse in medio suorum exarmari. Sic Rex ad proceres, repentina hominis clade ita perculsos, ut quasi res sua ageretur, conceptum timorem non bene occulerent. Quem locum apud me habuerit vir iste, inquit, qui nunc primum vobis cernentibus à me digressus, mox ut in suas ædes pervenit, meo jussu detentus est, omnes nostis. In immeritum mea beneficia cecidisse agnosco jam, ac doleo: nimio benevolentiæ meæ usu fastidivit fœlicitatem suam: Et quidem plurima, quæ in me peccavit gratiarum immemor, potuissem non recor-

* *Monf, le grad. fils de Mareschal. d'Effiat.*

cordari, nisi ea secretè molitus fuisset, quæ pessimi quique in Principem suum audent, cum ad hostes deficiunt.

Regis hæc verba non pari animo excepere qui audierant; omnes licet consentire viderentur in eam Regis solertiam, quæ publica mala unius ruina averterat. Nec de flagitio ambigebant plurimi, cum utique ærumnosum esse in aula, & Principis ira percelli, satis sit ad criminis nomen. Aliquot tamen vultus sibi vim inferri eo in cætu nolentes testabantur, non tantum jactura coloris; sed & lacrymis, quas improvide cadentes illicò negabat sub hilaritatis larva prudens dolor, se non ausus profiteri. Quod ut advertit sagax Gyges, Quis hic orbis, ait, ubi fletus culpæ sunt, si non ad præscripta fluant; ubi lætitia jubetur, cum maxime gaudii sensus omnis præcisus est? O Naturæ sortem gravissimam! ad alacritatem cogi tunc cum perditis amicis aut desperat, aut furit.

En quod ab aliis toties incredulus auditor acceperam, facinorosis nullus unquam judex prohibuit gemitus, cum ad crucem traherentur; levamentum illud doloris in aula sola damnatum est; nam hic si calamitosum plangis, si suspiras ubi non licet, instar crudelis delator, qui te charitatis reum potestati deferat tuosque singultus calumnietur; quod latentis animi statum, sensusque rebelles nimium audacter explicuerint. In mœstitiam ipsam proferuntur testes, indicia in numerato sunt, ne quid quod lugentis perniciem maturare potest, memoria excidat, unde ille acerbissimus mos, ut amici amicos negent statim ac for-

fortuna mutata eſt, nec ſecure de illorum caſu doleant. O non omninò miſeros quibus flere conceditur! ea aulæ ſævitia effectum eſt ut infœlicibus quibusque aulici, in ipſo lætitiæ uſu, invideant ſuas lachrymas.

Dum his cogitationibus abripitur Gygis animus, vir nobilis captivo illi ſumma charitate conjunctus, verùm novæ cladis inſcius adhuc in cubiculum Regis lętè, ut ſolebat, ingreditur, eam quoque in omnes toro corporis habitu comitatem præferens quæ dolos utiliter celat, veſtit odia, livorem pingit, cæterosque noxioſiſſimos affectus nullibi quàm in aulâ atrociores. Alacritatem hominis caſtigavere ſubitò omnium vultus: nullus fuit qui annueret ridenti, aut amicè conſpiceret. Tanquam peſte afflatum crederent, declinare omnes virum, ut in ampliſſimo conventu ſocietatem fruſtrà quæreret, alieno jam fato laborans quod nondum acceperat. Nihil verò eâ in ſorte, Regis intuitu durius, etiam plusquam conceperat odii arte fingentis, ut ex ipſius oculis intelligeret miſer ſibi exilium imperari. Haud ſatis capientem ex principis conſpectu quid ſibi fortuna loqueretur, adſtantium unus breviter monuit, præpotentem amicum, cui ſuus favor innitebatur, conjectum eſſe in cuſtodiam; abiret igitur ſuâ Regem præſentiâ liberaturus, quam ferre haud poterat. Perculſo vix ſatis virium reliquit teterrima vox, ut feſtinanter Regiam, nunquàm rediturus, deſereret; ſed omninò recedendum erat, & perditis ſpebus iam ſucceſſerat non fugæ tantum neceſſitas, ſed & (quod infœlicium aulico-

licorum crudele fatum eſt) hujus quoque diligentia.

Abeuntem comitatur noſter Gyges ; tamdiu enim ſtare non valebat ſedentarius homo ; ex hoc ipſo miratus tantos qui apud ſe quietem adeo molliter ſectarentur, ubi divertiſſent in Regiam, totos dies absque cathedris agere.

Interea magno miſceri murmure pontum.

Toto namque palatio rumor ſerpebat, captum eſſe ex Regis imperio virum nobilem, cujus alter amicus ferebatur ; hinc obviis quibusque timor ad iſtum quoque accedendi, & ex longo intervallo frigidæ ſalutationis officia, quam afflicto negare, cum prior gratiam dediſſet, omnino non poterant.

Tum ſic cogitabat Gyges ; Aulam eſſe oceanum, quis neget ? quot fortunæ his fluctibus ſe credidere, tot naves ſunt ; imparia certe verſantibus undis onera ; quædam enim ad tempeſtates fortiùs ſunt comparatæ, ſuisque velis commodius utuntur ; omnibus tamen una ſors, ſæpe ferri quò nolunt ; latè circumſtans periculum trepidè intueri ; non plus inter aquas ab aquarum inſania, quàm ab hoſtili igne metuere, qui ſi ſemel, flantibus auris, noxiè accenſus eſt, cum fugæ præſidium deſit, omnino pereundum. In eo autem damno, quæ priùs non periclitanti ſocia navigia adhæſerant, ut vaſtantem flammam devitent, fœdus ſolvunt, ac vel otiosa miſeratione commoti, vel ſe evaſiſſe geſtientes, quotquot ea ſibi declinatione conſulunt, procul ſpectant amicorum incendium.

En

En deſtitutum Aulicum : infœlicem nemo palàm audet ſolari, nemo loquitur, accedit nemo ; omnes quippe ardentis fortunæ vel leves ſcintillas reformidant ; & putem in aula ſtabiles amicos inveniri, cùm haud læſi terga vertant familiariſſimis quibusque, ſtatim ac principibus accepti eſſe deſierunt, tamque cito deficiant ? ubi in rus ſuum ſeceſſerit vir iſte, nullus niſi furtivè inviſet ; ſi qui ſcribant, ipſæ epiſtolæ ſub pallio vel conſcia tantum nocte traditæ, pavebunt, ne qui ſe promiſit latorem, delator fiat, qui faſtidiebat agreſtes, jam pene pro æqualibus habebit exul miſerrimus, vel mœſtiſſima ſolitudine, ut ſcilicet brevior vita intolerabilis ærumnæ compendium faciat, conficiet corpus ſuum. Redibit in memoriam priſtinæ fœlicitatis imago ; clientum frequentia ; adulatorum tot artibus adumbrata fides ; intumeſcentis ſpei, cum nihil ſibi impervium crederet, audacia ; inter fletus continuo occurret, quàm bene initia proceſſerant ; quàm ſæpe Rex familiariter loquutus ; denique jam inimicos frui illis bonis, quæ aut tenuerat ipſe, aut ventura prorſus erant, niſi ea calamitas immiti manu optimæ ſortis contextum præcidiſſet.

Ut aulæ genium profundiùs noſſet Gyges, duo etiam viri effecere, quorum alter memorabat quibus modis novitium aulicum luſiſſet apud principem, & incautæ ſimplicitatis fidem nimiam quæ omnium mentes ex ſe æſtimans, maturius ſua ſecreta prodiderat. Alius per omnia probabat habiles dolos, viciſſimque referebat, quàm ſæpè pari verſutia uſus, impro-

vidæ virtuti, jamque ſibi placenti fortunæ eos ſtruxerat laqueos, à quibus ſe expedire ſera prudentia, ipſoque amicorum ſuffragio nequiverant.

His abauſcultante Gyge perceptis; En, de quibus audiveram, ſyrtes, inquit; nihil hic ſecurum, ut video; ubique diſcrimina latent, & tamen ſunt qui malint experiri hos fluctus, quàm quietè in modicis urbibus agere, aut in ipſis villis ſe ſuaque fortuna tutè frui. Quod aquarum iſtud faſcinum, ut neglecta terra, quaſi tæderet nativæ quietis, mobile illud infidumque hominibus pelagus tot mortales, aliàs oculatiſſimi adire velint, ac tamdiu patientiſſime incolant? & hæc apud ſe cogitans, turbulentiſſimum elementum, non ſat ipſe quietus, deſeruit. Dehinc, domi ſuæ tranquillior cœpit inquirere quo regente pelagus illud moveretur. Ut philoſophus audiverat lunæ oceanum ſubdi, quæ humidis corporibus præeſt; ſed & didicerat ut Theologus, eſſe Angelum qui ab aquis nomen habens, videretur in procelloſum illud ac fluxum corpus, ne ſuos terminos præteriret, imperium obtinere.

Dubitanti utra poteſtas aulam ageret, opportunè ſuccurrit iſta diſtinctio. Duos motus novimus in oceano, regularem unum; nam quemadmodum quartana ad horam venit; podagra ad tempus reſpondet; purgatio, ſi nihil obſtitit, ſtatum diem ſervat, quemadmodum præſto eſt ad menſem ſuum partus; ſic aquarum illa vaſtitas invervalla habet quibus ſe retrahat, & quibus reddat. Nihil hoc motum ordinatius;

& ubi ſive horam mutat, ſive ampliori fluctu arenas mergit, non tamen à ſe diſſentit ſine lege, nam in ea varietate adeò conſtans eſt, ut expectatus ſemper adveniat, & nautis ſcientiam fecerit.

Motus alter oceani turbulentus eſt, ferus, minax, neque ullas regulas habet, ex quibus futuram perniciem, niſi fortè cum inſtat, prævidere quis poſſit. Supra omnem prudentiam tranquillum amicumque navibus mare agit in rabiem, & ſpumantes ac ſubitò caſuros montes ea vi jactat in aëra, & ut nubes credas coire in prælium, & cum undis miſceri.

Aulam duplex ille motus agitat; nec dubitaverim, inquiebat Charmion, illum eſſe ab Angelo, qui normam aliquam ſequitur; qui nemini per ſe infeſtus eſt, qualem majores noſtri ſub optimis Principibus vidêre? Nam tùm certis legibus regebatur aula, & conſtantiſſima æquitate ſua probos quoſque ac Rege fidos præmia manebant: ſecura virtus temporum vices; miniſtrorum faciles iras, aut Principum, haud pavebat; qui peccaverant plectebantur ex merito.

Verùm non raro accidit, aulam ita turbari, ut conſtantiorem ſapientiam tempeſtas abripiat, nulla navis in tuto ſit; flant, terroremque latè ſpargunt etiam inter ſe pugnantes venti: intercipit pereuntium voces fluctuum fragor, ipſiſq; volventibus attolluntur quę depreſſa prius, ſub illis altiſſimè jacuerant; quas tum regulas ſequatur politia fruſtra quæſiveris; negotia tot ſine lege concurſantes atomos dices: æquali horrore omnes timent: perit cum profuſis

fusis opibus justitia: fluctuat non privata tantum sed etiam publica fides: nec saltem anchoræ suæ spes miserrima meminit ad præsentium malorum solatium.

Motus ille ab Angelo certissimè esse non potest: propterea referendum credo ad malignum aliquod sydus, quo regnante omnia ruunt, ac tanquam peccasset, pax ipsa proscribitur.

Ita philosophabatur Charmion. id maximè stupens, quod cum tempestate sæviente religiosiores fiant qui se pelago credidere, nunquam tamen pauciora vota aula conciperet, quàm cum turbida est, nec nisi Deo miserante sua quies reditura sit.

SENECTUS DELIRANS.

JAm tum amplissimam civitatem novæ quotidie ædificationes in majus spacium extendebant; non advertente Principe ea urbium monstra timenda Regibus, suo sæpè motu totas provincias inclinavisse: neque prætereà providentiam videri, si tot unà nutriendis civibus, ex ingenti cibariorum transvectione variis in locis carè à populo emerentur ea naturæ beneficia quæ profusè suis in regionibus creverant. Inter tot nova ędificia unum ea venustate fulgebat, ut qui negotiosi festinabant per urbem, ad tam bellum spectaculum libenter aliquid de sua diligentia detraherent.

An-

Annulum ſuum ad quædam alia ſumpſerat Gyges; ſed conſpectâ ædium illarum pulcherrima fronte, ſcire voluit an receſſus ea dignus & quis tanti habitaret: Ut introeuntibus voluptatem atque admirationem omnia facerent nihil prętermiſerat luxus: ſed multæ ætatis, & etiam podagricus videbatur, qui tantis ſumptibus hanc ſibi recens domum poſuerat; & inter ſtantes artifices recumbens ipſe in geſtatoria ſella, quam mollis pulvinus auxerat, quęrebat à ſingulis an quæ imperarat perfeciſſent; cur tam lentè procederet opus; nam pictores, ac ſtatuarios tenebat adhuc apud illum ars ſua, neque feſtinanter tot additæ per cubiculorum ambitum tabulæ ornamenta ſua accipere potuerant, & in ampliſſima porticu vacuæ baſes expectabant ſua Numina.

Ad hæc Gyges fatuitatem hominis plus quam ſuas ædes demirans: quanto ſapientius ſenex iſte (ajebat) de ſarcophago, quam de domo cogitaret; illum jam pedes deficiunt; curvatur annorum pondere miſellum corpus; jam magna ex parte ſepulchrorum noctem admiſerunt caligantes oculi: & quàm venuſte, quàm ambitioſe per longa tempora, quàm magnifice habitet anxius curat. Quaſi nova ætas canitiem amoviſſet, hoc ipſum qvod bene agere unicum poteſt; haud agit, ſenē. Non meminit adeò conſtruendis ædificiis ſenes olim ineptos judicatos fuiſſe, ut cum publico ære reficiendi pontes erant, ad ſuffragia non admitterentur, ideoque vocatos depontanos. Cum orbe exeundum eſt, novas figit ſedes vetulus iſte: & quod teſtamento debetur, in ſaxa,

in picturas quibus fruantur alii, tempus terit, quasi prolixior vita illum maneat, quem cæteris mortalibus incommodum fessa dudum natura tot morbis expellit, & lassati ampliùs hæredes, tot querelis, nutibus, tot denique votis exturbant.

Verùm unde illa in senibus ædificiorum insania? credo, ut longioris vitæ imagine mitigetur ille dolor animi, quem ex dierum suorum brevitate concipiunt; nam reviviscere aliquo modo sibi videntur cùm actuosi sunt, & robustissimæ sanitatis quadam umbra mens luditur, cùm senex in tot cœpta, in tot curas, non compulsus sed sponte se extendit.

Præterea, cum cæteris ferè voluptatibus destituti sint senes, facileq; credant se sperni; dulcissimum est novas sibi in ea ætate delicias procurare, & quasi ad renascentis imperii ostentationem, plurimos conducere artifices, qui ad nutum obtemperent. Sed jubeat, disponat, diuque servatas opes paucis mensibus dissipet infatuatus senex, interim properabit mors, & alia domus subeunda est, unde non exeat.

Sed forsitan famæ suæ consulit providus homo? ita vero! nam cùm fato suo functus erit, multo post tempore dicetur: toto vitæ decursu paternis laribus contentus, sub finem vitæ quàm sublimes prætulit spiritus! quàm largè prodigus! quàm fortiter respuit amicorum piorumque hominum consilia, qui vel familiæ, vel egenis suadebant illas facultates relinqui, quas tandem absorpsit immanis structura; & posteris frequenti reparatione non importunus modò, sed noxius labor! Diu vivet

vet

vet qui sic splendidè functus est; qui inter artificum turmas diem suum obiit.

O senectutis deliramenta! o insulsam superbiam! sic fama quæritur? ut qui domum tuam viderint, cogitent te annosum desipuisse: ineptumque negotiis, cum te tandem fugerent homines, fugeret quoque mens & ætas, ne solitarius aut omnino otiosus videreris convocasse operarios, egisse cum lapidibus?

Si saxorum movendorum amor erat, urgebatque dementem gloriæ cupido, consultius egenis quàm vanitati mansionem statuisses, ut receptis quos ubique extorres agit divitum sævitia, tuas illi laudes dicerent. Neque tibi muta defuissent præconia, si ab egenis gratitudo defuisset: ipsum namque opus factorem suum indicasset posteris silentio suo; & illud in optimę famæ securitatem; te pauperum hospite verissimè dici ex evangelio potuisset; si hi tacuerint, lapidis clamabunt.

Sed ab hominibus celebrari parum est: si in id opus contulisses opes tuas, laudatorem haberes Christum ipsum toties admissum, quoties vaga ejus membra tuis tectis succederent. Quæ apud Deum fama est, æternum manet: nam unde deficiat? quæ extra ipsum quæritur, citò perit; & quis ab ædificio privato diuturnam speret, cum neque pyramides illæ Ægyptiæ, illa orbis miracula, authorum suorum nomina ab oblivione vendicare potuerint?

Fidem videtur amisisse iste senex: nam si servat adhuc quid, in temporali domicilio totus est, neque quomodo habitet curat, ubi il-

lum egreſſum ſæculo æternitas exceperit? in altera vita commodas ſedes nulli habent, niſi qui hîc ſapientes architecti præſenti opera, futuris laboravere: etenim ſubædificante Deo, manſiones illæ à mortalibus fiunt, quæ promittuntur in mortalibus.

Hæc erat noſtri Gygis cogitatio, cum jubentem dominum in ſuum conclave, ne tenerum caput ſol aut nimius aër læderet, famuli deſerunt: quos cum amoviſſet à conſpectu quibusdam epiſtolis cœpit vacare. Has cum ille exararet tremula manu; Gyges in altera menſa codicem videt, ubi expenſarum quæ ad ingentem fabricam pertinebant, ratio habebatur, ne in comparandis quæ tanto operi neceſſaria fuerant, aut in numerandis tot artificum juſtis, deciperetur hominis Providentia. Fortè fuit, ut & in hac menſa theca calamaria eſſet; cujus illicò occaſione hæc in fronte libri ex ſacris codicibus ſcripſit Gyges, ut quàm inſipienter novam ſibi domum ſtruxiſſet, ſenex agnoſceret: Stulte, animam tuam hac nocte repetent à te, & quę paraſti, cujus erunt?

Tum ad illum accedens, miratus quid ſcribendo gemeret, majori ſtupore tactus hæſit, ubi argumentum Epiſtolæ vidit eſſe amorem. De nuptiis cogitabat, & neſcio cui adoleſcentulæ ſuos ignes, ſuos ſingultus ea verborum elegantia, iis argutiis commendabat, ut qui vultum hominis non intueretur, crederet eum in illa ætate, cui non ſapere, & levia loqui, ſtatim ut amat, penè conceſſum eſt; Quid ajebat Gyges, in iſto funere velut quædam nocturna inſidet libido?

Iste qui tam intempestivè amat, credit adhuc posse amari? quæcumque illum in conjugem accipiet, nubet cineri, non viro. Si ad illud sepulchrum lubens videbitur accedere, ob id solùm faciet, quod sperabit inter ossa, ac siccas carnes, aliquem se thesaurum reperturam: horrebit tamen sperans: illudque spectrum amplexata, horam cogitabit quæ ab illo infœlicissimam divellat, ut si iterum nubendum est, saltem non illud videatur conjugium quod quasi jubente Mezentio cum carne mortua alligatam vivam copulet, ut fœtore intereat.

O jam non commentum, sed historiam quod de Cupidine & morte poëtæ luserunt! mutavere arma: Cupidinis jaculum mors sumpsit; & dum senem perire vult, amatoria sagitta percussum, in has cogitationes compulit, ut se miserum credat si non habeat uxorem: verum quas non dabit Zelotypo homini curas forma præstantior, si in domum frequentes amici conveniant, & mulier (pudica licet; quia tamen pulchra amari mos est, & ferè necessitas) alteri quam marito placuerit?

Rugarum suarum conscius, & quam injucundè adolescentem aget, semper queretur se despici à muliere: quidquid literarum scribet illa, putabit fatum suum: tot emptores pudicitiæ credentur, qui munuscula miserint; de omnium fide sollicitus, perpetua famulorum successione studebit suspectæ uxoris castitatem tueri; & cùm fecerit omnia, cùm speculatores habuerit qui de illa certissimè referant, cùm duplici sera tutus erit, & tota nocte etiam accensus ignis vigilabit ad custodiam, nihil de timore decedet.

Sed

Sed & amet atque ametur, neque illum pavidæ & insomnes curæ discrucient, nubendi tempus non est cum mortis nuntia senectus abstinendum esse admonuit; nisi illos velis imitari, qui ob scelus in majori Britannia, à judice damnati, ut ultimam vitæ suæ noctem jucundiùs agant, petunt, si carent uxore, ut in ipso carcere liceat novo matrimonio supplicium auspicari, quod postridie passuri sunt; nam inveniuntur mulieres, quæ lucelli spe infaustas nuptias contrahere cum scelestissimis velint; & conjugii brevitatem atq; infamiam non cogitent, modò pecunia egestatem sublevarit.

Grandis erat, & suo digna ingenio sic apud se meditantis Charmionis philosophia. Sed si videbatur senex insanire, qui eâ in ætate positus de uxore cogitabat, quid putas de illis senibus dixisset, qui illicitis omnino amoribus canos suos dehonestant? vitam illorum exhaustis vino doliis justissimè compares; quibus solum restat sua fex: nam priorum temporum senes illi nihil servavere, nisi spurcitias; decrepitam ætatem, cloacam effecere in quam quid præterita ætas fœdum habuit, confluit. In cæteris memoria labens; adeò constanter retinet turpitudinum imagines, ut nulla vis, nulla ratio, nulla ipsorum corporum infirmitas, aut impotentia delere eam possit.

Sub ipsâ mortis falce luxuriosi sunt; & si quid religionis in animo superest, nihil tamen de obscœnitate minuit illa divinorum recordatio; pavent simul & peccant: perditissimo amore jam non ducuntur, sed trahuntur; vivunt

vunt non quomodo volunt. ſed quomodo cœperunt: & dum conſuetudini non reſiſtitur, neceſſitas facta eſt voluptatum mancipiis.

PRINCIPUM AUCUPIUM.

SI tempore atque ingenio benè utatur ars, neque abdicarit patientiam, quid non tentet fœliciter? quid ab illa tutum erit? fruſtra deliteſcent in ſpeluncis ſuis feræ; piſces immenſis fluctibus condentur, & notos in oceano receſſus trepidi ſubibunt; fruſtra pernicibus alis aves cœlum petent: quidquid terra celat, invenit, vel ſagacitate canum uſa, vel ducentibus ipſorum animalium in profundiores latebras veſtigiis; quidquid natat, hamo, retibus obtinet; quidquid volat, aucupio.

Nunquam tamen ſubtilior ars quàm cum capit & principes: hic autem modus, ut ſe didiciſſe Gyges à peritiſſimis aucupibus referebat. Sub eodem tecto duo viri habitabant, unus poëtica illuſtris, alter ſoluti ſermonis eloquentiâ clarus; & tum fortè fabulabantur, cum ad illos Gyges venit. Prolixam chartam manu tenebat qui in poëticis excultus ferebatur, & ſubridens ita ſocio: Fœliciùs certè in Heſperidum hortis, ubi mala aurea opulentæ arbores emittunt, quàm in ſummitate Parnaſſi, qui egena tantum lauro nobilis eſt, Muſæ degerent. Nam quem mihi dabis Poëtam, qui condendo verſus, illas opes obtinuerit, quas aliis non raro confert ſordidus labor & in parvis diligentia?

Virgilio jam multum tempus apud Augu-

ſtum manenti? ne abſque præmio ſudaſſet tantus poëta, panes dati ſunt; pertinacius, digniusque laboranti, iterum panes; ut venuſtiſſimè Auguſto dixerit Virgilius ipſe, ſi ex illa mercede liceret de optimi Principis conjectare natalibus, nihil aliud credere ſe poſſe, quàm piſtore genitum, qui tot opum Dominus, poëtæ dudum expectanti nihil prӕter panes dediſſet. Eâ forſitan voce Auguſtus ad illa talenta compulſus eſt, quæ poſtea contulit; ſed ut tardè, eo etiam numero data ſunt, ut inde Maro paupertatem quidem vitarit, non attigerit opulentiam. Triſtior omninò fuit Homeri ſors; egenus vixit; deſpectus à ſuis, adeò clarus poſt mortem, ut qui ingenium viri contempſerant, de cadavere contenderent.

Vide quod conſilium mihi fecerim? clariſſimis poëtis ingratus plerumque labor fuit, functos Principes ceciniſſe: vivos volo promereri: præconiis ſuis plurimum delectantur Magnates; quod officiorum aſſiduitati, periculis etiam ſæpius negant, laudibus dabunt; eâ arte illos capi ita certũ eſt, ut ſi quis peritè hos laqueos incautis paraverit, nemo de ſucceſſu ambigat.

Optimè, retulit orator; ſed ſi lubet, videamus quàm venuſtè mentiaris in iſto carmine. Poëtis ea fingendi libertas cumulatè conceſſa eſt; nobis cautius agendum, ut quidquid dicimus ad veritatem videatur accedere: decet enim nos, non ille Apollinis furor, qui vos ab humanis rapit, inſpiratque calentibus quod cæteris loqui fas non eſt; ſed modeſtior per omnia, frigidiorque aſſentatio. Idem Poëtæ ſperantis, & Oratoris aulici propoſitum, fallere;

re; mulcere animos encomiis; naturam, cum quid rare facit, imitari; id est, quæ per se minutissima sunt in amplissimam gestorum seriem extendere, ex pigmëis creare Gygantes, Colossos; ingentes animos formicis, artusque terribiles addere, ut qui ista legerit, vel audierit, putet ambos de elephantis, aut leonibus loqui. Sed fraus illa oratori majore sagacitate ornanda; etenim orator dicitur vir bonus dicendi peritus, & licet eodem fascino utatur, fama tamen servanda est. Verùm tu qui cæterorum Poëtarum more non timidè, aut obscurè soles fingere, dic quâ ratione in principis benevolentiam aditum tibi facies, frustra illud opus tentas, nisi multum placueris.

Argumentum poëmatis erat, Regiis armis oppugnata quædam civitas, quâ jam de deditione cogitante, Princeps aliquis advenerat, ut lauros facillima manu meteret, quas justior fama debebat laboriosæ virtuti. Ita non raró redditæ sanitatis nomen usurpat, qui sub finem morbi vocatus venit non peritus medicus, sed fœlix. Et tamen Principem illum qui vix suos hortos, suos amores reliquerat, ut ad hostes pergeret, invictissimum prædicabat poëta: ipso marte ferociorem: præliis assuetum; cum quidquid præliorum antea vidisset, specillis vidisset, voluptatem ex aliorum discrimine captans, ipse à periculis tutus.

Attonitos in civitate tutelares Deos describebat carmen illud, mox ut venientem senserant, commotas sponte arces, sed quæ non caderent nisi Principis imperio, cum propior, solo nutu, ea munimenta deleri juberet, quę tot

turmis, tot machinis, tot ignibus negaverant obsequium. Absque illo Achille bellum absolvi non potuisse; fato illius publicam fœlicitatem deberi; tanto syderum nexu editum ut quâdam necessitate principis arma victoria sequeretur. Ad hujus Galli conspectum leonem tremuisse; quidquid virium, quidquid animorum miles habuisset, fluxisse ab illo; nam ut caput exercitus fuerat, ita & cor; unde illa nervorum calorisque ad extremas usque partes diffusio. Denique non fœlicius Amphionem lyrâ suâ olim civitatem excitasse, quam ille alteram diruerat; Hebræo duci comparandus; Cæsare fœlicior, cui aliquando satis erat vidisse, ut vinceret.

Cùm hæc fuse, & numeris vocem inflantibus, legerentur à poëta, indignabatur Gyges, & ita apud se: O adulatores; servum pecus! & hæc patienter, hæc libenter princeps audiet? injuriâ mercedem quærit scriptor iste, nam ita hominem laudasse, lusisse est: justè profectò, & ad poëmatis hujus naturam egerit munificentia Principis, si authori speratam mercedem, fuste, non pecuniis solvat. Adeone desipit adumbratus Heros, ut nesciat qualis sit; quàm non libenter deseruerit privata studia, otium, delicias suas, ut inter tumultus bellicos spectaculum sui faceret? fierine potest, ut ad picturæ istius conspectum, quam ut ipsi simillimam exhibet poëta, non erubescat, non succenseat?

Verùm nihil horum formidabat carminis author; & socio effusissimè ridenti, quod tantos animos mollissimo homini daret, ita excu-

excusavit versus suos: Nihil agimus, Amice, nisi impudenter mentimur; falsis adeò sunt assuetæ Principum aures, ut si quid sincerum de illis protuleris, perrarò benignè excipiant. Plures modestiæ suæ pœnituit; si ex vero tantùm laudas, nihil ad tuam fortunam efficies. Recordare quàm largus in suos laudatores fuerit ille Purpuratus, qui ab aliquot annis apud nos extinctus est. Tanto cultu illum prosequuti sunt ex nostris scriptoribus aliqui, ut exteri venustissimo tractatu nobis idololatriam objecerint. Vigilantiorem syderibus, unus dixit; dignum quem sol ipse miraretur; stupefactam ad hominis perennes curas cœlestium luminum turmam. Nihil ego certè audacius, nihil quod à veritate magis alienum dicam; nam tremuisse muros civitatis, omninò minus est, quam stellas stupuisse: vis autem scire, ut quæstuosum fuerit poëtæ suum carmen? singuli versus auro æstimati sunt, brevissimo labore amplissimam mercedem tulit.

De isto quoque Purpurato, tanquam de Deo ita quidam loquutus est, ut etiam trinum diceret. Salutis authorem cecinit ex assentatoribus unus; alter incarnatam sapientiam retulit, quæ mortales miserata cum illis misceri voluerit, ut præclarissimis laboribus, ingentibus meritis, cruce denique, Galliam vetusto regiminis delicto corruptam, damnandamque, redimeret. Epistolas lege quæ viventi datæ sunt; vix aliquas modestiores invenies. Sed inter alias illa eminet, quæ (defuncto quidem illo Principe) authorem adegit, cum jam id securè posset, ut professâ cul-

pâ, & in locum blanditiarum ſubſtituto ad Chriſtum voto publicè oraret ſibi ignoſci,quod tanto thure mortalem placaverat.

Et verè, ait alter, nimia fuit in hunc virum aſſentatio; ſed utcumque condonanda: nam certum eſt ingenium illud, quod & ipſi hoſtes faſſi ſunt, noſtrę ętatis ſcriptoribus dediſſe ſua prudentia cæteriſque virtutibus, quæ in politico homine eximiæ cenſentur, non ignobilem materiam. Sed vix fero tantis præconiis exornari Magnates illos, qui præter ſuam fortunam nihil habent quo intumeſcant, aut diſtinguantur à cæteris.

Si quis hoſpes, quæſo, in Ægyptum veniſſet, cum toto Regno tympana ac tubæ natum Apim ſignificabant, rogaſſetque ſibi oſtendi numen illud, non putas Ægyptios erubuiſſe, qui ſuum vitulum petenti prodidiſſent? nihil enim aliud Apis; & tota ineptiſſimi cultus ratio, quod illud animal, vel illudente dæmone, vel ludente natura, candentem maculam geſtaret in fronte, in tergo aquilæ effigiem, duplices in cauda pilos. Hic Ægyptiorum Deus ad cujus ortum nemini licebat non lætari: quo peremto, præconis voce luctus publicus indicebatur, ut ad bovis funus quiſque plus lachrymarum effunderet, quàm in ærumnoſa domo, vel in patriæ ipſius cladibus acerbiſſimi caſus expreſſerant.

Sublimis ſtabat medio in templo bos egregius, dumque ſuum fœnum vel porrectum mandit, vel ab imo revocatum ſtomacho multo labiorum motu ruminat, proni ſacerdotes, ſuppliceſque, ac trepidi thus adolent: ad mu-

mugientem bestiam pervenit cum suo suffitu Religio; votum sit omnium, belluæ salus: & ne meritis quoq; laudibus careat, non tauro patre, sed fulmine genitum Apim musici vario carmine intonant: supremos honores illi deberi, qui cæteris bobus natalium dignitate, ac signis præstantior haberetur.

Mentem meam quid simulem? quoties aliquis ex magnatibus illis ingenti præconio extollitur, qui suę fortunæ mole magis insignes sunt, quam vita, aut ingenio, Apis colitur. Et vide ne tu tuo poëmate ad sacra illa sis delapsus, quæ justissimè in Ægyptiis damnamus.

Supra merita Principes velle laudari, maximè probat quod de Alexandro dicitur: Recessurus ab quadam regione, ingentia arma fabricari imperavit, quæ humanam omninò mensuram excederent, spargique per agros ut ea arte decepta posteritas crederet aliquando, gygantea mole fuisse, quidquid sub Alexandro pugnaverat: neque mirum tantis hominibus cæteros mortales, aut vi, aut sponte fuisse obnoxios; nam quis ille exercitus in quo pusillum nihil? in quo sub immensis artubus pares animi referebant illas aciens quæ olim in cælites pugnaverant? Putem quoque illum Principem, tot serpentes, tot leones, tot ursos, ac efferas gentes finxisse, in illa quam ad Aristotelem scripsit epistola, ut eo commento crederetur, quidquid in orbe fortius est, atque immanius, cessisse Alexandro.

Fabulis laudari Principes volunt: certum est, si tamen (quod fortè non adverteris) aliquid veritatis ejusmodi commentis inseratur:

illo

illo enim vehiculo eget laudantis falſitas, ut jucundè, leniterque ad Principis animum perveniat; & non ſine fundamento videatur adulatio tuam machinam ſtruxiſſe, cujus ſummitas nubes dedignata, ipſis æquat ſyderibus. Aliàs aſſentatione læditur Princeps: & laus quæ à merâ fictione petitur exprobratio eſt non præconium.

Itaque crediderim ego tuæ fortunæ eſſe conſultius, ſi de fortitudine taceas, & in Principis iſtius fœlicitate atque prudentia totum carmen tuum luſerit; alioquin ridebunt quotquot audient; & ſi ſapit ille, muſam tuam non feret, quæ militari fronte pacificum caput, ſic jocata coronaverit. Verſus quidem tui ſunt eleganres; ſed memineris floribus aliquando tyrannos hoſtes ſuos ſuffocaviſſe, & te pulcherrimis Principem certiſſimè læſurum, ſi in immerita ejus acta tantam præconiorum copiam indiſcrete projicias

Plura quidem vobis, ut dicebam, quàm nobis oratoribus conceſſa ſunt; ſed ſit etiam aliqua, poëſeos veluti hypocriſis, ut quæ fictionibus nata eſt, videatur ideò tantum fingere ut ſub illo ornatu veritas digniùs, magnificentiusque appareat; per ſe enim inculta eſt, nuda, & licet formoſiſſimam dicant, amatores tamen plerumq; non habet, maxime ex Principibus; niſi & ipſa aliquo faſtu aulæ genium imitetur, diſcatque fucum pati, & cum illo comitatu incedere quem fabulæ dabunt: ſic enim majore ſtrepitu veniet, monebitque, alìas fortè non obſervaturos, quàm ſit conſpicienda mortalibus.

Aliquid Regiè dederit princeps, hîc siste, hic finge, non displicebit famæ tuæ cupido nubem illam latiùs spargi, ut in ampliores terras videatur effudisse suos imbres. Semel in acie visus est? gaudebit magno verborum ambitu prędicari sua pericula, suos animos, hostium quoque vires atque audaciam, quos ut fortissimos atque obstinatissimos describes tuis versibus, clarior apparebit illa virtus quæ dimicantes contrivit. Præteriti certaminis imagine pasce, delecta principem tuum; revoca quidquid terribile pugna habuit; prostrata hominum cadavera; equos vel temerè fugientes absque dominis; vel in ipsa morte insanientes; desperationem hostium, ultimos pereuntium fremitus, hisque admixtam, dissono clamore, alacritatem vincentium.

Grandis inde bellicæ virtutis scena fit; & quia inter hæc artis ludibria aliquid veritatis insertum est, facile putabit princeps se heroibus parem: placebit sibi, deinde tu illi, quod ejusmodi voluptate, ac gloriæ sensu animum demulseris, & in præmium laboris dabit, quod tantopere concupiisti. Nam tui carminis finis est, non princeps, sed pecunia: & spe incitatus laudas, non famæ illius studio, aut subditi, ut videtur, obsequiosa charitate.

Illud tamen maxima cura celandum est: nam omne oleum tuum amiseris, si, quæ latet vel leviter appareat scriptionis improbitas. Vide picas, corvos, passeres, quam suspiciosæ aves sunt, quanto tempore positam ab aucupe escam intuentur, quanto circuitu timent, antequam tangant: capi non possunt nisi ita

induſtria lateat, ut naturæ eſſe videatur, quod artis eſt. Vis ineſcare principes? cautè age; citò ſe dabunt in laqueos: ita quidam ex noſtris has inſidias magnatibus paravere, ut qui capti ſunt, muneratum à ſe authorem ſciant, non ſe irretitos arbitrentur.

Hæc audiens Gyges artem diſcebat qua tamen nollet vir ſinceriſſimus uti; ſimulque ſtupebat non advertere principes, quoties impensè laudantur, toties quæri in prædam; & inaniſſimis præconiis aurem dare, quæ ſpecie obſequii illos ad optata dona ſollicitant, ac ſuperbos efficiunt.

Plurima certè ſunt quæ principes viros ſuæ mortalitatis admoneant. Eſcarum illa tot conviviis nunquam explenda neceſſitas, illa naturæ officia . quorum non poſſint absque pudore meminiſſe: dolores, morbi; & quidquid in dedecus, aut in ſupplicium, Deo vindicante, genus noſtrum perpetitur. Sed utiliſſimis monitionibus ita plerumque officit dignitatis ſplendor, ut qui his radiis circumſeptus ſupra cæteros eminet, minus ſe mortalem quàm Principem ſentiat. Quid modeſti ab illo expectes, ſi jam ſui, propemodum oblitum, in altiores cogitatiònes erexerit adulatio? ſi in cœlum ſe afferat? & panegyricis aſſuetus, neminem amet, niſi qui abjectiſſimo laudum ſervitio, ac mendaciorum concinnitate gratiam illius promeruerit?

Subtiliora quoque audivit in alia domo Gyges, ubi de capiendis principibus confidenter inter ſe agebant duo Aulici. Querebatur

unus

unus se hactenus infelicem, qui illud aucupii genus ignoravisset, petebatque doceri: & hæc callidissimæ artis præcepta accipiebat ab alio.

Aulicorum Numina Principes esse, bene nosti: putas autem satis, si adores? Illud quidem multum placet, à cultoribus suis frequenter thura accipere; prostratas ante sublimem fumantemque aram subditorum fortunas intueri; sed alia sunt quæ minori pompâ licet tamen potentius, atque utilius, animos eorum demulceant. Ab ipso supremi Numinis cultu disce Regibus famulari, ut tibi propitios facias.

Maxima pars Religionis non in eo constat, ut canticis, atque procurationibus majestatem Dei profitearis: parva sunt ista, quibus tamen, tanquam præcipuis, adeo indulget absurdum vulgus, ut vix aliquem ex plebe invenias, qui putet se in Religionem peccare, si hæc signa prætulerit. Præter numeratas preces, lustrales aquas, campanarum sonitum, cæteraque ejusmodi, quorum usus ad externi cultus rationem admissus est ab Ecclesiâ, præter hæc, inquam, quæ sensus feriunt, & vel ab impio quoque possunt simulate exerceri, nihil aliud esse Religionem putat insulsa multitudo.

Quid verò Theologi docent? illa certè esse optima, placere Deo: sed nos illi minime acceptos fore, nisi & ipsum imitemur, illudque, quod obsequiosum os cecinit, ac sacri Ecclesiæ ritus significant, vita pronunciet. Crucifigi cum Christo major est cultus, quàm si charitatem morientis, fusumque sanguinem, ac invi-

invictam ſub tortorum ſævitiâ patientiam grandibus præconiis exornes. Panegyrici optimum genus, facti mores ad exemplar; voluntas ad placitum illius ordinata, quam flecti non eſt æquum, cùm ſuprema omnium ſit, nec altâ lege regatur orbis, cujus homo tantum pars eſt.

Recordare quid dixerim, quodque non abnuis. Principes habemus pro Numinibus, ergo colantur ut Numen ſcilicet imitatione magis, quàm hymnis, ac laudibus. Pinge in te quos revereris; ſe agnoſcant, cum te cernent; obſerva quid velint, quid agant, ſciasque inde tibi formulas dari, quas præterire non licet.

Princeps aliquis indecore in alteram partem cervices flectebat; nullus aulicorum fuit, qui recto capite incederet, omnibus collum repoſuit cura placendi; ſed inepta hæc, & nimis profeſſa adulatio. Animum Principis imitare, non corpus; nam hiſtrionum eſt aliorum geſtum mentiri, neque caret injuriâ, quod natura in Principe peccavit, hoc illi ſimilitudine defectus tanquam in ſpeculo proponere.

Cum aliquot calvos authore Sejano ſimul in aulum introeuntes, ut choreas agerent, Tiberius conſpexiſſet, illicò excanduit, putavit, eo tripudio ſibi illudi, quò ſ calvitio deformem ætas ſimul, & voluptatum intemperantia fecerant. Balbutit Princeps, claudicat, curvus graditur, ne imitere; & ne quod ignorari maximè cupit, agnoviſſe te ſentiat: alii defectus ſunt, quos utiliſſimè, non hęrente quidem, linguâ; aut pede dubio, vel inflexâ ſpinâ, ſed tuis moribus exprimas. Si

Si mollis eſt: & tu mollis eſto; lauda delicias, convivia, amores: extolle, quod captus formâ mulierum, vago Cupidine inſanit; quidquid dicis, quidquid hortaris, ſubjiciat faces, ut majori corripiatur incendio; atque etiam, ſi eſt opus, & altioribus ſecretis dignus habearis, miniſtrum te Veneris præbe, reluctantem pudicitiam illi concilia; nihil probroſum eſt quod Principum gratia fit, & fortunam noſtram promovet. Aliquos novi quos adhuc deturparet ſua paupertas, niſi facilem ad opes viam iſta officia dediſſent, quæ tamen cautè celanda ſunt, ne inde exurgat calumnia, & in tuam famam debacchetur.

Venationem amat Princeps tuus? nihil loquere præter canes; amove illum à conſilio, ut inſectetur lepores, cervos; & ſi fortè audaci telo percuſſerit occurrentem aprum, lauda egregium facinus, ut ſæpè victoriis illis delectetur, quæ magis canum ſunt, quam hominum, & tempus illud omne abſumunt, quod debetur publicis negotiis: Benificium putabit, quòd à regiminis curis illum ad ferarum certamen & avium pugnas transferas. Non meminiſti Romani illius, qui nihil eximium habens præter aucupandi artem, ita perdices, merulas, corniculas cepit, ut ſimul & Principem ſuum, & ad illud dignitatis faſtigium aviarius pervenerit, quod bellator mereri, atque obtinere debuerat? Magnum fecit non militaris labor per ſolitos gradus ſcandens, ut ſumma attingeret; non animi vis; ſed induſtria, ut ſponte averſum à negotiis Principem, illis remiſſionibus delectaret, in

quas

quas pronum adverterat. Suas dignitates alii, ſuas opes illuſtrius conſequuti ſint, illo certè viro nemo unquam, mea ſententia, facilius optatam felicitatem aucupatus eſt.

Vides quanta ſit aſpirantis fortunæ ſolertia, Principum moribus ſtudere, ut nihil illis proponas, niſi quod amant; Si pecuniarum amore teneri illos agnoveris, protinus novos habendi modos cupidis ſubminiſtra; non diu ſine mercede erit conſiliorum utilitas. Nec de plebe multum cura; laboribus nata eſt, neque crudele videtur aliquid ærumnarum addere neceſſariæ calamitati. De cætero cave ne aliquis te diligentior illa conſilia proferat, antequam promas; ſoli enim tantorum authori debetur gratia, non illis qui Regiam cupiditatem ad modica aut ad nota compellunt. Si ergo benè quid ſomniaſti, feſtina effundere; fructus Principis, etiam tuus erit, dum nihil ad gazam illius tuo ingenio perveniet, antequam quod pollicitus eſt, promptiſſima ſolutione acceperis. Sic ego quondam Principem meum demeritus ſum, & ita publico ærario conſului, ut fortunæ meæ magis; illaſque ſim conſequutus opes à quibus ſæpè; ut tu haud ignoras, non dedignetur prementibus negotiis ipſe Rex auxilium mutuari.

Quod de amoribus, de venatione, de pecuniis dixi, etiam intellige de ſævitia; ferus eſt Princeps; ne avertas illum à ſanguine; ſuſcita veterum injuriarum imagines, objice novas; ſi quid incautè in illum peccatum eſt, ſcelus voca, iram nutri; ſic placebis turbido, nec amoveberis ab aula, qui ex animo Principis pependeris, acceperiſque mores tuos.

Non-

Nondum omnia in illam rem dixerat ſenex Aulicus, cum ſubita tuſſis ab invito Gyge excuſſa, aliquem adeſſe colloquentes admonuit: Sed fruſtrà ſub aulæis, ipſoque ſtrato quæſitus eſt. Hinc pavor utrique ingens, ne ad Principes perveniret ejuſmodi ſermonis communicatio, periretque aſſentationis aulicæ quæſtuoſiſſima illa & antiquiſſima ars, qua perſæpè capiuntur.

TRIUMVIRATUS IN SYLVANOS.

NE optimo colendæ pietatis conſilio frequentia noceret, viri aliquot in ſylvas ſeceſſerant: ignotum penè cæteris mortalibus hominum genus. Præcipua illis cura, latere, & pati: Dies labore ducebatur; ipſa quies, ne ſecuritate peccaret, tanquam in militum ſtatione, interrupta vigiliis lectus, ſtramen: cibi, radices: aſpero veſtitu, conſtitutisque per alternas noctes flagellis, ita ſponte ad caſtitatem erudiebantur, ut ſubactum ea ſævitia corpus animorum tranquillitatem haudquaquam perturbaret. Summa inter illos concordia; fuga honorum; ſtudiumque ea agendi, quę Deo acceptiora eſſe, ratio vel pietas oſtenderat. Ab cæterorum hominum conſortio ita ſemotis, ipſa ſeceſſio dederat nomen: nam quòd in ſylvis degerent, eos vulgus ſimpliciter appellabat Sylvanos.

Dum ſic, quaſi in altero orbe, uni Deo operantur, interim pervadit ipſas urbes fama virtutis, neque enim diu tanta lux condi poterat;

Sed

Sed maximè, postquam plerique nobiles illam vitæ rationem sequuti, cæteris sapientissimæ secessionis exemplum fecerant, prioris instituti fastidio.

Magna persæpe virtutis securitas, ignorari. Diu servatur tectus odor, quem nimius aër citò dissipat, solque ipse radiis allicientibus disperdit, si ex pixide eduxeris. Solitariis hominibus sua fama nocuit: Ad multiplices pietatis curas magno civitatum consensu, renitentibus tamen ipsis, vocati sunt: & quidem fœliciter ac prompte plurimos animi morbos abstulere, quos medicorum notæ manus prolixâ curâ convellere nequiverant.

Fortunatos successus non tulit Triumvirorum aversa mens. Igitur cogitavere, quâ ratione Sylvani, qui jam urbibus ex officiorum sedulitate chari esse inceperant, iterum in suos saltus compellerentur. Virorum nomina pene eadem quæ olim Romanam Rempublicam tot cladibus exercuere: Unus enim Tonianus: Lepidus, alter: tertius vocabatur Augustulus. Quadam die cum in illud consilium convenissent, sic præsente Gyge suum quisque in insontes stomachum profudit: Et prior quidem Tonianus, quòd æstuanti bili impar, eam diutius comprimere haud posset.

Amovendos esse dicitis, inquit, perdendi sunt. Non videtis quantâ superbiâ se extulerit, quòd iniquis temporibus tanquam rebus publicis necessarii à nostris antecessoribus quæsiti sunt? Ambitiosis, & plusquam satis est alienâ jam solicitudine se onerantibus nihil

hil antiquæ ſolitudinis reſtat, niſi nomen. Ipſo ſuo inſtituto ſylvarum incolæ, quid morantur in urbibus? ex quo admiſimus homines iſtos, qui mixtis laboribus in ſacram ſegetem nobiſcum ſuccederent, quoties experti ſumus duros meſsores! Suum nobis ſubſidium nimio vendunt, utcumque ferendi niſi & exprobrarent. Auxiliares copias non fero, quæ ſuprà nos in tantùm crevere, ut ipſo numero timendæ ſint, ſi animis avertantur, & ſua jam fama noceant, dum ubique vulgatur, majores animos habere eas acies; minore ſumptu ali; conſtantius arma ferre; haud curare ſtipendia; denique militare fideliùs.

Iam nobis invitis præliari volunt accitæ in opem turmæ; neque ſuos tantum duces noſtris æquant; neſcio quos ex militum vulgo in cœlum tollunt, tanquam ea egiſſent quæ ex noſtris imperatoribus nullus. Sua manu additas Chriſti imperio regiones verboſè commemorant; ſuorum facinorum annales texunt, quibus pietatem (qua ſæpe orbantur) ac literas apud populum ventilent, ut jam ea arte per totam Galliam clari ſint.

Audite propoſitum meum: tota vita cum libris verſatus, ad illam eruditionem perveni, ut aberrantem quomodocumque Eccleſiam, poſſim avitæ fidei, ac optimis moribus reſtituere. Totum lumen illud quod hauſi à libris, in Sylvanos convertam; ſentient quid valeat mea doctrina, ubi odio acceſſerit.

Immitis cenſor decerpam ex illorum voluminibus quidquid minùs prudenter ſcripſere; ipſam charitatem, qua prodeſſe mortalibus

volue-

voluerunt, accuſabo veneficii: in ſceleris ultionem, lentos judices meis querelis provocabo, quodcunque unus peccaverit, omnibus impingam; tollam fidem authoribus; qui clariores ex illis prodiere: verminoſos, impuros: latronum, homicidarum fautores deſcribam, publicas peſtes. Ad mea monita ſine dubio hærebit ſaltem vulgus (vernacula enim lingua, ut notior ſim, homines aggrediar) magna famæ detractio ſuſpectos reddidiſſe. Sed quàm putas laborabunt ſi & oſtendero etiam à fide alienos? In hoc maximè enitar; quidquid magis ſincerum exaravere, affirmabo ſcatere erroribus. Anſam dabit perplexa ratio ſcribendi: terminorum æquivocatio: ipſa ſermonis eloquentia ſæpè rebus fidei haud exactè conveniens: in has me tenebras penetrabo, ut quæ cogitavi, nocturnus hoſtis ſecure perficiam.

Quis legentium ſatis patientiæ habebit, ut velit in notas meas inquirere, omneſque eos pervolvere authores, quos dente tetigerim? Donec ſe omnino apud vulgus Sylvani purgaverint, multum temporis effluet: & quàm interim dulce, in eas anguſtias inviſos homines perpuliſſe, qui ſe cæteris meliores eruditioreſque jactaverant! nec conſcientiam timeo; hoſti quaquà nocere, jus naturę eſt, & pars pietatis, inſolentiſſimos homines religiose calumniari. Itaque furiarum occupabo officium; admovebo ignes, qui fumo ſimul & ardore infuſcent quidquid uſſerint. Et ne ipſo vindictæ uſu tandem fatigatus animus, ab injuria quieſcat, voto obſtrinxi me, quidquid virium habebo,

bebo, quidquid temporis, ab obitum usque in id opus insumpturum.

Cum hæc Tonianus magno impetu diceret, sic apud se Gyges: tantæne animis cœlestibus iræ? Et hic homo sacer est, & ita sævit, & ita loquitur? ad altare sic succensus accedet? non ponet odia? & cùm sacram hostiam tenebit manu, animo ferox, in gratioris sacrificii recordationem cogitabit Sylvanos?

Lepidus, ex sui nominis significatione satis esse credidit, si lepide noceret. Ergo risu incepit. Et mox, Quàm iucundè inter mortales sim receptus, haud scitis, inquit. Stellæ ludebant cum natus sum: Nam (ut accepi à matre) nescio quis Mathematicus qui fatale momentum noverat, interrogatus quid verò futurus essem, pronunciavit, ea die hominem editum, qui facetiis foret ipso Luciano fœlicior. Quod in me igitur fortius natura posuit, ac subtilius, illud vibrabo in Sylvanos; jocose pungam, nec credar vere hostis qui festivus insultabo.

Ampla ridiculi materia, ipsum Sylvanorum nomen; quæsitæ, ad sordidam egestatis suæ pompam, vestes: horrida supellex, & quidquid in illis superbiam perversa via sequitur. Virorum otium, labores, ipsam fraternitatem, quam morum similitudine, & communitate rerum sibi fecere, traducam scommatibus, ut nemo putet sua fama dignos, quos ego sic luserim. Ea ratione despectio fiet status illius in quo tot ineptias cæteri, detegente me, adverterint, & pudebit viris illis adiungi, quos in fabulam vertero. Quid plura? histricum sic fœli-

citer agam, ut quicumque ad me accedet voluptatem ex verbis percepturus, ſimul lethale venenum hauriat, & neceſſaria fuga ſolitarios illos aut contemnat, aut oderit.

Ad vafram hominis propoſitionem riſere alii, ipſeque Tonianus, optimè, inquit: etenim dolus an virtus quis in hoſte requirat? Me leonem proculdubiò dicent, qui profeſſo odio immeritos dilaniabo? vulpem te, qui mordebis callidiùs. Verùm quid vocemur parum intereſt, dummodò cadant quos perdere volumus. Si animo impetus reſpondeat, ingentia vulnera faciam, latè nocebo: tu qui non odiſſe videberis, ex hoc acerbior, per ſecretiſſimos meatus penetrabis in medullas: non enim meminiſti verbi iſtius: molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula? Laudabis interdum viros, & dentatos luſus inſeres malignis prçconiis. Quod tanquam ſeriò in ipſorum commendationem texes, retexes ſtatim; nam, ut puto, tua mens hæc eſt, ut, nihil beneficii maneat, cujus (jocans licet) tam propera mutatione egeris pœnitentiam. Ita ſcribes, ut ſi opus ſit, poſſis à calumniâ abſolvi, & ſales vocare quidquid aculeati protuleris in hoſtium noſtrorum perniciem.

O ſagax plane conſilium! ô armorum utilem noſtris temporibus ſolertiam, ut qui forte enſem enſe amoverint, nec aperto marte ſatis ruent, omnino tuâ verſutiâ tuiſque inſidiis pereant. Et, oro, laborem iſtum ne diſtuleris; dum ego audacior, neque multùm curans quid de me ſentiant catholici, aut Roma decernat, volumen compingam, omni alio atrocius.

Tu

Tu verò qui in rem noſtram, Auguſtule, quo ingenio putas Sylvanos debellandos? Aliquid ingens profectò meditaris: nam te cogitabundum arguit uno in angulo hærens oculus, longumque ſilentium; ſenſus noſtros accepiſti, tuum & ipſe, ſi lubet, animum prome.

Auguſtulo frigidior malitia erat, atque tectior. Quid ſi autem, inquit, aliquod vitæ genus inſtitueremus, quod inuſitatis moribus, & non expectatâ luce Sylvanos iſtos obſcuraret? Aliquot viros novi jam ſpontè à cucullo alienos, hos monebo, non abjecto ſæculari amictu in unum convenire, iiſdemq; legibus regi; & ut auguror, facilè in id conſilium ituris, me ducem conſtituam. Anachoreticæ diſciplinæ aliquid non hactenus viſum, mitiori inſtituto temperabitur. Theologiam famoſis ſententiis; ſacellum, quod & egregium nobis erit, inſolenti cultu ornabo, ut quidquid ad nos pertinebit, ipſo novitatis charactere (quæ verò multùm placet) inſigne ſit. Eâ ratione comparatis plurimorum animis, non deerunt qui frequenti præconio inſuetæ vitæ propoſitum mirificè commendent, dicantque Sylvanos meritis longe inferiores eſſe, quorum jam ex incautâ ſui proditione, ſolitudo ac quies omnino perierit. Ita conſenuiſſe inſtitutum illud, ut nihil prioris ſanctimoniæ deprehendatur in poſteris; & magno Dei conſilio, quoſdam noſtra ætate miræ pietatis viros aliquid religioſius oſtendere Sylvanis, quam quod ipſi profitentur. Ita ſenſim evaneſcet importuniſſimorum hominum opinio,

ubi aliquid apud nos faciliores Christiani deprehendent, quod ex fronte melius putabunt, suspicientque lubentius.

Magnum erit, si & aliunde in eos clerus insurgat, studiisque ac vestium reformatione trahat animos, quem vetus inscitia, & immodesti cultus libertas in contemptum adduxerant. Magna credite, Sylvanorum erit injuria imitari quod faciunt. Et quàm sæpè vicit suum exemplum, æmulatio?

Annuebant Tonianus & Lepidus; cum Gyges triumviratum illum diutius non ferens; Operam, inquit, perditis; quisquis in Sylvanos sic armatus est, illæsis hostibus, tela consumpsit. Ad invisi hominis monitionem obstupuere illicò tres viri, & jam non de Sylvanis, sed de voce sollicitos deseruit Gyges, vehementer miratus, Christianos inveniri qui tot artibus in optimam vitæ formam hostiliter agerent.

FUNUS VIRTUTIS.

QUi omnia nosse vult, necesse est omnia videat atque audiat; per hos enim præcipuè sensus scientia fit, qui subtiliora rerum idola, facilesque ad discendum vias inquirenti animo subjiciunt.

Dictum fuerat Charmioni aliquem ex magnatibus nocturnas choreas brevi daturum matronarum præcipuis; & licet intempestivam hanc virorum atque mulierum convocationem minimè probaret, quod sciret pe-

riculi

riculis plenam, & inde non rarò rixas, odia, sæpiùs autem flagitiosos amores exoriri, tamen adesse voluit, ut cùm ejusmodi saltationibus aliquis se patronum diceret, certiùs in illam licentiam inveheretur, cujus discrimina non à theologis tantum accepisset, quos ex illarum rerum ignoratione ac studiorum suorum mœstitia nimis rigidos ferebant, sed etjam hausisset à sensibus.

Vespera appetebat, & ne cui matronarum suæ stellæ deessent, quidquid gemmarum habebant, in nocturnos ornatus ex cistulis suis deprompserat, quæ inter fœminas acris est æmulatio vanitatis. Omnibus sui cultus major cura, quàm si de patriæ salute ageretur: de singulis capillis in consilium ibant; nihil ad formæ venustatem satis, nisi quod centies dubitantibus matronis amica specula ostenderant; nam suspecta ancillarum fides, & deformitatis periculum erat, alienis oculis tantum negotium concredidisse.

Ex plurimarum auribus dependebant bina patrimonia: insulæ, saltus, & præter naturam videbatur tanta onera gestare cervices levissimas. Ut candidiores genæ apparerent, nigra quædam corpuscula, tanquam muscas cuti admoverant, ea arte ut quod consilio & prolixa patientia politum fuerat, casu videretur adhæsisse. Formam augebant pretiosissimæ vestes, additæque armillæ lacertis, quos propemodum à cubito nudos in reliqui corporis conjecturam ac spectaculum amoris voluerant, ut non solo mammarum ad papillas usque conspectu, in illa saltantium turba ferirent intuentes.

 Post-

Poſtmodùm proveƈtâ jam noƈte currus audiri cœperunt, & publicas ita vias præcedentium facum ſplendor colluſtravit, ut ſcirent aurigæ quâ pergerent, vitarentque facillimè quodcumque in illo equorum rotarumque tumultu carpentum occurreret. Ad ſtrepitum, Charmioni ſomnus excuſſus eſt: nam paululùm dormire placuerat, ut cæteræ noƈtis vigiliam ferret faciliùs. Dum induitur, ô inſaniam, inquiebat, tunc moveri, tunc mortalium quietem perturbare, cum ceſſationum operum indicit ſolis abſentia, ipſaque natura nos admonet ſpiritus illos ſomno reficiendos eſſe, quos diei labor, & curarum multiplex æſtus abſumpſit! Diem, ut puto, odere iſti noƈtivagi, quòd gratuitus eſt, quòd & eo fruitur pauper; & facum lux ideo placet, quia emitur, nec egeſtatis eſt, eum ſibi quærere fulgorem cum aſtra deficiunt. Totam vitæ humanæ rationem mutavere: ne aliquid cum illis commune plebs habeat, aliâ horâ petunt ſtratum, aliâ ſurgunt, aliâ cœnant; & maxima illis voluptas ſit, tunc loqui, tunc turbari, cùm cæteri ſilent, & cum toto orbe quieſcunt.

Neque timent iſtæ mulieres, quarum cauſâ tot currus intempeſtive agitantur, per noƈtem cùm gravis eſt aër ſic ferri; morbos non pavet hîc ſaltatricum mollities: ſi quid dies nocuit, habent pro Æſculapio tenebras: cæterùm miraculis famoſa ſunt loca illa quæ noƈturno tripudio deſtinantur: nam ſtatim ac in ea pedem inferunt, fugit dolor ille capitis, ille artuum languor, qui in templo, cum ma-

ture

ture ſurgunt ad pietatis officia, aut longius ſacrum ducitur, redire conſuevit. Nihil quod placet, noxium eſt: illa mala quæ medicos advocabunt, cogentque debiles domi hærere, & acerbiſſimis remediis uti, non invehunt vigiliæ iſtæ: ſed in ſacris ædibus, quæ ut plurimùm nimio frigore ſunt inſalubres, nimis protracta religio.

Sed cur noctu? cur cum viris qui mariti non ſunt, gaudent ſuis rhedis geſtari mulieres iſtæ?

Certè cum hora & cum ipſo conſortio maximè, caſtitati non convenit. An forte ſatis duxit uxorem maritus, cùm in ſponſam accepit? ideoque turpe habetur, ſi ubique ducat? & cum nemo dubitet de conjugio, aliis tradenda eſt, quoties per noctem jubebit agi currum ſuum? & caſtitatis non ſuſpectæ argumentum eſt iſte mos; quo ſit ut quisquis venuſtulus in mariti officium volet ſuccedere, illam ducat ad choreas?

Indutus veſtes Charmion, annulum ſumpſit; & cum jam pauciores currus audirentur, quòd ſaltationis hora inſtaret, pergit ad domum illius qui matronas invitarat. Neque multum ſubſtiterat ad januam, cum laxatis à cuſtode foribus in aream admittitur; mox aliquot matronis mixtus, ipſum triclinium ſubit, in quo, donec convenirent omnes, quarum gratia nocturna hæc lætitia erat, cæteræ quæ diligentius venerant, ut cujusque ferebat conditio, in orbem ſedentes fabulabantur.

Sua muſicis in editiore triclinii parte ſedes erat, & in lucis commodum juſto ordine, ſu-

ſpenſæ funalibus quinquaginta faces; per varia ex nitidiſſimo criſtallo ſpecularia ita diem æmulabantur, ut vix ipſe ſol, dum nubes amovet, gaudetque conſpici, decentiùs fulgeat.

Ubi tot ignes vidit Charmion, ah! inquit apud ſe, ne ſit iſtud funus virtutis! tum coronam illam virorum atque mulierum circumſpiciens, revocavit ad memoriam verbum iſtud ſcripturæ. Congregatio taurorum, in vaccis populorum; cogitavitque quàm potens in alterum ſexum eſſet ſexus ille, qui infirmior dicitur; & quidquid turpidum magis, hominum vitam exagitat, opus eſſe mulierum. Non multo poſt cum nulla ampliùs ex primariis fœminis deſideraretur, & muſicam ſilentium expectaret, dictum eſt modulatoribus ut plectro ſaltantium motus regerent.

Aliud ſibi ſpectaculum fecerat Gyges; non quàm bene ſaltarent matronæ, ſed quàm caſtè, quàm Chriſtianè vigilias illas agerent, ſcire volebat. Omnes penè motus animi conſpiciuntur in oculis; ſi mœret, graves ſunt ac languidi; ſi iraſcitur, illico minaci flamma feroces ſunt; ſi pavet, micant quidem, ſed tremula luce incerti, ut non metus tantummodo, ſed ipſius periculi imaginem non obſcurè præferant; ſi amat, rident; in oſculorum prælu-dium ſuaviantur & ipſi, fatentur, petunt, & amœna prorſus incendio ſignificant illum placere, illum optari, in quem contentas acies toties vibras. Ut de matronarum animis conjectaret Gyges, omnium oculos intuebatur, & in plerisque tanquam in amatoriis codicillis legebat Cupidinem.

Ne

Ne tamen aſpectuum ſeverus nimis interpres eſſet; aut levis, ut commodè potuit, aures dedit iis quæ ſedentibus matronis dicebantur, dum aliæ fidibus pedes moderantibus, flectebantur ad numeros De forma illarum ſermo erat; quàm venuſtè ſaltaviſſent; quid magis juſtiſſimam admirationem faceret, pulchritudo oris an animi? quàm fœlices quos illæ dignarentur ſuis conſpectibus; ad hæc, annuendo negabant quodcumque de illis dicebatur eximium, & ſermones compeſcendo qui de illarum præconiis erant, modico riſu ac ſuaviter averſæ, provocabant ad alios; placebat quoque de matronis illis loqui quarum forma deterior aut mores minus ad modeſtiam compoſiti meliorque fama quàm mererentur frequentes cum maritis querelæ inepta pietas, aut etiam ſecreta turpitudo.

Cum iſta audiret Charmion; & hæ choreæ, inquit, ſunt innocentes? quid turpius illis, quid crudelius? ſi quod ſcripſit Plato verum eſt, amorem in calidiori ſanguine gigni conceptumque ad amantis primùm oculos, tenues ſpiritus mittere, qui cùm ab illis ad amatæ quoque formæ lumina pervenerint, mox ad cor ipſius properant, quòd ſedem illam naturali ac neceſſario motu petant, unde ſunt geniti: Quot putem matronas amare; cum tot viri ſuum illis amorem profiteantur; & nullos penè videam, qui comptulas, & amari geſtientes, pudicè aſpiciant?

Inter tot voluptatum incentiva, quæ maneat frigida caſtitas, cùm ſæpè ad conſpectum formæ unius, quam nec exertæ mammæ, nec ve-

veſtium elegantia, nec ad muſicam fractæ motiones augent, pudicitia pereat?

Civitates ferunt ortum habuiſſe ex acceſſu ad ignem; quòd cum priùs homines nullo commercio jungerentur, ſenſim ex occaſione ignium, frigus depulſuri convenere; inde prolixius loqui; contrahere amicitias, inire connubia, urbes meditari; ſtruere, condere leges; illam denique civitatum ac provinciarum concordiam ſtatuere quâ conſtant imperia. Aliquid ſimile in iſto virorum ac mulierum cœtu adverto: tanto affectu tantaque frequentia certiſſimè non convenirent, niſi quisque ignem quæreret; non enim ſatis eſt illis proprio calore aduri; alienâ flammâ corripi volunt: & quid ab illa immune, cum verè ſit ſtupa collecta, Synagoga peccantium?

Ad chorearum iſtarum excuſationem forſitan dicent; nihil turpe in illis videri, neque unquam paſſuras matronas, ſi vel in leves actus prorumperet, virorum licentiam. O choreas innocentes! quòd viri Cynicorum more, ſpectantibus univerſis non id agunt quod nulla nox ſatis altè celaverit? interiorem pudicitiam violari nihil putant, modò corpus ſibi labem inferri non ſinat; os non promat quod probavit animus, & honeſtam dicunt quæ corrupta corde, tam libenter, ac toties, ſpectante Deo, admiſit (cum ulteriores delicias fama negaret) oculorum adulterium?

Nocturnæ ſaltationis turpitudinem comitatur etiam, ut perſpicio, atrox illa crudelitas quæ abſentes perimit, magorum ſævitiam imi-

imitata, illorumque quos odit excitatis imaginibus infligit vulnera, ut exemplaria pereant, & lateat manus quæ intulit injuriam.

Sed quid agant istæ remotiores à cæteris, ubi consumpta cera lux tenuior est, scire cupio. Nihil in isto cœtu audivit Gyges, aut vidit, quod magis læderet. Pedissequæ erant, quæ saltationi minùs intentæ ad quam nemo invitabat, cum viris aliquot miscebant liberiora colloquia. Sed & illarum una cum adolescente nescio quo obscurior, faventibus tenebris ipsoque tripudii tumultu, magis ab honestate recesserat, videbaturque ne ultrà in verecundiam peccaret, solo circumstantium timore cohiberi.

Hîc patientiam perdidit Gyges: & ut flagitiosam concionem solveret; titione quem primum focus obtulit, magnum opus aggressus est: Concitatissimo impetu se intulit in choreas: mox demissus ingentes in ipso pavimento literas exarare cœpit, stupente corona quod non visa manu sub omnium oculis ejusmodi scriptura procederet. Ad spectaculum non modo turba expaverat, sed & matronarum ac puellarum aliquæ in deliquium lapsæ sunt; nec erat qui ad sublevandam ægritudinem, merum aut odores postularet; una cunctis sollicitudo, quæ manus characteres illos faciebat, & quid scriberet?

Nunquam grandior expectatio, aut majus silentium fuit, donec scirent quid monere eos vellet spiritus ille, qui jam pluribus in locis sævior, hucusque tamen nocturnis choreis, tanquam pietati minimè adversarentur, omni-

no pepercerat. In hanc autem ſententiam ſcriptura loquebatur : Ædibus his cœleſtis imminet ultio, niſi perire amatis, cito fugite. Horrendam comminationem nemo bis legit, & ut prima vox aliis mandata totum triclinium percurrit, morituros omnes niſi ſtatim recederent; quiſque vitæ amore, præcipiti fugâ, nullo ordine ſervato, feſtinavit ad fores. Sed jam aperiri præ multitudine haud poterant, & ſtipatis corporibus, horribilis omnium clamor ſuſpicionem incendii fecit his ad quos per ſilentium noctis ingenti circuitu pervenerat: Ergo non domeſtici tantùm, ſed & ex vicinis plures ſeminudi, ne componendis veſtibus moram traherent, in auxilium veniunt. Et mox proſtratis foribus, quod quiſque ſe primum vellet in illo turbine, uno impetu in aream, quæ latè patebat ſaltantium torrens effuſus eſt.

Unus interim quietè agebat Charmion, & nondum triclinio egreſſus, ingenti lætitia fruebatur, quod tam citò pauciſſimis literis, eam ſibi ſolitudinem fecerat, fugaratque lucifugos; & intra ſe ita ajebat: Nocte pios convenire ad Religionis opus vix fert Eccleſia, ideoque vigiliæ illæ per totum annum ſublatę ſunt quarum uſus olim fuerat, & in dominicæ nativitatis honorem una relicta eſt, quæ tamen ſic violatur à pluribus, ut illorum nequitia in proverbium venerit; & ſinam ego per tenebras inſanientium conventus fieri, cum impediendi poteſtatem habeam in annulo? reddam ſoli ſaltatores iſtos, qui ſuas faces illius fulgori prætulere. Quieſcere cogam turbidos, & lucrum

crum quod ab ejusmodi pervigilio emergit, medicis eripiam; ita unâ charitate tribus consulam quę choreis certè præferenda sunt, animæ, corpori, crumenæ; & sic religiosè benefecero, ut etiam sui amantes, & avaros demerear.

SCHOLA AMORIS.

HOmicidium doceri palàm est, ut quicumque hostem meditatur, discat à peritis quo ingenio, quo impetu, qua securius parte illum confodiat; & quoties fœliciter peccavit sagax crudelitas, tiro laudatur quod sævitiæ pręceptis bene usus, peremerit inimicum; magister, quòd effundendi sanguinis regulas ritè fideliterque docuerit. Aliquid tamen ista disciplina habet quod non omnino vituperes; nam quia frequenter ipsa virtus armis petitur, & fit pugnæ necessitas, inde modum accipit, quo certius se contegat, ac feriat. Sed nefandum plane, quod in scholam amoris scena ornatur, & ad histrionum spurcissimas scurrilitates tot viri cum fœminis inverecundè conveniunt.

Olim Romæ Pantomimi magno populi concursu exhibebant suos ludos, nec erubescebant spectatores ea intueri quorum exempla in ipsis numinibus pręcesserant.

Suam Ledam, suam Danaën jam non furtivè amabat Jupiter, & ita in cygnum, & in clarissimum imbrem mutari gestiebat, ut vellet ab omnibus sciri, Deum esse qui sub plumis adulterum ageret, & sub auro funderetur.

Quod

Quod Vulcanum celabat Venus, concioni oſtendebat. Suam noctem illuſtrari gaudebat Hercules, ut tam brevi tempore quinquagies patrem miraretur populus, & ex illo labore, qui ſecundus Heroi fuit, juvenes diſcerent tunc dignam præconiis turpitudinem haberi, cum omnem modum exceſſit.

Hanc mimorum obſcœnitatem temporibus Chriſtianis adhuc perſtare non tulerunt patres; neque acrius in cruentos ludos, ubi homo occidebatur in hominis voluptatem, quam in iſtos invecti ſunt. Nam quis pudicè iſta conſpexerit? Meritò certè Eccleſia nullos tunc ad ſalutare lavacrum admittebat, niſi qui prius ſolemni ſacramento renunciaviſſent theatris? & comœdos, ut impuritatis magiſtros, ac peſtes publicas omnino defugerent.

Gygis ævo illa obſcœnitas caſtigata dicebatur, & quidquid luderetur à ſcenicis, ea agi modeſtia, ut vel ſeverior matrona probaret ejusmodi voluptatem ſuis virginibus dari. Ad illam opinionem multum erat quòd Rex tragœdos novo diplomate ab illa infamia abſolverat quam priſcæ leges intulerant, & plurimi qui ſacro charactere erant inſignes, non dedignarentur in ipsa ſpectantium corona miſceri cum cæteris. His indiciis tutus Gyges non putavit ſe aliquid in pietatem peccaturum, ſi & ipſe intereſſet illis remiſſionibus, quæ optimis ingeniis dignæ, delicias facerent, nec læderent mores.

Omnis ferè ſtatus perſonas jam ſcænæ locus acceperat, cum ad theatralem conceſſum, data janitori pecunia, palam Gyges admiſſus eſt.

Ho-

Honoratiores ſedes acceperant proceres illi; eamque ſeveritatem abjecerant quę ſacris debetur, nec ſervatur commodè ubi vultus amœniores poſtulat publica hilaritas. Ne quid auſterum nimis aut religioſum illi voluptati officeret, etiam poſuerant togas, & in brevi veſte ſenatores illos videbantur imitari, qui ut liberius cœnarent, nec admonerentur quid peccaret in magiſtratu ebrietas, exuebant ornamenta dignitatum.

Hos contuens ſic apud ſe Gyges ajebat, Quid in tollendis theatris ita ſudant noſtri theologi? quodcunque ſcriptione, vel concionibus egerint, delebit apud plebem Chriſtianam omni argumento validior horum Antiſtitum pręſentia. Ore ac calamo potentius eſt exemplum iſtud; æquum certe, ut omnes id ſibi licere autument quod in illis adverterint.

Suſpendit tamen virum, quòd nullus eorum adeſſet, qui inſigni pietate noti, ſuas dignitates in majorem reverentiam extulerant; & jam dubius, an ſecurè iſtorum exemplo niteretur timidior aliorum conſcientia, ita ſibi: Putas, Charmion, omnia tibi licere quæ ſacri homines faciunt? Optime, modò ad omnia quæ agent, ſuum ſtatum, ſuam famam conſulant. Ergo ſi in ſuperbiæ ſpectaculum, ſi in pingues menſas, ſacros reditus impendunt, ſi in illicitos amores, nec pauperes curant, & illud poteris: credesque protinus opes tibi datas à Deo, ita in vanitatem aut in delicias poſſe effundi, ut nihil à te egeni accipiant? Cave ne ex illorum vita, qui liberius agunt, theologiam tibi

bi facias: meliùs ab aliis regulas sumes, qui frequentiùs cum libris quàm cum aulicis versantur; qui nullibi magis quàm in templo noti, si nonnunquam in remotiora loca iter instaurant, ob id solum faciunt, ut populis suis bene sit, & ex vultu illam potestatem agnoscant, cujus nomen audiri certè non satis est; neque enim luna, licet vicaria solis, illud efficit quod suo splendore, suâ vi, diurnum sydus. Vide ut rident isti, ut toto animo comœdos expectant, dum musici ne otiosis ex mora tædium fiat, adstantium aures suo cantu, suoque plectro deliniunt. Cum ex isto cœtu sacri homines ad suas sedes revertent, & in templo Tiaris conspicuos severosque conspexero, in memoria redibit ista libertas, vestitus iste concinnior, cachinnus hic, credamque, ni me Deus adjuvet, alteram populo sed graviorem ab illis comœdiam exhiberi.

Aderant plurimæ cum suis matribus virgines, & mox ut in primam scenam ornatissimum theatrum aliquos actores dedit, qui spectaculum inchoarent, in pantomimos omnium acies conversæ sunt. Amatorium argumentum sumere placuerat, sed ea verborum honestate turpes affectus velaverat subtilissimus poëta, ut nihil videretur timendum castitati, si hos ignes, has amantium curas, hæc suspiria miseraretur.

Inter scenicos illos, ea passionum larva naturam æmulabantur duo juvenes, ut sperare ac irasci, ut cadere animos putares, quoties ex vario adumbrati amoris impulsu, vel dulciùs insaniebant, vel audacius: aut dejectos affece-

rat languor ille, qui vitæ pertæsus Parcam in remedium vocat; magnum utrique odii incentivum; unam amabant. Illa interim quem fovebat ignem celabat prudentia, unaque nutrice excepta, noverat nemo quàm turbidè amaret; quàm anxiè de illo prælio audiret, cui se præcipiti irâ ambos commisisse fama referebat, ut alter felici marte ab æmulo tutus, tranquille suis votis potiretur. Uni timebat mulier, & si illo certamine caderet, decreverat mori. Solabatur miseram nutrix, deficientem excitabat in spes dulcissimas, suspirabat cum alumna. Cùm secrete sic dolerent, flentes tamen videbat, audiebatque gementes tota concio; & veras lachrymas ita in plerisque movebat fictitius mœror, ut diceret apud se Gyges, hanc tenerrimi amoris, dolorisque imitationem, exspectatoribus tragœdos effecisse, licet ipsi nescirent; Nam quid aliud, cum assidentes, histrionum motus sequuti, ad fabulam accessere?

Nec omnino tamen ab illis affectibus liber erat Gyges; ad suspirantis fœminæ questus sentiebat se molliri, & licet nihil certum amaret, amabat tamen, solutoque propemodum illo philosophi gelu, quod toties noxiis ignibus objecerat, leniter in venas serpebat aliquis calor, qui occasione datâ acriter urgeret seriò amantem, ac conflaret incendia.

Heu me, dicebat, ad ista moveor! neque Plato, & Aristoteles succurrunt ut ab istis passionibus me expediam. Credam ego, absque periculo matronas audire comœdos istos, qui tantos jam mihi stimulos creavere, ut relu-

ctans

ctans accesserim ad affectus amantium?

Honesta quidem sunt verba ista si singula perpendero; fœmineam cupiditatem; ne inverecunde erumpat, continet, magnâ certè poëtæ solertiâ admixtus pudor, cura honoris: veruntamen ubi secretum nacta est ista mulier, miseram se ex amore refert; quàm malè somnos agat fatetur nutrici; & dum suos ignes liberè profitetur, quos extingui nunquam sinat dum queritur, ac luget, ad hos gemitus, ad has lachrymas, concioni fit teneritas illa quæ ad debellandam pudicitiam eo fortior est, quo se dulciùs in animum penetrat, & insidioso Cupidini aperit faciles vias. Sicut enim vitrum in cujus centro radii solares conveniunt ac stipantur, stupam urit, licet flammam cujus causa est, ipsum non sentiat; ita sæpè fit, ut qui friget comœdus, simulatione tamen amoris veros ingens tibi creet, quippè hoc perfectissima quæque naturæ imitatio habet, ut æquali propemodùm potestate eosdem effectus sortiatur, & imago solis quæ videtur in speculo, tam lædat oculos, quàm ipse sol.

Dum cæteri comœdos mirantur gaudentque eâ affectuum successione mutari, & noxii ignis scintillulas una cum honestissimis versibus hauriunt, hæc meditabatur Gyges, optabatque Poëtas qui non verborum certè libidine sed arte nimiâ hanc mollitiem facerent, in melioribus occupari.

Ab illa tragicomœdia exacto vix biduo, ut aliquid in privatis moribus nosceret, solitus discendi ardor virum impulit; ideoque sumpsit annulum, & quàm fortè primam patente

janua

janua vidit domum ingreſſus; ſtatim ut ad interius conclave pervenit, virginem vidit grandioribus incedentem veſtigiis, ac divulſis comis terribilem: videbatur inſanire, neque furenti ſatis conſilii reliquerat turbo ille, ut conſpici timeret, ac jungeret fores. In acerbos gemitus ſoluta, ſimulque irâ ferox; nunc præruptа verba, nunc impetu lachrymas dabat, & errantibus oculis, quaſi aliquid circà ſe quæreret, nihil ſatis videbat. In molli puella tantos affectus vigere, Gyges mirabatur; expectabatque donec aliquid illi excideret, unde tempeſtatis hujus origo poſſet agnoſci. Quid tantum lugeret, quid deſperaret miſera virgo, prodidit non multo poſt ingenti ſuſpirio laxata vox; Si alteri quam illi nubere jubeor, quid ultrà vivimus? Deinde in lectum humilem, qui ad quietem diurnam poſitus fuerat, quaſi vires deficerent, negligenter procubuit. Breve ſilentium ſequuta eſt infœliciſſimi amoris deſcriptio, tanquam alteri loqueretur, illudque omne quod in theatro audiverat Gyges, niſi quod verſus non erant. Ita ad exemplar accedebat luctus ille & pertinacia amoris, ut proptereà Gyges virginis ora diligentiùs intueretur, conſtitit unam ex illis fuiſſe quas ad comœdos viderat.

Tum cogitans quanto pudoris damno theatra illa perſonarent, à quibus abeſſe dicebatur obſcœnitas; iſta virgo, inquiebat, ſponſum à matre expectaret, niſi diligendi audaciam accepiſſet à comœdis; quod luſit mimica mulier, ſerio agit hæc, luget ex animo; didicit, non quàm ſubtiliter tantum, ſed quàm fideli-

ter, fortierque amandum ſit. Fruſtrà propo-nas alios, conſilium omne injuria eſt amoris; crudelitatem vocat amicorum providentiam; fortunam damnat, ex qua conjugii leges ſumere parentes jubent: ultrà procedit turbatiſſimus affectus, etiam fatis puella iraſcitur, quòd in majores nuptias ſit genita; denique mors placet, niſi maritum, quem ab aliis expectare ſolet virginalis pudor, ipſa optet ac eligat.

Miſere amantem puellam ita deſeruit Gyges ut ſortem illius plangeret, & egreſſus ad profundiorem philoſophiam animum applicuit. Virtutes accipimus ab aliis; inquiebat ille: neque enim nobiſcum natæ ſunt; peregrinas homini eſſe non obſcurè probant, labor ille improbus, qui in acquirendis, aut fovendis, ſæpè fruſtrà inſumitur; parentum curæ inutiles; & quidquid circa nos agit, aut patitur inſtitutio. Longè aliter de vitiis ſentiendum, ſponte generantur & adoleſcunt; ad hæc proprio genio inſtruimur omnes; nullo docente acuitur quotidie peccandi ſolertia; & ut quis perditiſſimus ſit, ſufficit ſe ſibi tradidiſſe.

Planè mirabile eſt quod videtur in Eccleſia; intra ſe habet doctorem ſuum, non enim extra illam Chriſtus, ſed cum ipſa unum corpus eſt, & dum ille præceptoris officio defungitur, caput docet cætera membra, lingua loquitur pedibus ſuis: ſed miſerabile omnino, quod ſibi magiſter ac ſchola ſit perverſus animus, neque indigeat altero, ut diſcere poſſit ea omnia quæ divina lex prohibet, ratio damnat. Nihilominus tanquam unuſquiſq; noſtrum

ſe

ſe doctore non ſatis foret ad vitia illa eruditus, quorum eſt ingenita cognitio, in maiorem nequitiam publicè ſchola proponitur à comœdis, eaque naturę imitatione adumbrantur noxioſiſſimi affectus, ut non raro qui fabulam viderit, veriſſimè peccet quod ad voluptatem ſpectantium hiſtriones mentiti ſunt.

Gratis datur à concionatoribus veritas; & quàm pauci ſunt qui illos cupidè audiant, qui non putent ſe horam perdidiſſe, ſi in templo conſumpta eſt! Quidquid fingunt pantomimi vendunt pretio, & emptores inveniunt. Invitat nos ad ſanctiſſimum ſpectaculum pietas, nec movemur: comœdiam deperimus, qua mores ruunt: hęc per menſes integros impatientes expectatur ab omnibus, ſi promiſſam aliquid forte diſtulit; inſtantem nemo petit ſerus, ut neſcias quorum ſit diligentia major, hiſtrionum, ut feſtinent ludere; cæterorum ut ludantur.

Has nugas procraſtinari nemo ſuſtinet, ut ſacris ſolemnitatibus relinquatur ſuus locus, ſuus honos; unum diem dividit cum Religione, comœdia, & ut ipſi etiam illudat feſtivitari, pretioſiora ornamenta ſæpius oſtentat, dulciori muſica placet, plures denique faces accendit quæ diutius luceant.

Sed quid indignius, quàm quod ſæpè apud principes idem locus qui ſub noctem comœdos ſolet admittere, manè ſacros oratores accipit, qui de Chriſto renuncient? ut in unam quaſi ſcenam convenire videantur ſcurrilitas & Evangelium, & dum Chriſtianis proponitur domini ſui acerbiſſima mors, cogitent

quàm

quàm benè in eadem aula pridie egerint comœdi, quàm tenere ſuo amaſio loquuta ſit, icta cupidinis telo mulier; & omnia confundente memoria, miſceantur cum ineptiſſimis fletibus, Chriſti cruor: cum mimis, Apoſtoli: cum fabulis, veritas; & nihil proponat Eccleſiaſtes, quod ad auditorem Chriſtianum impermixtè perveniat.

ÆGROTANS SINE MORBO.

SUaviſſima certè ægritudo, ita male habere, ut ſanus ſis. Quis credat iſta ſimul poſſe conſiſtere? & tamen in una perſona convenisſe tantopere diſſidentia, Gyges faſſus ſimul, & miratus eſt.

Ad cujuſdam matronæ fores plurima carpenta videbantur: quid tot currus ſignificarent ſcire ille voluit. Dies erat qui Saturno olim dicatus, nunc ſolo nomine retento, immaculatæ Virgini apud Chriſtianos ſacer eſt; & tum in mulieris cubiculo aderant cum aliquot viris fœminæ nobiles non paucæ; illa, non exuta veſtes, tanquam ad ſubitæ imbecillitatis levamen, decumbebat in lecto. Jacenti tamen color vividus erat, compoſitæ comæ; & quod maximè ſtupebàt Gyges, quodque ſuis ægris medici ſeverè prohibent, expedita loquacitas. Ridebant circà illam cæteræ, ipſaque viciſſim geſtiebat ea audire & loqui quæ omnem mœſtitiam amoverent.

Quod morbi genus iſtud eſt, inquiebat Gyges, cujus ſigna non in languente videntur, ſed in

in ſola duntaxat quiete, ac lecto? Niſi enim ſtrato ſuo adhæreret iſta mulier, invalidam certè haud crederem: verum forſan pedibus laborat, ideoque decumbit quia ſtare non poteſt: ſed cur nullus inter matronas de ægrotatione ſermo, cujus causa huc venere? Cum ſic cogitaret, audivit ab aliquo qui alteri colloquebatur, mulierem illam ſabbathum ſibi deſumpſiſſe ut adventantes amicas ſic exciperet: optimèque morem hunc apud primarias fœminas in urbe receptum, ut ſimulatione incommodi, alternatim jacerent: quippè laborem eſſe nimium, ſi quasque inviſentes, ad ipſius cubiculi fores cogerentur deducere.

Quæ hę nugæ? ait intra ſe Gyges morboſam fingere, cum de ſanitate jacentis dubitet nemo? matronarum hunc jocum quis non rideat? Ergo ſic hebdomadam inter ſe diſpartiunt, ut unaquæque illarum noverit, qua die non debeat tibiis uti? Regularis eſt iſta ineptia, ut video, & quæ per ſex dies quieverat, ſeptimo redit muliebris fatuitas. Ut videantur, jacent: quantò honeſtius eſſet, ad urbanitatis officia ſurgere, ac moveri: quis hic mos! tempus eligitur, quo inviſant matronas immobiles, & ut nulla cæteris lepidum illud ſui ſpectaculum neget, per orbem inſaniunt.

Paucis ante diebus aliam matronam viderat Gyges, cui cum nunciaretur mox adfuturum virum nobilem, qui præmiſſo famulo quæſiverat, an tunc domi hæreret, & an commode inviſenda, illicò cubile conſcenderat, ut ægritudinis nomine ab illis honoribus abſti-

neret; quos in suis ędibus illi viro negare constituerat. Et quidem subdolum consilium haud conjectasset simplicissimus Gyges; sed illo apud se agitante, cur tam festinanter matrona quietem peteret, ipsa liberè inter domesticos detexerat improbitatem suam.

Hujus igitur quoq; recordatione; ad quàm multiplices usus qui me omninò latebant, inquit, jam lectus assumitur! non plus hodie invaletudinis aut somni, quàm fœmineæ vanitatis, sive conveniri ambiat, sive alicui injuriam paret, locus est. Uno aut altero modo olim lectus peccabat, voluptate scilicet, aut pigritia; nunc superbiæ, & malitię genus est, ante illos decumbere quos honorare non velint, quo tamen quid absurdius? cum in omni observantia humillimum sit, atque ultimum, illud ipsum quod matronæ sibi ex fastu imperant, dejectio. Quanta sexus hujus imbecillitas, qui prostratus insultat?

Posteà cogitavit non solum ineptè, aut malitiosè fingi morbos; sed penè omnia quę dicuntur, aut fiunt à plerisque hominibus esse ludibria artis. Tanquam se amarent, conveniunt; gratiosè loquuntur; sed ad obsequium natos, nec quid magis optare quam ut data occasio proferat quod altè in animo habent; non tantum asseverant, jurant etiam: Verum ista omnia ita fidem non inveniunt, ut ab occurrente quolibet, si notus est, eadem quisquis expectet. Neque se in sinceris officiis ludi ullus queritur, cum vicissim alios ludat, & jam mos sit in mutuam fiduciam ea palàm profiteri, quibus tamen nemo credat. Eo modo

quo

quo nunc ægrotat ista mulier, & aliæ suis diebus ægrotabunt: convenere, ut sic fingerent quis jure imposturam vocet, quod ex pacto geritur?

In eo matronarum cœtu, quia nihil prę-ter nugss audiebat Charmion, citò tędio affectus est, exivitque, ut quod hîc temporis amiserat, apud se cum libris acri studio recuperaret.

IMAGO REA.

PIcturæ inter liberales artes non immeritò plurimi locum dederunt, videtur enim propriè pertinere ad ingenuos illa naturæ imitatio, quæ olim apud Athenienses solis nobilibus concedebatur; & cui etiam tot Reges studuere, ut ex ipsa dignitate artificum, suprà cæteras artes, quas serviles vocant, sibi dignitatem fecerit. Et verè quidquid agit pictura, non tam labor, quàm ludus est.

Naturam provocat, dum sequitur, audacissimique certaminis tunc exitus est dubius, cum nescis, veritate natura vicerit, an ars venustissimo mendacio, & inter illarum opera suspensus miraris utriusque ingenium Nam animantia procreasse, magnum quidem; sed æqualis propemodum gloria videtur, ita fingere, ut ad adumbratos canes, alii latrent; ipseque homo penicilli solertia, ac colorum fraude deceptus, putet se alterum hominem intueri, ubi in obvio pariete cernit non expectatam effigiem.

Tunc maximè pictura est in pretio cum ingenia subtiliora sunt, & poësis ac eloquentia

florent: nam tria hæc ęquali ſemper veſtigio proceſſere, nullaque ætas oratores ac poëtas excluſis pictoribus admiſit: Pingit poëta, pingit & orator; deſcribit mutis coloribus pictor; ex imaginum qualitate movet affectus; ut poſſis dicere Apellem ſuo ſæculo feciſſe, quod ſuâ ætate posteà Cicero, atque Virgilius; illos autem quod Apelles, prius egerat, colore verborum, ac figuris fuiſſe imitatos.

Gygis temporibus, ut eloquentię ac verſuum apud Gallos maximum ſtudium erat, ita & picturæ; eodem genio qui poëmatum ac orationis munditiem commendabat, ad hanc artem incitante. Qui ſibi plures tabulas comparaverat, præ cæteris laudabatur; adeoque placebat horum operum quantitas, ut pleraque divitum cubicula putares artificum officinas, neque ad ſpectaculum; ſed ad ementium provocandam cupiditatem ejusmodi picturas exhiberi.

Artem hanc plurimùm amabat Gyges, licet non probaret tot nummis colligi eam oculorum voluptatem; & quia nobilium unus, tabularum fama notiſſimus urbi erat, lubens in illius domum conceſſit. Ubi tot picturas uno in conclavi intuitus eſt, primùm confusè ſupellectilem miratus, pretiosè inutilem, deinde in ſingulis hæſit. Suprà cæteras placuit illa in quâ Curtius Romanus juvenis videbatur, conſcenſo equo ſe in ſpecum præcipitans, ut pro ſalute patrię diis manibus devotus illam labem medio in foro expleret, quam non coituram Oraculum dixerat, niſi aliquis ex primæ ſpei adoleſcentibus ſeſe dejeciſſet in hiatum; tan-

tanquam timeret equus, ſimulque admotis calcaribus ſponte pereuntem dominum non diſpari audaciâ ſequeretur, paventi ſimilis, jubâ tamen ferociter concuſſa, nec jam humum, ſed auras calcibus verberans ſpectante populo in eam ferebatur illuviem.

Non multo deterior erat altera, quæ Mutium exhibebat, ad Porſennę ſtupentis conſpectum, nullo damnante, injectam in foculum dexteram exurentem, ut eam pœnam ab illâ exigeret, quod in cæde aberrans, ſatellitem purpuratum pro Rege occidiſſet. Has cum avidè, diuque conſpexiſſet Charmion, cæteras ut inferiores ingenio non æquali curâ obivit; cumque jam una reſtaret quam ob dignitatem artificii remotam à cæteris ad aulæum pependerant, horruit ad illam Charmion. Venerem cum Marte ludentem pictor inverecundè expreſſerat; & ne ſua Vulcanum Zelotypia importunè his miſceret moribus, vigilabat ad januam Cupido, abjecta faſcia qua cœcus eſt, niſi cùm oculos dedit æmulatio, aut timor.

Cùm leviter, nec conſultò illam tabulam vidiſſet, ad focum pergit, ubi duo viri (nam frigus erat) inter ſe ſeriò colloquebantur. Unus ex veſtitu & ſermone videbatur theologus, & alteri, cujus erant hæ picturæ, ita dicebat: Non pudet te Chriſtianum ea ſpurcitia infamare domum tuam, ut quicumque te inviſet, iſtam Venerem cum ſuo adultero cogatur intueri? Quidquid ea in tabula aliis oſtendis, doces, ut nemo hinc pudicus exeat, & illorum criminum reus ſis, quæ ipſe non perpetraris.

Suam picturam defendebat alius : Non ideò exponi, ut bonos mores corrumperet ; sed tantum ne absque spectatore esset artificii excellentia ; quotquot ejusmodi operum æqui judices erant, solitos mirari : apud plerosque, qui etiam inter pios habebantur, conspici aliquando ejusmodi nuditates, quas si intueri aliquis ex infirmioribus timet, tegat ipse ; palpebræ enim unicuique à natura datæ sunt, & velum hoc rebus obducit quicumque vult. Cæterùm ajebat se pictores reos apud historicos legisse, quemadmodum ille Parrasius dicitur, qui ut Prometheum sub depascente aquila laborantem ad verum pingeret, hominem torsit, nusquam verò, quod sciret, imaginem ream inveniri, quæ criminis accusata, judicum severitatem meruisset.

Non ergo legisti, ait alter, quod de Theaginis signo libri tradunt? Ad viri hujus memoriam, quem inter heroas collocandum oracula dixerant, statua in foro posita erat : hunc honorem mortuo deferri aliquis non ferens, quòd hominem acriter odisset, statuam illam solebat serviliter flagris cædere : nec impunè illi fuit ; quasi patientiam sub contumelia marmor perderet, in ferientem concidit, oppressitque pondere suo. Statuam illicò ut homicidii ream citant ad tribunal, trahuntque hæredes illius quem suo casu signum illud afflixerat : & quia ex veteri Draconis statuto pœnam contrahebat quæcumque res hominis interitum maturavisset, sive ensis, sive telum, aut quodvis aliud ; sontem dixerunt Theaginis imaginem judices, quia peremerat hominem,

nem, jusseruntque protinùs mergi, ut ab insensata statua perpetrata mors non sine vindicta foret; omnesque eo naufragio discerent, nihil innocens censeri debere, vita licet careat, ex quo adversus hominem pernicies emergit.

Ecce imaginem ream: putas autem tuam Venerem nulla pœna afficiendam esse, quæ tot justos occidit? Nam stante homine, toties cadit justus, quoties in illo justitia perimitur. Quid de fortitudine nostra tantopere gloriamur? ea est animi humani imbecillitas, ut levissimis rebus excitetur ad turpia. Si nudas mulieres frigida saxa repræsentant, impudica ista naturæ imitamenta plurimi non sine ardore conspiciunt, votis peccant; & ne dicas me nimia obscœnitatis opinione infamare nostrum genus, recordare, quæso, quantos non dicam admiratores; sed & amatores habuit lignum illud Gnidiæ Veneris, quod ob præstantiam artis tot mortales ad sui spectaculum alliciebat. Vesano illius amore captus juvenis, cum in templo delituisset, simulachro cohæsit; majus dicam: corrupit quoque suum artificem statua; referunt enim Praxitelem ipsum, Venerem quam paulo ante finxerat, perdite adamasse, sibique minus temperantem frequenter irruisse in oscula. Et aliud posterioris ætatis ex historia referam. Ad Christiani principis sepulchrum imago erat, quæ licet unam ex virtutibus referret, quas vir ille habuisse dicebatur, ita tamen ex artuum nuditate ac forma, intuentes provocabat ad libidinem, ut cum illa Iberus quidam concumberet, mox ad ignem damnatus à Judice, quod la-

pidi virgini vim intulisset, nec sepulchrum reveritus aut nomen virtutis, abstinuisset ab illicitis amplexibus. Eo processit obscœnitas, ut saxea matre genita (nam illam industrius lapis in perditissimo viro excitarat) suam parentem pollueret.

Mira imaginum potestas; si sanctæ sunt, si martyrum vultus interritos, nec in ipsa pœna cadentes pictor ostenderet; si virgines tanquam ad nuptias irent, ore hilari festinantes ad supplicium; si advertas ex pictura non renitentes, sed placidas uri; & dum pati gaudent, ludentem cum palmis in æthere cælestium turbam; ferè tibi fit pœnarum illarum amor, quibus tot præmia parantur; nec insueta res, videre magis Christianos ex tabula. Ad illas imagines disco, plus sperandum è cœlo auxilii, quàm à tyranno metuendum; brevi supplicio infœlicissimam vitam absolvi; neque lentè beneficum Deum esse: cujus gratia patimur, cum idem sit nascentis gloriæ articulus, & pœnæ finientis.

Hanc picturarum vim quia novit Ecclesia, proponi Christianis jubet illas icones, unde plurimi discant, quod longo verborum circuitu vix satis descripserit eloquentissimus orator: & quia etiam in annalibus legere multi ex imperitia nequeunt, ut vexati fuerint sancti illi homines, brevissimam captuque facilem docendi viam, in subsidium Evangelii, sapiens Ecclesia pictoribus reliquit. Si religiosis imaginibus, spectatores ita ad virtutem incitantur; si pro libris, pro concionibus sunt piæ effigies, non putas, ex adverso, incentivum esse libidinis

nis tabulam istam qua licenter adeò turpitudo proponitur, ut à lupanari (pace tua dixerim) modicum distet domus tua, cum has spurcitias cuilibet intranti objicit: & professa impuritate peccet in omnium oculis pictura lasciviens?

Apud veteres æquale crimen erat tyrannum admisisse, & servasse imaginem ejus. Continenter licet vivas, pœnam tamen non effugies, quòd tanquam luxuriæ receptator, imitationes illius suscipis, & stupentem in aliis libidinem toties excitas, quoties aliquis ad tuæ Veneris conspectum castitatem abjicit.

Innocentem putas eum qui non manu quidem, sed consilio scelus promovet? Non tu certè obscœnitatum patrator, sed suasor es: nam sicut qui olim in morborum levamentum salubres herbas experti, ne periret utilissima cognitio, publicè proponebant in tabulis, & ex illa charitate, naturæ interpretes, authoresque sanitatum habebantur; sic tu æquissimè censeris hortator turpitudinum illarum. Ad quas intuentem quemque invitat tua pictura; & vitiis alienis laborabis, qui aliàs ex mórum honestate posses inter salvandos recipi.

Unum mihi restat, quod & breviter dicam, copiosæ pecuniæ brevem imaginem aliquando præferri plurimi mirantur; istud ego non stupeo; nam ubi ad summum pervenit pingendi ars, opera illius vix æquaverit pretium ingens ratio in promptu est; tunc non colores emuntur, sed ingenium, & quid par est ingenio? verùm mea sententia ad monstrum

accedit, inveniri aliquos, quibus charior tabula ſit quam propria ſalus; & qui æternum cremari potuis eligant, quàm turpiſſimam figuram ignibus dari.

Ad hæc verba viſus eſt alter ſic mutare conſilium. Neque mihi in totum credam, inquit ille, neque tibi; expellam certè domo mea anathema iſtud: ſed comburi non feram; nam quid de me putas dicturos qui hæc opera tanti æſtimant, tanti emunt, ſi paterer egregium opus perire? Vis me fatuum ab omnibus haberi, aut quòd comparaverim, aut quod uſſerim. Acerbas loquaciſſimæ famæ cavillationes benè vitavero, ſimulque ſaluti meæ conſulam, ſi tabulam hanc uni dabo amicorum, qui ſæpius illam audiente me ita laudavit, ut videretur non obſcurè petere; ita mihi eripiam quod vetitum dicis, & alteri beneficium præſtabo, cum hoc illi detulerim quod tantopere optavit.

O benevolentiæ novum genus, Theologus ait, ea dare amicis quæ tanquam nociva à nobis removemus! putas verò tibi licere, ut ipſe ſaneris, ad alios traducere ægritudinem tuam? iſtud quidem incantamentis plerumque fieri referunt, ut verè ſanatio non ſit quæ auhore dæmone comparatur; ſed quædam valetudinis transmigratio. Ita vis non perire ut amicus tuus pereat? Neque dare iſta illæſo Deo potes; neque vendere: delenda ſunt; nam beneficii materia non eſt, pernicies: & iniquè pecuniam accipis, ut ad emptorem aliquid transferas, quo ſi careat, lucrum facit; ſi potiatur, habet unde miſer fiat.

 Cum

Cum hæc frustra dici à theologo Gyges doleret, leviter à foco discedens ivit ad tabulam. Prægrandis non erat, & ut paulo altiorem posset manu contingere, subsellio usus, facilè tulit. Hanc cum loco moveri, & mox nullo ferente ad se accedere cernerent, qui de illa loquebantur, illicò proiectis sedilibus, in extremum conclave uno saltu se conferunt; nam venientem expectare, videbatur temeritas; dum ita remoti spectant, ac timent, Gyges fractam priùs utraque manu tabulam, jacit in ignem; ac ne fœdissimæ imagini vel leviter parceret flamma lentior, nova ligna jam labenti subministravit, & assumpto folle, qui illic forte jacebat, festinavit incendium.

Famosissimæ picturæ inopinata sors citò per urbem vulgata est; nec simile prodigium expectaverunt plurimi, ut ab illa tabularum turpitudine abstinerent; multis ambitio erat, illa lascivię monumenta publicè comburere: Et reclamantibus pictoribus, quod nobilissimæ arti atrox inferretur injuria, primò sibilis excepti sunt: statimque publicâ voce dictum, religioni picturam, non religionem picturæ debere famulari. Periret ergo artificum labor, si cum pietate non conveniret: Gallos, esse Christianos, non spurcissimorum Numinum cultores: opera hæc scelestè asservari, ubi crux admitteretur: denique colores, ut & marmora, justissime damnari, si id referant quod intueri non licet.

ANDROGYNI.

ERret, an ludat natura, cùm ambos ſexus uni corpori inſerit, incertum. Sed ſive peccato, ſive joco id agat, quidquid ſic naſcitur, monſtrum eſt. Honeſtiùs certè videntur eſſe Androgyni, viri illi qui ſic lacte abundant, ut in nutricum vices poſſint, ſi vocentur, non malè ſuccedere; nam tales aliquando inventos refert hiſtoria; nec medici negant, licet aliqui dubitent, an hæ in viris veluti adumbratæ matres, poſſint eo ſucco ſibi traditos infantes ita alere, ut alio nutrimento non indigeant: nam minùs elaboratum dicunt: neque unquam viros germanum lac à naturâ accepiſſe, quos illa ad fœturam & partum non deſtinavit. De perfectione, aut defectu alimenti experientia judicet; ſatis mihi ad propoſitum, quod aliqui ita nati ſunt, ut ſub uno ſexu, aliquid maris & fœminæ habeant; tanquam dubitante naturâ quid potiſſimùm velit, dùm ambiguum illud opus, & veluti Hermathenam quandam (ſtatua erat Mercurium & Minervam conjungens) in ſpectaculum adornat.

Hanc corporis humani amphibologiam & alio modo vidit Gyges, cum ad cujuſdam juvenis cubiculum perveniſſet. Recens adhuc è lecto, togam ſumpſerat, ſedebatque ante ſpeculum, & dum ille vultus ſuos miratur in vitro, ſollicitus ſervus, digitorum habili motu patientiſſimi domini caput fingebat, ut vario ordine nunc in breves, nunc in laxiores annulos prolixa coma recideret. Quidquid primæ bar-

barbæ proximâ nocte ſuccreverat, jam novacula decerpſerat, ut omninò neſciret Gyges virum an fœminam cerneret. Monſtrabant fœminam leves genæ; effuſiſſimum capillamentum; & maximè illa animi fortitudo, quæ mulierum eſt, cum diu ornantur; hanc enim in viris haud videmus ineptiſſimam conſtantiam. Non tantopere curat ſuos crines generoſior ſexus, urgetur ad alia; laborem iſtum non fert. Ergò fœmina eſt, ajebat Gyges; ſed cur non ancilla, ſed famulus dominæ ſuæ comam componeret, invenire non poterat, donec in memoriam rediit quod audiverat ab aliquo, jam non pudere fœminas nobiles in familiaria illa operoſiſſimæ vanitatis officia ſervulorum miniſterio uti; neque apud multas eam eſſe verecundiam, ut timerent virorum manu, antequam de cætera veſte cura eſſet, interiorem tunicam accipere. Quid igitur in famulo iſto hæreo, inquiebat Gyges, jam receptus eſt mos, ut viri fœminas è lectulo ſurgentes, ac propemodum nudas liberè videant, ornent; agit iſte, quod cæteri faciunt; digitis, pectine, ferro, dominam ſuam comit. O quot procos illi faciet exquiſitior diligentia, tantoque labore criſpatus in varios orbes crinis? maritum facilè inveniet tanta venuſtas.

Defixum in illa cogitatione, in aliam ſententiam avertit comptiſſimi juvenis, qui diu ſilentium tenuerat, vox robuſtior: nam tonus ille virilis videbatur; mox, ad aliqua reſpondens famulus, calamiſtrato illi qui quæſtionem fecerat, tanquam viro loquutus eſt, vocavit enim dominum ſuum, Tum Gyges apud

ſe. Itane? ſic igitur vultus, ſic ſpeculum, ſic coma venuſtuli iſtius me fefellerit; & malè de ſexu conjectarim ex muliebri patientia? Dein togâ depoſitâ juvenis, ut thoracem indueret, cum brachiis viſus eſt, & jam non tota fœmina, neque etiam vir totus, ſed ſemivir apparuit. Sumpto poſt ex ſui ſpeculi conſilio, reliquo cultu, unum erat quo abſtinere Hermaphroditus cogebatur. Etenim, galerum capiti imponi mollis coma prohibebat. Ergò manu ſumpſit ut eo totâ die luderet, tanquam brumali tempore nimii colores eſſent, nudato vertice excepturus gravis cœli injurias, ne periret illud lepidiſſimi capitis artificium quod tot horas conſumpſerat.

Sapientiſſimæ cogitationis occaſio fuit nimia hominis de ſuo cultu ſollicitudo. Secum enim ita Gyges: Ingens Deorum beneficium exiſtimavit Socrates, quod vir eſſet, non mulier, & in digniori ſexu obtineret rationis principatum: Juvenis hic ſponte eviratus, naturæ ſuum munus videtur impingere; ſexum enim quem ab illa accepit, palàm abjicit, occultè tantùm reſumpturus, ubi libidinoſa nox quid natus ſit admonebit, interdiù propemodum oblitum ſui. Talis ille apud Dionem princeps, quem cum aliquis ſalutaviſſet ut dominum, reſpondit ſe dominam eſſe: muliebrem enim pallam ſumpſerat; diffluebant unguentis comæ, gemmis articuli fulgebant; & inceſſu, ac voce mulier, ut imperatricem indueret, imperatorem exuerat.

Subito eventu fœminas in viros mutatas, non ſemel referunt hiſtorici; licet veriùs, laten-

tentem ex aliquo natalium vitio, ſexum oſtenderit caſus, quàm fecerit novum. Prodigium iſtud noſtra forſitan ætas non viderit; ſed habet unde erubeſcat, quod tot viri, compoſitis comis, deglabrato in virginum ſimilitudinem mento, ut oſcula ſuaviora ſint, veſtium cura, denique imitatione ſermonis, ac vitę otio, tanquam ſe viros faſtidiant, fœminæ fiunt. O contagioſas planè viris mulieres, quarum etiam ſexus ut morbus aliquis magna ex parte ſumitur, ſi diu contingat cum illis verſari! Nam ideo juvenis iſte Androgynus eſt, quòd ex illarum conſortio virum dedidicit; ut ad matronarum ingenium, mollis, ac diſſertus odoribus accedens, ſub annulata cæſarie mulierem ageret. Reſtat, ut calathum, ac colum ſumat, illæque gladio ſe cingant, & eo ludo fractum Herculem, jamque ſemivirum adumbrent, quem ſua Omphale ad lanificium compulit, dum ipſa clavam geſtat, & ſub leonina pelle mentitur monſtrorũ ac ferarum domitorem.

Cum in epulonum menſa odores glutiuntur, quod ſæpè fit, hanc immanis guſtus ægritudinem, atque inſaniam vocavit aliquis ſolœciſmum voluptatum; non enim cum palato, ac lingua, ſed cum naribus odor congruit; nec benè concordant ad unius ſenſus delicias, quæ in duorum commodum ſuis proprietatibus à natura diſcreta ſunt. Quid non & virilis comæ ſolœciſmos vocem annulos iſtos; qui cum illa prorſus non conveniunt? Extra mulieres incongrua eſt hujus mollitiæ, & capilli humani compoſitura; non peſſimè uniuntur, cincinnus ac debile caput; calamiſtro penitus

adver-

adverſatur forte cerebrum; ideoque quiſquis crinem ſuum ita torqueri voluit, ſe fœminam faſſus eſt.

Verùm hic non ſiſtit opprobrium: ne quid de ſexus dignitate maneat, ſuis etiam equis per urbem ferri erubeſcunt juvenes iſti: quippe hoc robuſtum nimis, atque militare: pulverem ac lutum odere: ſolem quoque reformidant: nuſquam illos niſi in auratis curribus videas, aut in geſtatoriis ſellis incluſos, unde muliebriter exeant, tanquam aliquæ ex ſuis machinis Deæ, cum placebit apud amicos aut amicas, in ſpectaculum prodire. Ea Heliogabalo amentia fuit, ut mulierum ſenatum cogeret quæ de cultu fœminarum decernerent. Nugarum iſtud negotium, dignum viſum eſt imperatori, de quo curam ſumeret Princeps: timuit, ne periret defectu conſilii venuſtas, ac veſtium ille apparatus, quem tollere ut nocentem civitati Auguſtus voluerat: ſi de ſuo unquam cultu deliberabunt inter ſe matronæ, absq; dubio convocandi erunt & Androgyni: noverunt enim quæ veſtium forma magis placeat: quę ſit amicitia colorum, ne malè coëant, qui ſibi invicem adverſantur ac nocent: quæ ſtrophia mos novus maximè probet: quo pretio comparanda ſint, ubi fiant: quo pulvere, quibus radicibus albeſcant flavi aut ſubnigri dentes: quibus aquis capillus tingitur, ſi aut rufus putidę carnis ſuſpicionem facit, aut celandæ ætatis tempus incauto candore profitetur.

O certè dignos qui in mulierum ſenatu honoratiores ſedes habeatis! jus omne muliebre ita didiciſtis, ut illud à vobis fœminæ petant,

quoties

quoties de venuſtate inter illas controverſia oritur. Quid ad formam; quid ad mollitiem; quid ad mendacium oris pertineat, decernite judices, dum fortioribus incumbent qui viri ſunt, & enſes in publici hoſtis perniciem ſtringent, quos geſtatis innoxios.

JUVENIS ANUS.

EXeunt ab oceano flumina, ſed non in longum vale: ita enim ſemper abſcedunt, ut ſemper ad fontem ſuum redeant. Non ſic labitur ætas: circulum neſcit: rectâ viâ fugit nos, ut quos ſemel deſeruit, nunquam repetat. Iſtâ tamen naturę lege potentior viſa eſt quędam mulier nobilis, poſtquam in conſpectu Gygis, annis obſita, præteritam juventutem revocaſſet: longe alio modo quàm quem in recens baptiſatis annotavit Auguſtinus: ſic enim ex Adam veteres, per Chriſtum puераſcimus ut fiat in nobis nova vetuſtas.

Sexagenaria erat matrona hæc cum ſurgens è lecto, renovanda properavit ad ſpeculum: frontem rugis ſulcaverat edax tempus, ita vultus ceciderat, ut in mentum ex utraque parte recederent jam non genæ ſed pelles: buxeus color, & à juvenili tantum diſtans, quantum à vernis frondibus autumnales, quas male ſuis adhærentes ramis levis aura diſcutit. Capillos non omninò corruperat ſenectus; ſed breves erant, nec qui ſtruendo vertici ſufficerent. Eo in ſtatu, dum annoſum caput una ex ancillis pectine percurrit, aliquandiu fuit matrona: ſed tædebat vetulam ſuæ ætatis: & prioris

prioris formæ desiderio, imperavit ut accelerarent juventutem famulæ; nam se ferre, nisi maturetur, diutius non poterat.

In eburnea theca quatuor ex argento pixides erant; una dilutam cerussam acceperat, qua & aurea cutis albesceret, & rugæ æquarentur: purpurissum altera, ut imitatione sanguinis, quâ parte solent genæ rubescere, nimium candorem temperaret: in alia pulvis erat odoratus, quem Cyprium dicebant, ut ex eo suaviter comæ spirarent: quarta breves aliquas spongias continebat, cavæ senectutis, ut mox agnovit Gyges, non mediocre solatium. Et hæc præcipua erant ludibria artis: nondum enim ad eam solertiam venerat sæculum illud, ut ea nosset quæ postrema vanitas usu, ac temporum patientia didicit. Nondum tot secreta collegerat muliebris diligentia, quibus servaretur nitor ille cutis ipsâ sanitate, & interdum fama charior, aut omninò compararetur, si natura negaverat. Inauditum ea ætate lac virgineum; incantata (ut vocant) sudaria, quibus si utaris, tanquam negligenter repentinum sudorem detersurus, illico vultus candident.

Non multùm in dominæ suæ vultu hæserant famulæ, cum anni circiter decem ab illius calendario decerpti sunt: non multò post, alii decem; nam sub illa diligentia sensim rugæ peribant; & ita abscondebatur anus, ut alteram crederes; sed pallidam, & morbosæ simillimam deformabant adhuc flaccidæ malæ: vivacem fecit, purpurissum: & majore prodigio, receptæ in os molles spongiolæ, tumentes

genas ad floridam ætatem revocaverunt. Artem cumulavit adſcititius crinis, ac veſtium ſplendor: & quia etiam ſublimes cothurnos induerat mulier, jam non anicula Gygi viſa eſt, ſed prægrandis quædam virgo, quam adoleſcentes ſuſpirarent, & velut juventæ tabulam, ad Deorum jocum, incautis amantibus pictor Cupido proponeret. Sic mutata riſit ad ſpeculum Matrona, & tanquam cunis proximior, nec quid de ætate jam metuens: digitorum læto ſonitu, morti illuſit.

Nunquam jucundiùs temporis jacturam paſſus eſt Gyges; nec ſemel fœminam mirabatur; Eane eſt, inquiebat, quam tot ſulcis deformem nunc nunc vidi? quæ puſilla proceſſit ex lectulo? ea eſt: Deus bone! tot anni, & ſimul cum illis juventus! brevitas hæc, & tanta magnitudo! ſed altitudini tibiarum imparia brachia erant, & quæ ingentibus coxis (nam ſic judicabat oculus) ſupervenerat ſtatura, muliercula videbatur. Poſthec, quia ambulationem ſublimes crallæ prohibebant, poſtulanti novam ſedem matronę, altior cathedra data eſt, ne ſi in humili acquieſceret invenuſtè genua ad pectus accederent.

Satis riſus philoſopho Iuventutis ſpectrum fecerat. Abiit igitur, & cum mulieres aliquot, forma præcipuas, ſuis in curribus per urbem euntes vidiſſet; dubitavit de omnibus, verè ne Iuvenes eſſent, an aliqua arte ſenecturem occulerent. Ad quemcumque fœminatum occurſum, ſuæ anus meminerat; quis ſcit, ajebat, an capilli iſti, vertici adhæreant? longè forſitan abeſt, aut jam periit caput, ex quo illi

de-

desumpti sunt: spongiis, an solida carne genę illæ turgeant, nescio: omnis mihi jam albedo suspecta est; neque satis fido sanguini; & cum grandes mihi videntur mulieres, est cur pusillas suspicer.

Perversè nos Deum imitari, apud sanctos patres legeram; cum scilicet de cordium secretis judicamus; æquales non patimur; omnia volumus possidere; scire omnia; timeri; ut & diligi suprà cæteros; cum gloriam, delicias, longam vitam optamus; vindicamus injurias. Verum haud credebam, æternitatem Dei, qua semper vetus ac novus est, ulla posse imitatione adumbrari. Sed & hanc, ut video, nobilis anus æmulantur; ita enim vetulæ sunt, ut sint juvenes. Præposteram, ac scelestam Numinis imitationem! variis artibus mutantur, ut nemo mutatas agnoscat, quibus dies omnis vestigium sui relinquit, ne memoria excidat quantum duraverint; & quasi non liceret sanctitatem Dei, bonitatem, justitiam, liberalitatem in exemplum sibi proponere, hoc tantum quærunt, ut stet, aut stare videatur ætas, tanquam si id assequutæ, ad Numen accederent, de quo illud legimus: Omnes sicut vestimentum veterascent, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Operosiorem ineptiam vidisset in fœminis Gyges si ad nostra usque tempora protraxisset dies suos.

Quid Poppææ insaniam damnamus, quæ in suo comitatu tot asinas duci imperabat, ut earum lacte singulis diebus mergeretur, digna Nerone mulier, ex balnei usitatissimi candore semper futura candidior? Non tanto quidem

im-

impendio formoſæ fiunt noſtræ mulieres ; ſed æquali fatuitate peccant, dum collecto rore tingunt ſe? dum vini ſpiritu ita non ſobriè utuntur in ſuæ venuſtatis incrementum, ut licet non potent, erres tamen, ſi abſtemias dixeris. Dum perſonatæ, & ſervatis chirotheciis dormiunt ; ut pelli humanæ admotæ beſtiarum pelles, calorem illum continent, quo nimium rubeſcit cutis, & puſtulæ micantes generantur. Nam hæc omnia fieri certum eſt : ne deformes aut vetulæ appareant,

Ex nimia illa ſenectutis fuga fit quoque ſæpius, ut grandiores natu filiæ, quaſi fari neſcirent, matris nomen non rectè, ſed tanquam puellulæ quędam vix cunis egreſſæ, fractis ſyllabis pronuncient. Nam ut infantem ſimulat adulta, & non rarò maturior virgo, ita aliquid ſuæ ſenectutis mater videtur amittere, nec ſentit ſe fato proximam, quamdiu natæ ore blæſo loquuntur, ac veluti nondum ablactatæ papillas peterent, pro matre, mammam dicunt; interim tamen ſeneſcit proles, excipitque decrepitas matres ultima ætas, & cum ſemper juvenes videri ex fuco, & cultu velint, ubi multa progenies adeſt, juxta gregem nepotum trementes virgunculæ componuntur.

SECESSUS GYGIS, ET FUNUS.

CUm duos circiter annos in urbe Regia commoratus fuiſſet Gyges, & pauca vidiſſet quæ ad vota procederent, cogitavit de ſeceſſu. Meminerat quàm jucundè duxiſſet tempus illud in quo, ut ab hominibus, ſic à vitiis ſemotus ſecuræ virtuti laborabat, & de alienis erroribus minus curans ſeipſo ſuaviſſimè fruebatur. In illo rerum humanarum tumultu redierat librorum amor; & priſtinæ quietis grandior imago ſtimulos philoſopho dabat, ut ſua ſtudia repeteret.

Sed & tot mortalium conſpectu anxius ſecum jurgari inceperat, damnabatque nimium illum videndi ardorem, qui non ad turbida tantùm ſed ſæpè etiam periculoſa compulerat. Nam quanti in veniuntur qui ſcelera oculis hauſere, ut per illas imagines ad pectus deducerent? non ſecurè ludas cum ſerpentibus, & te voluptati ſocium dare, intutum eſt, licet à veneno caveas.

Timebat Gyges ne demum amica ſibi crimina fierent ſi diutius eſſent familiaria, & jam ſentiebat odium illud minui, quod validiſſimum fuerat cum ex ſolis libris didicerat vitiorum corruptelam. Magnum ad virtutem incitamentum, non aliter noſſe; quoties enim de illis agit philoſophus, non quàm ſuavia, ſed quàm turpia ſint, diſputat; quàm à ratione abhorrentia, & monſtrorum deformitatem

ita

ita illis impingit, ut ferè necessariò oderis, si non aliunde agnoscas quàm dulci fascino mortalibus illudant. Verùm ut illa quæ nos prius læsit in exteris vestium forma, si diu cum illis agimus, sensim sui patientiam facit, deinde & patrii amictus fastidium; ut pudeat in aliena gente aliter conspici quàm cæteri soleant: Ita prorsus vitia nobis conciliat improborum hominum contubernium, & videndi consuetudo. Primùm illis irascimur: proximè succedit huic motui alter humanior inter iram indulgentiamque medius; hunc excipit excusandæ nequitiæ facilitas, tandem conformitas affectuum, ac morum similitudo. Nondum huc quidem pervenerat Gyges; sed ex parte defecerat ille impetus animi quo prius incitabatur in vitia; & licet tota virtus staret, necdum posuisset arma, tamen erat languidior.

Hoc cum ille adverteret, paulatim sibi reddebatur societatem humanam devitans, viresque colligebat. In illa fuga factum est aliquando, ut uno ab urbe milliari ambulantem & cogitabundum sisteret ad Sequanæ ripam amœnissimus locus; sponte aliquot arbores creverant & æquali ramorum pondere in arcum nutantes, quadam artis imitatione quoscumque illuc casus adduxisset ad umbram invitabant: ut molliter quoque sederent, læto gramine, & ex aquæ viciniâ facili humo, etiam natura providerat.

Inde liber in urbem prospectus, quàm cùm mœstissimis oculis intuitus fuisset Gyges, O miseram, inquit, quæ tot mala tuo ambitu contines! O te nunquam subivissem! quid enim

enim ad fœlicitatem proderat tot miſceri tumultibus, tot videre ſive fortunarum, ſive virtutum ærumnas, tot fraudes, tot ſcelera? Domo meâ egreſſus ſum, ut turpia, ut nefanda conſpicerem, plector ex merito: ut homines adirem, libros reliqui: O mutationem quam etſi longa mœſtitiâ proſequar, nunquàm tamen ſatis fleam! Nunc agnoſco quàm dulciùs, quàm tutiùs ſit, ſecum hærere, diſcère à mortuis, quàm à ſe abſtrahi, & viventium conſortio ſcire quantum à recto aberrat humana mens: quot deliramentis ſub ſapientiæ nomine laborat: quot vitiis corrumpitur.

Puto, beatus ſum, quod immanes aras vidi; cæſos pauperes: turpiter pios; Chriſtianos abſque Deo: latentem hæreſim: inſana convivia: tormenta Magnatum: judicum artes, & crimina: ventres malè paſtos, ut veſtis ac ſuppellex fulgeat: infauſta conjugia; recentis fortunæ barbaros mores: literatam inſaniam: oppreſſos ab ingenuis ruſticos: violatam ab helluonibus abſtinentiam: nobiles vino merſos: læſum Numen à blaſphemis: aulicæ vitæ tempeſtates; ſenum ineptias; aſſentationem in Principes; impotentis invidiæ multiplices dolos; caſtitatem inter tripudii faces peremptam: theatrorum ſpurcitias; fictas ægritudines: picturæ delicta: enerves viros: figmenta ætatis: an hæc qui non videt, miſer eſt?

Tum ſuum annulum reſpiciens: fortiori debebaris, inquit, ô annule! qui ſalvâ virtute poſſet ea omnia intueri, quæ jam nimis

tuo auxilio nota mihi ſunt. Sed quis me mortuo, te habebit? Si in avarum incidas? quot furta faciet? ſi in crudulem, quot cædes? ſi in ſalacem, quot ſordes perpetrabit inviſus? quæ timentis avari ſagacitas, quæ hoſtium fuga, vigilantiſſimi amoris quæ excubiæ, inſidias declinarint?

Cum hæc ille dixiſſet, paululum flevit, timuitque ſua cogitatione læſiſſe philoſophi manes, in cujus ſepulchro librum cum pyxide invenerat. Mox iterum annulo loquutus; Ergo te abjiciam, inquit, quem unico mihi tot ſecula ſervaverant? quid feciſti ut pereas, tam abditæ philoſophiæ munus? quid peccavit lapis? quid aſtra, cùm iſtam virtutem conceſſere, ut quicumque illum cum amico flore geſtaret, non videretur?

Inter hæc cœperat molliri, dubitabatq; an ſervaret adhuc eximium illud naturæ opus, verum ſibi inutile, cùm ex illo ſecreta hominum audire, aut intueri nollet ulteriùs. Quid enim ajebat, de futuro ſollicitum ſum? Ne in malos uſus ſerviat, curabit providentia. Poſtquam deceſſero, forſitan me meliorem inveniet; maneat annulus; quicumque hæres meus erit, eo bono fruatur, quod nulli Reges dare poſſint: tutus pergat quocumque ibit: & meo beneficio ſupra ſortem humanam elatus quoties utetur, meminerit quantum mihi debeat. Sed ſi inde ſcelera proveniant, ſi in ſuas cupiditates aliquis iſtum annulum induerit, an tu non conſcius, Charmion, qui reliqueris? in hac mentis tempeſtate ſubito zelo annulum jacit in flumen: Et melius eſt, inquit, te

peri-

perire, quàm si homines pereant. Cùm hoc non omninò lubens fecisset, diu in undas respexit, quasi invideret quod se destituto tantum illæ thesaurum possiderent.

Non multò post cùm domum suam revertisset, in morbum incidit & fato urgente cum vigeret adhuc animus, narravit amicis quod huc usque alto silentio presserat: addiditque se in ampliorem notitiam ea omnia calamo exarasse, quæ sciri à posteris vellet. Cæterùm in sua supellectile frustrà quæsituros annulum illum quem fluvius acceperat, & fortè jam rapiente cursu devolvisset in oceanum.

Tanta res subito rumore pervagata admirationem omnibus, plurimis metum fecit: quod nescirent, quamdiu potitus fuisset eo annulo Charmion, an secretè peccaverant: quid enim si ille testis fuerat, & arbiter actionum?

Functo Charmione ingens populi concursus fuit, postulantis ut antequam terrę mandaretur, diducto sarcophago ejusmodi hominis liceret ora intueri, nec satiabantur aspectibus, rei novitate, quæ animis stuporem fecerat, ita etiam oculos fallente, ut aliquid in eo vultu insuetum adverterent.

De sepulchro posteà ambitiosè statuerunt cives, ut viri apud se nati, & quem tanto favore sors nobilitaverat, cadaver non indignè tegeretur. Charmionem exhibebat industrius lapis, & cum eo fortunam una manu librum dantem, alterâ porrigentem annulum, tot monstrorum materiem; & aure-

is

is literis ſplendidum marmor hoc Epitaphium legenti proponebat.

Siſte, & ſtupe, viator. Hic jacet vir in medio hominum cœtu, dum viveret, numquam viſus niſi cum placuit. Simillimum ſpiritibus habuit corpus, non mutatâ hominis naturâ, ſed favente annulo, qui dum non quæritur, & aliud vota ſuſpirant, à fortuna conceſſus eſt. In ſepulchrum vivens admiſſus, accepit à mortuis unde viventes noſceret; notos deſeruit, ex malis quæ ubique vidit, edoctus nullos eſſe fœlices niſi qui fugiunt. Abi viator; & ſi quid turbidum meditaris, diſce, opibus, deliciis, famæ præferri debere innocentiam tuam, pacem tuam.

FINIS.

SOMNIA SAPIENTIS.

PETRO FIRMIANO Authore.



LECTORI.

QUid in fronte hæres, Lector? num pudet vocari ad somnia qui seriis pasci vel cupidus, vel assuetus? an tempori times? an pietati? utrinque te securum præsto. Librum hunc legisse non jactura temporis erit, sed fœnus, ingensque pietatis (quod maximè optandum) accessio. Quæ fides somniis adhibenda sit, religio docet: plurima damnat, non pauca haberi vult pro oraculis; & quæcumque liber iste tibi exhibet religiose posse observari fateberis, Lector, si legas. Sapientis quippè sunt, cujus non raró sopor eruditus & vigilantium magister. Ne tamen aberrantis mentis inania quædam spectra esse existimes, scias venalim sobriæ animæ cogitata sibi hic proponi splendidissimasq; imagines, quas si intueris, tum certa, tam varia de rebus humanis percipies, ut nec invideas Epimenidi, qui præceptore somnio fœliciter jacens, si Græcis fides, universam hausit philosophiam.

Argumentum dedit operi ex occasione charissimus mihi Hermias: viro huic amœnissimum ingenium, & etiam in seriis non indigna sapiente hilaritas. Scientiam suam aliquo labore emi amabat, non facilem ad nos venire, quoties proferre rogabatur quæ vel à libris, in quos multus erat, accepisset, vel à seipso: sibi namq; doctor sæpissimè est animus, nec aliò ad pluri-

plurima radio indiget, quàm suo, si habere se reflexus advertat, neque uti neglexerit. Quodcumque Hermias sive virtutum, sive vitiorum apud mortales viderat, id se somniasse asseverans, gravissimis commentis suam sic intexebat philosophiam, ut in disquirenda veritate, opus nobis simul esset, & voluptas. Hoc cum iterùm & tertiò fecisset vir suavissimus, indeque amicorum qui mecum aderant solers industria plurimam deduxisset ad formandos mores sapientiam, placuit ludus; communiq; suffragio rogatus Hermias, promisit non sibi magis quam nobis somniaturum imposterum, & ex fide, quando sic volebamus, nuntiaturum quodcumq; per sopores visa nox ostenderet. Quod fuerat pollicitus, solvit. An benè dormierit vir ille, an ego, qui somnia excepi, inani labore tempus absumpserim, dignus quem nemo requirat, ferat nemo, judica lector, & si opus est, fave.

SOMNIA SAPIENTIS.

SCENA DOLORIS.

PRIMUM SOMNIUM.

ITa ſæpè mœſtus eſt aër, ut denſiſſimo imbre humum verberet, & tamen ſolares radios non impediat: quid novum igitur, ſi in exordium hujus operis, omnibus ego placiturus, ita jam ex propoſito varius ſum, ut doloris ſcenam exhibens, riſum moveam?

Jam ſtellæ ad acceſſum ſolis languidius ſpargebant ignes ſuos, & purioribus ſimulachris matutina ſub auroram ſomnia mortalium mentes ludebant, cum rei ingentis ſpectaculum, ajebat Hermias, mihi per quietem oſtenſum eſt. Inter atras cupreſſus, taxoſque immanes, palatium ſurgebat, ea arte conſpicuum ut terrorem incuteret intuenti. Ornatus qui exequiarum ſolet eſſe, non ſine ambitione triſtiſſimus: nam papavera, apium, cæteraſq; herbas quibus functis parentare olim Religio erat, intertextis noctuis operi ſuo ſculptor inciderat, & mortis plurimâ imagine adeo funeſtaverat domum, ut niſi viventium ſedem forma oſtenderet, ſepulchrum crederetur.

Arcendæ voluptati titulus hic, cælatis in obvio marmore literis, propugnabat infauſtas fores, omni præſidio fortior, DOLORI SACRUM. Plurimæ per ambitum ſtatuæ erant;

rant; virorum pauciſſimæ, mulierum numerus ingens, quæ maritorum jacturam non ferentes, crudeli manu ſibi mortem conſcivere, creditasque nec revocatas à natura, *projecere animas*, vel conſtanti pietate acerbiſſimos fletus ad remota uſque fata prorogavere, ut chariſſimorum conjugum manes longiori pompa proſequerentur.

Aditum duo ſigna ornaverant: hinc Porcia cibo ardenti mortem urgebat, & quaſi ad guſtatos carbones horreret natura, in dubio vultu diverſiſſimorum affectuum notæ micabant, ut ſcires mulieris eſſe ita mori properantis, ut tamen advocatum funus non ſine pavore exciperet. Illinc ſub Reginæ lugentis amictu Artemiſia Mauſoli cineres admovebat ori ſuo ſublatis ex mœrore oculis, ne in funebri patera jam brevem maritum, qualem nolebat, cogeretur aſpicere. In lethali palatio ampliſſimæ feneſtræ, frequentesque; ſed inutiles: nulla enim illarum patebat, ne per eam ſolis lumen admitteretur, umbrasque diſcuteret quibus pretium fecerat odium vitæ, & doloris atrocitas.

Intromitti in illud nulli conceſſum niſi atrato: nam ut lætitia & riſus, ita & colores exulaverant: neque iris ipſa ad januam, licet gravida fletibus, ſupplexque, inter mœrentes admiſſa eſt, quod

Curuata picto nuntiat nimbos ſinu:

Interim dum indignata virgo (nam illam ſpeciem referebat) ſuas repetit nubes, ſuamque Iunonem minatur, Hymenæus ex Iridis

repulsâ cautior, viſus eſt illicò togam mutare; in illam enim domum recipi ardebat, nec poterat multicolor, aut perfuſus odoribus. Lepidiſſimam fraudem adjuvit picea fax, quam pro tædâ nuptiali præferens etiam flere videbatur: neque voces deerant, quæ veritatem adumbrarent, nunc in acutiorem ſonum elatæ, nunc tanquam deficiente naturâ flebiles, & ad horrorem quandoque interciſæ ſilentio.

Admiſſo Hymenæo, tympanorum & tibiarum alacer ſonus, ſimul & ſaltantium voces audiri cœpere: mox arbores quotquot ominoſę erant aptæque funeribus in myrtum mutatæ (Veneri ſacra hæc arbos) & puer Cupido laureatus, cum gratioribus litteris fores ornaſſet, tanquam victor doloris, effuſiſſimo riſu ſomnium ſolvit.

Hęc dicente nobis Hermiâ omnes unà ſilebamus, jucundiſſimi ſermonis voluptate ita affecti, ut nullus ne tuſſi quidem, aut manuum applauſu, quod plerumque fit, narrantem perturbaret. Ut autem loqui deſiit, primus Aſterius; nam & antiquior erat, & ſacrâ dignitate inſignis, in hunc modum exorſus eſt.

Dignum planè ſomnium tuum, ô Hermia! quod vigilans animus recoleret: neque enim ex illis eſt, quæ turbinum inſtar, non benè redditas rerum corporalium imagines miſcent, & à ratione deficiunt. Dormiſti ſapienter: ô utinam labor aliis tam benè cedat, quàm tibi quies: ſed cujus ordinis putas viſum iſtud? nam & ſomnia, vaga licet & ſine lege errantia optimus rerum diſtributor Ariſtoteles ordinavit; & ab eo ſuas quæque ſedes

ſortita ſunt. Ad illa certè non referam, quæ ex diverſarum qualitatum imperio, quibus humanum corpus ſubjacet, ſuas omninò ſpecies mutuantia ſtatum corporis adumbrant; & medicis quandoque non modicum lumen conferunt, ſi de remedio in obſcura ægritudine dubitantibus, narraverit æger ipſe quæ rerum ſpectra per quietem ſibi contingant: an prǫcipitia meditetur, an incendia, an mitioribus ſimulachris aberrantem animam ludat nox benignior; ſpemque faciat, non inutili labore curari corpus, ex quo jam turbidum nihil cogitationum ſeges eſt, & ſomniorum materies.

Non ut te doceam, aut cæteros, qui hîc adſunt, Hermia! ſed ne dedocear ego, repetam quæ à Philoſophis accepiſſe me memini. Æquum eſt, plurimas ex imaginibus illis, quarum occurſu & contemplatione variatur mortalium ſopor, aſſignare temperamento: ſicut enim ex cujusque terræ genio, orbis regiones vel alimenta in uſus humanos beniſſime prǫbent, vel crudeles venena in interitum generant, ac neceſſaria ſterilitate quoſcumque colonos amovent; aurum creant, aut in viliori vim ſuam produnt: animantia quoque manſuetiora, aut ferociora ſortiuntur: nam & oves quasdam ex ſui ſoli naturâ rabidas & intractabiles ſcimus, & leones aliquos inveniri quibus ſuæ ſylvæ remiſſiorem iram indiderunt, quàm quæ cæteris inſita eſt; ita hominibus varia ſunt, ex diverſâ corporum conſtitutione, illa rerum ſimulachra, quǫ per ſoporem nobis obiiciuntur.

Qui nativis aquis veluti immersus est, alias undas sæpissimè dormiens intuetur, & non rarò; aut inter nautas superat fluctus, aut inter pisces ipsos spirat quoque, quia ad illorum naturam accedens ex dominantis scilicet elementi lege, liquidiora fingit phantasmata, totusque fluit in somniis. Alius ex alia corporis temperatura aut cum Dædalo sublimis in aëre volat, aut cum Encelado premitur, laboratque sub incubis, prout levis humor sua tenuitate cerebrum jucundiùs versat, aut terrenus gravisque, phantasiæ ad utrumlibet pronæ pondus impingit. Aliquos incendio tradit suus calor, non priùs à flamma liberandos quàm evigilent: ita quippè à natura conditi sumus, ut nos ipsos magna ex parte ex somniis nosse contingat, & frequenter illæ species, quas delusi nobis facimus, non rectiùs cætera quàm pictorem suum adumbrent. Ab his, ô Hermia, haud ineptè, ut mihi videor, conjicio, non esse ex temperamento somnium tuum; nam tibi jucundissimo viro tot tristia, sepulchrales arbores, noctuæ, fletus, cæteraque hujusmodi vix contigerint. Ad illa melius revocavero, quę ex rerum quas vidimus recordatione ita emergunt, ut tamen objectas non omnino eadem ratione repræsentent, mixtis etiam quandoque mendacibus formis, quas æquali facilitate admittit humanus animus, vapore, benigno licet & necessario, laborans, nec jam suornm phantasmatum judex, sed ignavus spectator.

Grande negotium dormienti, memoria infinitis propè figuris, quas hauserunt sensus, refer-

referta, & ad leviſſimam cauſam mobilis; ſic enim fit, ut impellente, quod ab alimentis in caput aſſurgit, humido illo ſoporis parente, rerum imagines veluti rotet, reducatque imprudens, quas aut ſub recentioribus formis, aut ex affectu fortius in animo inſidentibus, longa oblivione abſconderat: Sæpius tamen illa quieſcenti redeunt, quę vigilantem benè aut malè affecere; & ex præteriti ſenſu doloris, ut & gaudii, reſtat in animo illa varię repræſentationis facilitas, unde nobis vel triſtes objectorum formæ occurrunt, vel hilares, quæ collapſam voluptatem, inaniter licet, ad guſtum tamen dormientis gratiſſimo errore reſtituunt. Non tu quidem mœſtus, ô Hermia! ſed ſatis tibi fuit, mœſta conſpexiſſe ut injucundè ſomniares. Neque hoc peculiare tibi aut novum; fere quidquid oſtendit dies, tragœda nox ludit. Non ea mihi eſt, noſti, quæ imperitis credulitas, qui ex nocturnarum imaginum obſervatione futuros eventus ſcrutantur: vates inepti, quibus oraculum ſua mens cùm maximè delirat, neque lumen divinius, quàm quod trepidis, & ad ſua viſa laborantibus, infuderit.

Pictus imaginibus formisq; fugacibus adſtans
Morpheus, & variis fingens nova vultibus ora,

Alia tamen ratione dicam ô Hermia, unde tibi palatium illud tot funeſtum imaginibus; unde tot, verùm tàm ſubitâ lætitiâ arentes lachrymæ, brevisque adeò deſperatio, quæ ad Hymenęi latitantis adventum tota in choreas ſoluta eſt.

Dolorem in ſpectaculum prodire, quoties aliquis ex viris illuſtrioribus è vita decedit, ita certum eſt, ita tritum, ut nihil ſit iſta lachrymarum ſcena famoſius, aut communius. Sicut neſciente orbe interit pauper, ita turbulentiſſima eſt magnatum mors: aliquem enim efferri qui ſtirpe, prædiis, clientibus præcipuus fuit, maximus mortalium rumor, ac ſtrepentis familiæ ambitioſa lachrymarum materies. In cinerum reverentiam nemo ex notis eſt qui ſolitos vultus gerat, induendi, vel invito, quos ſimulatio componit, ut potentiorum exequias à popularibus ſecernat ſuſpiriorum ludus ille, & altioris fortunæ hoc ſaltem in vitæ exitu ſolatium ſit, aut etiam honos, quòd grandiore tumultu ſolvitur, & lugetur acerbiùs. Ita eſt, circà divites adeò ſincerum nihil, ut & vita functos urgeat adhuc quæ viventes obſederat crudelis aſſentatio, & doloris frontem præferens, quaſi manes illis officiis demeritura, tacito riſu funeribus illudat.

O jocularem mœſtitiam! ô mimum funebrem, & fatuè ſerium! in hac acerrimi luctus neceſſitate (illum namque lege fortior mos imperat) qui ab amore lachrymas non habet, ad gratioſam triſtitiam ita eruditur, ut ſæpè ex teſtamento hilaris amicus, aut ab nova ſucceſſione turgens hæres, mollius gemat, quàm quos verus dolor conficit, & impreſſa gratis viſceribus beneficiorum recordatio.

Aderat cum Anagnio, & Euſebio, triſtiſſimus adhuc ex patris obitu Dyrcæus: ille gemitus damnari, quos ſinceriſſimos paterno funeri adhibuerat, non ferens; nihil crudelius, in-

inquit, ô Aſteri, quàm lachrymas, quæ ex acerbiſſimo animi motu defluunt, cumulare ludibrio. Neſcis eas vocari à plerisque, & ab ipſo Auguſtino, ſanguinem cordis, qui exire prorſus nequeat, niſi vulnus aliquod viam fecerit? ubi nobiliſſimum cruorem advertis, de plagâ ne dubita; quod integrum fuerat, telum aperuit. Non credis, quia non vides? & fluviorum caput latet, quod tamen eſſe ex labentibus undis ſcimus; cur ergo exiſtimes flere illos absque dolore, qui lachrymis manant, cum ſua ſit omnibus fluviis origo, & humanis fletibus, quos tu improbas, quos tu irrides, nullum poſſit verius aſſignari principium.

Quidquid pluviæ collegit gravis aër, terra recipit, & ideò tantum lutoſa eſt, & viatoribus invida, quòd altius elementum ſuas illi vices ex neceſſitate impertit, neque patitur ſub madente & fluido ſiccitatem ſuam ſervare. Idem puta de anima & corpore; prior illa luget, quàm iſtud: & quæ in imo, torrentium inſtar, impetu feruntur lachrymę, ut ita inundarent, ex alto ciciderunt. Ab ſua origine, fletus æſtima, Aſteri! illos, inquam, concipit anima, admittit corpus, & iſta quæ modò jacet aqua, paulo ante nubes fuit, maneretque ubi cogente dolore primum denſata eſt, niſi pondus deduxiſſet.

Tuus me ſermo, fateor, non contriſtavit tantùm, ſed & læſit. Exiſtimas ergo neminem niſi lætum in alterius bona ſubſtitui, & ſucceſſionis commoda adeò lenire dolorem in amico, ut in ſignis totus ſit? Putas filium crudelem ex beneficio patris, quod nunquam fortius

tiùs ſentitur, quàm cum illo extincto non per partes, ut ſolebat, ſed totâ ſui effuſione in hæredem venit, ut nihil jam ultra à parente vel cupidiſſimus exoptet.

Quod divites ad propinquorum funus amplioribus lachrymis indulgeant quàm cæteri mortalium, non doloris adſcititii, ut tu ais, fraus eſt, ſed humanitatis, cui à primâ ætate ſtuduerunt, argumentum: id enim fere quæq; honeſtior fortuna habet, ut ex eâ ad alienos caſus molliores efficiamur, quorum ſenſum aut omnino impedit, aut tollit citò abjectioris vitæ aſperitas, & comparata in genus noſtrum quædam ex proprio incommodo ſævities; nam qui pati conſuevit, vix libenter compatitur, quia totam quam habet miſerationem ſibi impendit propiori humanitate, neq; ſe miſero aliquem credit digniorem gemitibus.

Illud tibi ſi ſatis non erit, plura coniiciam. In laborioſâ fortunâ quæ operum aſſiduitate conſtat, obtunditur facillimè illa diligendi ſuavitas, quæ poſt amicorum deceſſum apud divites conſtantius perſeverat; omnem quippe cæterarum rerum curam tollit potentior alimentorum ſollicitudo, timorque juſtiſſimus ne otioſo mœrori deditos paupertas conficiat. Non quid in amici funere amiſeris diu penſat vir humilis; ſed quid ſibi, quid ſuſpiranti familiæ deſit, & perfunctoriè luget ſuos; quia ad alia urgetur quæ in paupere tecto diuturnioris mœſtitiæ poteſtatem non faciunt. Aratrum, ſerram, malleum promptiſſimos habet ſui luctus ſolatores, & maximè confert ad medelam doloris negotioſa illa

vitæ

vitæ ratio, cujus nulla est apud opulentos consuetudo aut necessitas. Ita fit ut divites qui affectibus humanis magis patent, ut dixi, etiam cum admiserint fidelius, servent ostendantque diutius.

Præterea ad fortunæ ictus, quos raros perferunt, delicatiores fieri ex longo usu fœlicitatis facillimè concedes; & quid ergo mirum, si, ubi flendum est, acriùs fleant, quàm quos ab ortu in cætera vitæ spatia damnavit sua conditio, ut nunquam desit calamitosis mali alicujus societas, questuumque materies?

Sed hæc scilicet sola sunt quæ divitum largiores fletus excusant? & ista aliis etiam cumulabo. Statim ut aliquis apud illos diem suum obiit, maximè si familiæ dominus fuerat, pluresq; ad sui reverentiam vel amicitiam compulerat, potestate aut opibus, & bona in hęredem cadunt à quo eadem timeri, aut sperari oporteat; ingens hominum reverà concursus fit. Asteri! qui mœstâ facie verbisque dolori consentientibus (ut par est) ad tristissimos lares accedunt, testaturi quàm condoleant, quem civitas amiserit.

Inter tot lachrymas, quæ novæ identidem, neque convocatæ tamen adveniunt, fovetur familiæ luctus, & novo vulnere recrudescit in dies functi memoria, quoties aliquis, aut ordinem morbi, ut moris est, importunus quæsitor sibi enarrari postulat, aut mortis ipsius queritur immeritam neque expectatam acerbitatem. Nam contagiosus supra cætera dolor: illum in aliis vidisse, satis est ut tu sentias: sicut enim laborantes oculos qui conspicit oculus,

læ-

læditur ipſe, & neceſſitate quadam naturæ malum trahit, ita mœror viſus mœrorem creat, & à lacrymis abſtinere haud poteſt qui in domo ex ſuppellectilis novo horrore ipſi funeri ſimillima, tot fletus intuetur.

Ad cœmeteria nemo ferè niſi triſtis accedit; nam quis læto animo conſpiciat miſerrimæ humanitatis non tantùm triſtiſſima monumenta; ſed plerumque projectas reliquias. Funeſtiores ſunt, Aſteri! divitum ædes, ad quas tot honeſtiſſimi viri in eundem luctum conſentientes, non niſi mœſta loquuturi conveniunt. Inter hæc quoque ſuum diem quisque cogitat, dum de alieno ſic agitur, & mortalitatis neceſſariò fit planctus, atque memoria, à quibus excitantur facillimè fletus illi, in quos non injuriosè modò: ſed tamen ferociter invectus es.

Miror te, cum ipſe dives ſis, in eam fortunam ſic loqui; tuamque ſtirpem incuſare; quod non more vulgi, efferat mortuos ſuos; & ad digniora funera plus lachrymarum effundat quàm ſolet ſtupida plebs, ubi ex illa aliquis infœliciſſimam vitam exuit, mitiorem certe terram experturus, cùm ſub ea extinctus jacebit, quam cum vivus calcaverat.

Quis deinceps ſub oculis tuis audeat mortuos lugere, quibus ideo lachrymas damus quia non dare immanis quædam feritas eſt, nec aliter juſta functis perſolvere vix poſſis, urna licet pretioſiſſima amicos cineres excipias laudesque marmori inſculptæ immortale nomen transmittant ad poſteros? Effeciſti certè, Aſteri, tuis ſermonibus, ut te duriſſimum lachry-

chrymarum interpretem fugiam; quoties ad memoriam chariſſimi patris inſtabunt gemitus, & oculi ſtillantes ſigna dabunt me percelli: Hæres ſum, Aſteri, hęres ſum; ſed ô viveret chariſſimus parens! illo frui mihi dulcius quam auro, aut prædiis; divitem eſſe me ſine patre non cenſeo; cætera, ut volet fortuna, rapiat, patrem amiſi.

Plura loqui obortæ lachrymæ ſuſpirantem impedierunt, quas ut ſiſteret Aſterius, mutato, mox repetiturus, argumento, aſſeruit non modicę laudis eas lachrymas eſſe quas non fingi omnes ſcirent: & plurimos inveniri, qui amicorum jacturam ferrent durius, quàm ſi acerba ſors induxiſſet cæterorum penuriem. Chriſtum ipſum viſo amici tumulo non abſtinuiſſe à fletibus, licet dubium ſit, an quia mortuus erat, lugeretur, an quia in vitam revocandus, novoque ſenſurus experimento, functis quàm viventibus eſſe fœlicius. Addidit & ſe quoque vix placari ad ſuorum funera, expertumque ſępiſſimè, injuſſas prodire lachrymas, nec facile retundi. Propè homines non eſſe qui flere nequirent, ubi caſus exigit humanitatis officia, & ſupra inhumanitatis nomen peccare qui nollent. Neque philoſophos ipſos damnaviſſe ſenſum doloris, cui ſapiens, nolit licet, eſt obnoxius; ſed illum duntaxat triſtitiæ apparatum, quæ arte procedit, ſuiq; fama advocat inutilem ſolatorum turbam: Sineret ergo in eas lachrymas invehi quæ theatris aptiores ſunt quàm funeribus, & ſcenam illam conſtituunt, quàm, ſi pateretur, ampliori ſermone exhiberet audituris. Cùm non abnuiſſet, liberrimè A-

ſterius

ſterius ſic proſequutus eſt quod incœperat.

Alieno gemitu delectari non ſemper eſt inhumanum : imò juſtiſſimam ſui cauſam ſæpiſſimè lætitia habet luctus ipſos, eoque plus quo videntur effuſiores. Negas? ô te lachrymarum ludibrio dignum, qui mœroris ſcurrilitatem nondum inter ludicra advertis; ignarusque quàm multiplici fabula faciles oculos ludat ſcenicus dolor, ad omnes aliorum fletus ſolveris, cùm major utique eorum pars publico tripudio excipi debeat, digna plane non contemptu tantùm, ſed etiam cachinno ſapientis!

Viris præſtant, quis enim neſciat! ea lugendi arte mulieres, & frequentior apud illas ſpontaneæ mœſtitiæ uſus in causâ eſt, cur amplior ſtatuarum pars quas ſomnians vidiſti, ô Hermia! ſexum hunc, non noſtrum expreſſerit: nam ad maritorum exceſſum, ita doctè fletum faciunt, ut & eas doloris præcepta hauſiſſe, & cæteris mortalibus dare poſſe, non immerito exiſtimes. Viduo amore, dum adhuc cruda eſt ſeparatio, nihil certè triſtius: verum ſæpiſſimè contingit, ut exhauſtis ex neceſſario mœrore lachrymis, jam ſicca mulier novos fletus fingat, ne citò deſiiſſe videatur, ubi longum triſtitiæ argumentum caſus dedit, aut recepta conſuetudo miſellam cogit non conceſſos à natura fletus ab arte mutuari.

Etſi indecens eſt, ô Aſteri! intercepit Hermias, aliquem te adhuc diſſerente loqui, dicam tamen: Nemo unquam te veriùs in dormientium imagines luſit, attigiſti profectò ſomnium meum; ſed ſi placet proſequere.

Tum

Tum ille læto vultu, ut etiam mœstissimum Dyrcæum exhilararet.

Atra sors, nobilem fœminam conjuge amisso in frigido toro jacere! huic fato privatæ lachrymæ non sufficiunt; advocandi affines, amici, ut videatur urbis calamitas raptus unius, quem forsitan vivum, si viduam & mercenarios excipias, nemo optabat. His testibus mulier variè furit, ne una persona videatur suam scenam ornavisse. Ex dolore immanem dicas, aliarum namque maritos vivere queritur; tempus supputat matrimonii, suamque vocat injuriam, quòd fœliciores conjuges in longævo toro consenuerint, ipsa verò infœlix in solatium breves annos acceperit, menses, dies. Quasi incerta cui irasci debeat, nunc in medicos atrox est, nunc in Deum, nunc in seipsam, quòd scilicet negligentem curam adhibuit languido; quòd facilem coëgit illis remediis subdi quæ afflictas vires non oportuno auxilio in desperationem sanitatis adduxerunt, suaque vi mortem festinavere, in quam lentiora subsidia fœlicius pugnassent, aut sola etiam natura, quæ se uti solertissimè consuevit, suumque ingenium advocat, ubi ars tot infamata erroribus, & noxiè audax, non porrigit sua pocula; denique sublato conjuge, importunè iterat nihil sibi inter vivos superesse solatii; quod fatum reliquit, pœnam esse non beneficium, tanquam suus illi maritus fuerit, quod cæteris Deus, Omne bonum.

Quæ primæ erumpunt lachrymę, ut modo dicebam, ex vero fluunt, ideoque laudabiles quòd nemini imponant, quod ritè fundantur

ut natura imperavit: has ſequitur per aliquot dies fletuum pompa, cellæ obſcuritas, ſolitudo quædam omnes admittens, ut fugientem fœminam latitantemque ſoletur amicorum frequentia. Tunc in Solis injuriam accenduntur faces, ut diurnæ luci videatur renunciaviſſe mulier, neque aliquid ultrà placere deſperatę, quàm quod exaſperat lugentem, queſtus fovet, aut functorum ſtatum adumbrat. Intereà videas omnes ad interiorem cellæ partem tanquam ad aram procedere: qui ad officium primus acceſſit, eodem veſtigio regreſſus, manu oculis admota, flebile neſcio quid ſubmurmurans cæteros invitat ad ſimile obſequium. Longus ſuſpirantium ordo, dum mulier immota in toro breviſſimos ſingulorum ſermones excipit, & rogata an valeat, an vivat, aut ad ſingulorum quæſita verboſo dolore repetit ſuam cantilenam, aut in majoris luctus ſpecimen, reſpondet gemitibus: ultra menſem durant. Nęniæ iſtæ: neque mœrori officit ſua prolixitas; non finitur niſi conſenſerint mos, doloris arbiter, & regina opinio.

Verùm quis Hymenæo ſubtilior? in mediis ſæpe fletibus non viſus advenit: & ſecretâ novi conjugis imagine adeo gemebundam ferit, ut antequam quod reſtat funeris amoveatur ab oculis, quæratur mente ſponſus, ſitque ratum matrimonium.

Intempeſtivum amorem inter tot lachrymas inveniri ſi miraris, recordare ipſam Venerem ortum duxiſſe à fluctibus, ideoque dictam Aphrogeniam, quod quæ poſt immanes pelagi motus, ſedatis nondum undis, ſpuma

ſuper-

ſuperfuit, Deam dedit. Aquas non odiſſe Cupidinem inde conjicias, quod ab illis matrem habet. Quid apud Maronem quæris in conſtantiſſima (ut jurabat ipſa) fœmina,

Veteris veſtigia flammæ.

Suas Didones fert etiam noſtra ætas, quæ miſerrimo Sychæo non ita fideles ſunt, ut ſucceſſorem tori Æneam timeant, aut velint averſari.

Sed neque hoc cogitet orba mulier: certè ineptum eſt tamdiu jacere in lectulo, & in ſe ſævire otio, fuga, tenebris, divinorum quoque abſtinentia (nam tunc temporis ad templum non itur) cùm jam dolor evanuit.

Jure iraſcimur tyranno illi, qui vexatæ tributis plebi laborem etiam imperavit, lege lata ut ſinguli in domum regiam definitæ menſuræ vaſculum quoddam afferrent, quod niſi miſerorum ſudore impletum obnoxios poteſtati cives non abſolveret. Hujus certè ſęvitiæ pars eſt ille mos, quo jubente per menſem aut flet mulier, aut flentem imitata, improbe facit, quod neque ſapienter ageret, ſi germanus ex affectu dolor, eadem vi tempeſtatis quæ incipienti fuit, ad id usque tempus prorogaretur. Quanta naturæ injuria prolixior fletus! Illa enim hominum amantiſſima parens effecit, ut nemo poſſit valde dolere, & diu: Et immanem credi volumus, dum finitas lachrymas circulo quodam mœroris revocamus ad initium, & longo fletuum apparatu veluti probamus violentiſſimum aliquid durare potuiſſe.

Dum

Dum hæc ille loqueretur, cogitabam ego Christianam sanctitatem pollui ejusmodi lachrimis, neque licere orbe converso, tanquam adhuc staret antiqua gentilium superstitio, ea mœstitiæ larva insultare funeribus: nec multo post silente Asterio, quid mihi in mentem venisset, his verbis aperui.

Apud infideles certè, tristitiam fingi, non omnino indecorum videbatur, dum & fictitios Deos colerent, neq; à cultoribus profundi deberent lachrymæ; numinibus veriores. Apud illos omnia falsa; Oracula, Auguria, Imperatorum ubi homines esse desierant in Divos consecratio: quid mirum si & gemitus?

Quanta dementia ad functorum exequias conductæ mulieres non flebant modo, sed ululabant, haud referam; piget quippè narrare lamentatricum ordinatissimum furorem; quæ nisi dato signo non insanirent. Unum dicam quod ipse vidi. Asservantur adhuc pluribus in locis urnæ veteres, quę Romano more mortuorum reliquias per tot sæcula intactos ad nos usque pertulerunt. Cum unam ex illis, me præsente, vir quidam antiquitatis studiosus aperuisset, miratus sum phialas, (& hæ vitreæ erant) ipsis cineribus admotas tanquam ad funebre obsequium. Quæ Religio, quis ea in re superstitum fuisset adversus mortuos animus, non capiebam. Vacuæ erant, nec odores accepisse color ipse monstrabat, sua enim vasa quælibet aromata infuscant atque inficiunt, nec impunè bene olet quodcumque in hos usus destinatur. Hærentem me & vasa illa sæpius, ut ignotis fit, contrectantem non

sine

ſine voluptate aſpiciebat is in cujus ædes conceſſeram, viſurus quidquid antiquorum operum multo labore, nec minore fœlicitate collegerat. Tum ille: quot phialas vides, ô Firmiane! tot vaſa doloris credi voluit lachrymoſa antiquitas, dives aquæ, quam nunc parciſſimam ex poſterorum oculis vel teterrimæ calamitates eliciunt.

Magna olim amicorum impenſa, amici funus: dum corpus circumſtante plebe inter plorantium gemitus votaq; manes ad ferales rogos invitantium, ſubjecto igne cremabatur, qui chariores homini fuerant, in amicitię pignus dabant igni quodcumque pretioſius in ſupellectile fuerat: miles enſem, mulier monilia, veſtes; &, ſi magis urgeret dolor, triſtiori obſequio etiam comas. Tanti erat mortuos demereri, ut & calvitio deturpatæ maximam inde laudem uſurparent, neque magis placerent ad rogos, quàm cùm formam amiſerant.

Soluto ignis officio; oculis, manu, ore legebant religioſos cineres amici: & ne lignorum reliquiis improvidè miſcerentur eandem cum illis urnam habituri, quod hominis fuerat non ex colore tantum, ſed etiam ex pondere & guſtu ſecernebant à cęteris. Putas hîc dolorem ſubſtitiſſe? major inde lachrymarum vis, ut ampullis, quas hîc vides, ſtudioſiſſime exceptas chariſſimo cineri ſuperponerent, & diſtracto fati ſęvitiâ amicos ſaltem fletus ſequerenturs.

Cum hæc ille dixiſſet, ô hiſtoriam ſimul & fabulam inquio! quid enim verius; nam i de

te

te legiſſe non ambigo, ad mœroris oſtentationem ejusmodi phialas in ſepulchra comportatas fuiſſe: quid falſius, lachrymis plenas; cum dolor in promptu non ſit, ut arbitrarios fletus quoties poſtulatur, proferat: & tot aquis vix ſufficeret ingens plorantium turba, quot quiſque illorum affirmabat ſe dediſſe mortuorum exequiis?

Quod ambitioſe tanquam ſuum promebat fictitius mœror, hoc putei dabant, & mutuatus è fontibus latex; additis ex arte gemitibus, publice audebat profiteri ſe lapſum ex oculis, ut crudelitatem fati ſolaretur officioſa illa in mortuos pietas, ſimulque crederetur immaturè raptos ſui deſiderium reliquiſſe: Si hoc unus tantum feciſſet, illum proculdubio inter amentes numeraviſſent; ſed quia Romæ laborantis iſtę ineptiæ tunc erant, nec ſapere licebat, ſanitatis patrocinium erat, inſanientium turba.

Idem certè apud nos error. Morem tolle, ex cujus imperio viduæ nobiles per menſes integros tenebricoſæ lugent, nulla audebit in hunc ludum doloris convocare amicos, neque eâ fronte erit ut tamdiù inter triſtia, gementi ſimilis, jaceat exceptura in lectulo per ordinem ſolatia ſingulorum. Sed nullo pudore fit quod probat conſuetudo, & in dignitatis argumentum vulgatur compoſitus dolor; tantoque apparatu ſtrepit, ut jure dicas mulierem ad mariti funus rem comicam agere, cùm utique perſonam gerat, & in theatro lachrymas fundat.

Brevem certè ſolitudinem non ægrè con-

cesserim nobilibus viduis; occultando dolori aptissima est, quem prodi, dum novus adhuc magis obstinate audet rationem amovere, non est honestum. Paucos tum ex aminis acerrimi mœroris socios matrona habeat, illisque si opus est, adiutoribus utatur in doloris levamentum. Isti non spectatores erunt, sed medici; & solatium lubenter tristitia admittet quod credetur simplicius. Lenito utcunque dolore cæteris etiam locus detur, ne abjectam nimii mœroris duritate urbanitatem existiment. Sed hos jam æquiori vultu, nec jacens, ad solis conspectum matrona suscipiat: & se sapientem, se Christianam ea oris sermonumque modestia profiteatur, ut jacturam fecisse agnoscas, conjugemque dilexisse; sed & paruisse necessitati, quæ superbè dolentes, reluctantesque ferit atrocius.

Pietatem autem ex nimio luctu negligi, ingens culpa; neque enim à divinis dispensat dolor, maximè immissus à Deo ut humana contemnas. Accepta calamitate sacris non interesse, vindictæ quædam species est, Deo exprobrantis suam sævitiem, quod flecti lachrymis noluit, negantisque ei cultum, qui petenti uxori maritum negavit, relictamque coëgit ad gemitus. O viduam verè fractam! Ita toro est affixa, ita deficit, ut stare, ut scipione tremebundas tibias fulcire omnino nequeat, & si velis querulam vehementiori sermone ad templum urgere, antequam hanc lachrymarum scenam impleverit menstruus dolor, respondebit sibi potestatem ereptam; motum

in arbitrio non esse ; expectandum tempus in quo dolor maturescat, assuetosque facibus oculos, solare lumen nondum satis pati posse.

Plurima quæ peccant eo in luctu mulieres prætereo, ut ad alia veniam. Conjugalem amorem nulla re fortius probari existimant quàm ejusmodi lachrymis, quas si parce effundant, oculata suspiriisque incubans tot adventantium turba, non amasse, non satis æstimare jacturam suam, statim vulgabit. Flendum ergo non modice : & illa majori laude digna censetur, quæ veluti quædam altera ex fabulis Cyane in fontem versa, stratum primò mox proximos quosque aut perfundit, aut mergit.

Aliquæ apud barbaras gentes mulieres in ignem qui comburendis maritorum cadaveribus accensus est, se præcipites agunt, ut eodem fato utantur, videanturque dilexisse quibus jungi vel in ipsa flamma exoptant. Sapientiores credis viduas nostras, quæ lachrymarum fama probare ambiunt amorem suum ? dabo distinctionem, tu judica. Apud Indos incendio viduæ pereunt, apud nos naufragio volunt videri periisse.

Turpiter etiam flere quę tam improbè lugenti si placet argumentis demonstrabo. Quid ita in amisso conjuge deflet mulier? cur ad patris, cur ad matris funus modestioribus lachrymis tingitur, & minore negotio, cessantibus amicis, ipsa sui doloris curatrix solatium admittit ? At maritum perdidi, ais mulier, & præstat parentes amisisse. Illud ne honestè & sine verecundia dixeris ? illos à natura acce-

pisti

pisti, istum à te; sine illis esse sustines, sine quibus formari, nasci, ad istud usque tempus perduci non potuisti? ô quàm durius separari à conjuge! voluptatem luges, an subsidium? nam utrumque ab illo. Tori solitudinem si quereris, venis in suspicionem deliciarum: si te destitutam ais, nec sine conjuge satis validam, ad repellendas nascentis ex ejus obitu invidiæ, fortunæve injurias, quis non videat istud lachrymarum officium tibi conferri non marito: & te furiosam effici non vi amoris, verùm deperditę sortis quam tibi servaturus erat, desiderio?

Præterea videtur quæ tantopere priorem maritum dilexit, alium facillimè posse optare; ad hoc enim tendit amatorium temperamentum, & natura suam jacturam pluris æstimans quàm sinat morum gravitas, & laudabile pudicitiæ frigus. Quæ summè casta est mulier, non sine aliquo rubore fatetur se suum maritum vehementer amavisse, & licet absque crimine istum adhuc ignem foveat sinu suo, Vestarum tamen more prudentissimè occulit, non quia prohibitus, sed quia ignis est, nec decenter muliebris honos profitetur flammam suam. Quanto putas ardore flagrat illa, quæ mariti absentiam tormentum suum vocat; quæ tot acerbissimæ desperationis vocibus Æthneum quoddam incendium præfert, siquidem scintillas ejusmodi tantamque fumi caliginem nisi ingens calor non emittit. Vasta profectò delitescit in illo pectore ad nutriendum ignem materia; & quis credat viduam aversari posse omnes viros, quæ ad unius con-

tubernium, ne quid gravius dicam, tanto fervore succensa est?

Mihi nuper dicebat aliquis plurimas esse quæ ad insidias lugent, ut cùm ex fletibus apparuerit, quàm constanter, quàm tenerè amaverunt, novo dignæ marito habeantr, & ita in hanc pedicam doloris incurrat imprudens aliquis procus, sui facilitatem amoris fortè luiturus prolixa pœnitentia. Hanc certè lachrymarum vafritiem neque mihi facile persuaserim, sicut neque viros inveniri qui anatum fluvialium more ad has aquas ab aucupe Cupidinis capiantur. Stultè potius quam solerter illas mulieres flere existimem, quæ suos questus ita obstinatè protrahunt; levissimi enim cerebri indicium est iste dolor, sive ad veritatem, sive ad fabulam ducitur, & æqualis insaniæ videtur, aut se cupere esse infœlicem, aut ab aliis æstimari.

Si maritum sapienter amavit vidua, sapienter & doleat, jam enim ille in tuto est: exivit hujus vitæ miserias: ultimam hanc absentiam ex brevioribus aliis, quæ toties dulcissimam societatem non prævisæ interciderunt prægustare mulier debuit. Cæterum Christiana est, neque illam decet insanire, quia suus conjux vitam amisit redituram meliorem.

Ampliora dicere in hanc sententiam animus erat, cæteriq; expectabant; sed adventans in funebri veste Theodorus, ad brevitatem compulit. Mirum fuit quod vultus cum veste pugnabat; nam solitò hilarior videbatur, & lugubria indutus ad risum invitabat. Cum hoc ego primus notassem; scis quid in mentem

ve-

venerit, inquam ô Theodore? Non unus homo es, aut certè Chymeræ similis, quæ leonis rictu, & serpentis cauda à seipsâ dissentiebat. Verùm loquere; nam ni fallor referenda attulisti. Tum ille: cur ita diversus sim, & sub lætiori vultu vestis lugeat, nemo vestrum dixerit: anthitesim tamen illam, prælium illud, non verborum, sed rerum, nullus cum explicuero mirabitur, neque me ineptum oratorem existimabit, qui hanc in me figuram silens expressi.

Hyppiam virum nobilem, & bellica etiam virtute notissimum, scitis in media ætate, dum apud exteros famam quærit, diem suum obiisse. Nondum trigesimus effluxit dies ex quo tristissimum nuntium fulguris instar, improviso ictu Flaminiam uxorem non perculit tantùm, sed pene exanimavit. Quid apud amicos mentiar? rem aperiam. Virum suum nescio qua animi dissidentia non oderat quidem Flaminia, sed frigidè amabat. Multum ad communionis non spontaneæ ęgritudinem, quod ex illo nullos susceperat liberos, quibus mitigari posset necessaria illa, & nisi mors intercederet, in multos annos duratura societas. Malè diligi ab uxore adeò Hyppias non tulit, ut sua illi domus durior esset quocunque exilio, & abeundi consilia, indies tristior, meditaretur. Vicit tandem impatientia virum: excessit Gallia; quæsiturus in alieno solo quod sua illi sors in patria negaverat: nec infœliciter aliquandiù inter fœderata arma versatus, aëris intemperie novus in ea regione homo, inter inutiles, dissentientesque medicos paulò post extinctus est.

Extemplò nuntius destinatur ad Flaminiam qui conjugis primùm invaletudinem, mox periculum, fatum denique ex ægritudine diceret. Illo adventante Flaminia parandis quibusdam choreis (nam Bacchanalia instabant) intenta erat: & quâ venustate ad fidium concentum vestigia flecteret, discebat à musico. Ut lepidissimè saltantem nuntius advertit, dissimulato dolore cogitabat quàm tristia afferret molestissimus tripudii perturbator, & tacitè mulierem miserabatur, quæ præcipitanda in acerbissimos gemitus, eâ mentis alacritate mox futurum dolorem acuebat. Finita saltatione, tremens accedit ad viduam, & se quædam afferre significavit, quæ solitudo meliùs exciperet; neque enim audiri debere à cæteris, & ita imperasse qui miserant.

Mox ut in proximo conclavi solus adfuit cùm muliere, rem illi pandit ex ordine, ad morbum moveri visa est, ad periculum dubitavit oculus an fleret, ad mortem aliquot lachrymas fudit, stupente nuntio, quòd ipse matrona tristior, in fletus solveretur. Mox obfirmato vultu; ad illum Flaminia; & nemini quæso dixeris. Scis Bacchanalia instare, instruitur publica saltatio, ut vides, cujus ego pars nobilior: jam ad hoc paratæ sunt vestes, ut Orphei fabulam senæ cum tot viris mulieres referamus; & me, si placet, o homo! proximis diebus videbis Eurydicen. Substitit ille, & inter flentem iratumque medius, promisit tamen nulli se dicturum ad id usque tempus quod celari voluerat.

Non multò post cùm transissent lætitiæ dies, publice

publice Flaminiam admonuit ſortis ſuæ: quantis illa clamoribus exceperit illud nuntium, quantos ſingultus ab imo pectore mulier expreſſerit nemo referat. Quid plura? colore mutato inter ancillarum manus collapſa vires amiſerat, & mori videbatur: deficientem compoſitus ſubita diligentia lectulus accepit; & quia, niſi cum menſe non vult finire lachrymas miſerabilis mulier, jacet adhuc expectans donec nova luna admoneat ſatis datum gemitibus.

Comœdia hac frui quia non poteram niſi pullatus (nam aliter non licet) veſtem hanc ſumpſi quæ toto colore diſſentit ab animo. Quamdiù gementi matronæ adfui, ex reverentiæ riſum tenui, quem nunc niſi inter amicos ſolvo, coactus nec jam cuſtodiæ patiens, ventrem credo disrumpet.

Dum omnes idolum doloris rident, facilesque eorum fletus, qui humanitatis prodigi non debitas lachrymas fundunt, & vero affectu moventur ad ineptiſſimum ſpectaculum: venit in mentem, quod de Tibulla Sempronii nepte legeram. Hæc mulier opibus fœlix, verùm ſex filiis maximæ ſpei multo clarior, cùm omnes in florida ætate improviſo fato amiſiſſet, dolore victa mori decrevit. Nobilem fœminam non decebat ignobilis interitus: ut doleret, ut mater eſſet, urbem totam voluit ſcire, extructo publicè monumento in quo viva conderetur. Tot ſine dubio ſpectatores adhibebat ſuo funeri mulier, ut aliquis prohiberet: ſed in ſpeciem furioſæ (nam quis credat ſibi ipſi vivas exequias ornare voluiſſe?) ſtupens

populus consensit, ut tumulto inclusam, & frigidos charissimorum pignorum cineres, quasi posset pristino calori restituere, foventem sinu suo, dira fames necaret. Ad immanis fati memoriam titulus marmori additus, qui hæc legentibus proponeret.

Plutoni, Proserpinæ, Cerbero, damnatam
Dedo animam: Vivam hoc me condo
Monumento: quietem posteri non invideant.

At historiam miratus & ipse Hermias, nisi te narrante, inquit, non crederem, o Firmiane! eo usque processisse doloris insaniam: sed ni fallor mulier ista citò doluit se nimis doluisse, & officioso sacrilegio sepulchrum illud violavisset, quisquis vivam adhuc, & jam tenebrarum pertæsam avulsisset à mortuis. Sed ô dignam cui interitum attulerit ars sua, & ostensus plebi dolor, quem latere, quisquis verè dolet, optat. Fleant quantùm voluerint nostræ ætatis mulieres, semper Tibulla vincet: nunquam grandiori scena lusit dolor: infœlix quod Romam facilem habuit, & petenti concessum est quod timebat.

Apud oculatos judices, anxia nimis ac negotiosa sceleris purgatio, ipsiusmet indicium est, innocentis enim sua causa sisi, minor cura pacatiorque de exitu litis expectatio, & ipsa agendi fiducia, probari non malè putatur integritas conscientiæ. Libenter dicam; & nimius mihi dolor suspectus est: facillimè verum credam, si nihil ostenti habebit, tragœdiisque simile; si in vitam non erit contumeliosus; si patienter illam feret, nec ad citiorem interitum

tum ferrum poſcet, aut laqueos. Naturæ lege quisque ſibi quàm alteri conjunctior eſt, & hæc quæ nobiscum naſcitur ad extremam usque diem inconcuſſa manet charitas: putem ergo ex alieni funeris dolore hunc vitæ amorem deperdi, qui in ærumnoſa quaque fortuna ipſisque facinoroſorum crucibus emicat adhuc, neque cedit ſuppliciis? Nullus eſt, niſi dolor mentem excuſſerit; qui ſincerè velit mori, ut extinctis, neque jam opis noſtræ egentibus, præbeat inutilem comitatum. Itaque cùm orbata viro mulier ſe vitam odiſſe inclamat, cùm ſe dicit miſeram, quòd ſola remanſerit, neque liceat properare ſuam mortem, aut mentitur, aut ſtulta eſt.

Una aliquando querebatur omnem ſibi vim inferendi poteſtatem ereptam ab amicis! nam ad furioſas mulieris voces, ne in ſe auderet, omnes cultros ſubmoverat credula familiarium pietas; inter hæc fortuitò adfuit malignus puer, qui necem optanti fœminæ, & ſæpiùs gladium fruſtrà poſtulanti, ultro obtulit, ut ſi tantopere cupiebat umbræ mariti miſceri ſuam umbram non dilata morte feſtinaret ad conjugem. Quid ad hæc feciſſe illam putas? irata gladium retorſit in puerum, & novo dolore inſaniens queſta eſt, quòd arma in manus darentur, quæ negari, humanum erat; quòd ſi faſtidio cæteris eſſet ſua vita; quòd hæredes expectatæ dudum ſucceſſioni acerbè inhiarent; juravitque ſe omnibus quibus poſſet modis, dies ſuos prorogaturam in eorum malum, qui miniſtro puero uſi, periculum necis fecerant.

Non ita flent, quæ ex animo; modeſtior per omnia veritas. Quæ ab arte eſt mœſtitia, imitatione furoris fidem quærit, qua meretur deſtitui, dum grandioribus indiciis probari ambit, quàm quæ factus ad naturam dolor habere conſuevit. Longe abeſt à mærore, ſolemnis mœror. Ubi tot cerimoniæ, crede mihi, dies feſtus eſt.

Per id tempus occubuerat eximii meriti vir, & ſecundæ à regibus nobilitatis, Turritius: & quia ad ſolatium deſtitutæ uxoris ſæpe me vocatum fuiſſe omnes ſciebant, poſtulavit Aſterius, quomodo hanc illa ærumnam accepiſſet; nam plurima, nec certa, de ea re loquax fama vulgaverat. Gratiſſimum mihi fuit ea enarrare quæ taceri vix poterant absque virtutis injuria, & in fœmina principe non quæſiti fletus exemplum proponere. Sed quia, inquam; viſa eſt aliquibus altius ingemuiſſe quàm ſua poſtulabat calamitas, ab ſublati conjugis dotibus facillimè efficiam, ut effuſiſſimas lachrymas haud æquales damno exiſtimetis.

Abſolutus princeps, naturæ opus ingens, & multi temporis labor: id tamen ille Turritius fuit, ita in bellum genitus, ut generoſiorem alterum, aut prudentiorem non tulerit ſua ætas; ita deditus pietati, ut inter acerrimos familiæ motus, fluctusque militares, ad quos vel genio honoris, vel negotiorum multiplici ſorte adactus eſt, religio emineret.

Adoleſcens celebre apud Batavos armorum tyrocinium poſuit, ſpe quam vel à cunis propè fecerat, ſuaque ætate grandior; & procedentibus

bus annis, ſtatim ut in virum crevit, non ſuis tantùm reverendus; ſed & hoſti,qui in eo ſumma omnia mirabatur ſæpè humaniſſimum expertus, dignumque à quo vinci optarent quicumque non habuiſſent fortunam propitiam. Nullus enim armorum dux in illa regione aut fœlicius pugnavit, aut ſobriè magis victoria uſus eſt, ita potens ſui, ut niſi ad arbitrium non ferociret, animumque quem in pugna vehementiſſimum habuerat, mox civili conſortio redditus, omninò poſuiſſe videretur.

Suus olim pater novitate erroris illectus defecerat ab Eccleſia,& quamdiù Turritius putavit ſe paternos ritus retinere inoffenſo Deo poſſe, nemo ardentius ſectam illam aut profeſſus, aut tutatus eſt; ſed ſagacitate ingenii, & eruditiſſimorum virorum congreſſu ſtatim ut fraudem detexit, tanto affectu agnitam veritatem coluit ,ut neglecta fortuna ſtipendiisq; ingentibus, eam publicè amplecteretur, aliisq; proponeret.

Catholicus ad majora certamina vocatur, & in ſuſceptæ fidei exercitationem, pro hoſte ipſam quam deſpexerat fortunam habuit, eo usque injuriarum ſuarum memorem, ut iratam placare, niſi ſatiatam malis, non potuerit.

Dum illa ſævit in Galliis, invitatus à Pontifice, ut Eccleſiaſticis copiis præficeretur, ſuę virtutis ſpectaculo totam Italiam implevit; nam regio prope honore ubiq; exceptus, non ſibi major viſus eſt, ſed manifeſtior, eaq; morum ſuavitate dignitatem temperavit, quæ omnem invidiam amoveret.

Compositis ex insperato rebus in Italia, dum suas hîc varia prudentia instaurare nititur, in novos turbines delapsus à se nunquam discessit. Idem animus, idem vultus qui in prosperis; infœlix ita fœlicitatem optavit, ut aut lentam expectare quietus posset, aut temnere aversum æquali semper per omnia robore, neque unquam amicorum solatio, vel temporum cursu egens ut mala toleranter susciperet. Quin & sæpè risit suam calamitatem, & fortunæ ludum, suum fecit; ex virtute, non ex rerum successu hilaris, & in Deum etiam, per tot familiæ clades, quas beneficia vocare solitus erat, quàm antè propensior. Instar prodigii fuit quod referam; cum in deterius irent domestica negotia, & ipse intercepta libertate aliquid etiam eo malo durius non metueret quidem, sed expectaret: testem suæ alacritatis Deum esse voluit, & voto emisso, sacellum lætitiæ Parenti Mariæ nuncupavit, suis sumptibus mitiori tempore, si ita Christus annueret, excitandum, ut pro signo posteris foret, quam libenter Numini accedens, libertatis jacturam, cæteraque adversa eo disponente pateretur. Liber postea, ductisque eodem animo per aliquot annos non mollioribus negotiis, sibi demùm ex merito fortunam Turritius conciliavit. In aulam receptus ita volens hereditario principatu cessit, ut acceptis à Rege nobilibus prædiis, etiam latiùs dives esset atque securiùs, mediam scilicet Galliam, non litigiosos, ut anteà, fines, aut laborantem sub hostium metu potestatem habiturus pro custodia. In secretiora deinde consilia vocatus, osten-

ostendit non luce magis quàm sinceritate ingenii, quanto regiæ authoritatis, & securitatis publicæ detrimento tamdiù abfuisset. Aulæ dicebatur bonus genius, illoque avidè fruebatur Gallia, quia tardè, & negotiorum variæ implicationes ejusmodi virum maximè requirebant, qui imperturbata sapientia animique magnitudine tot valeret nodos solvere, qui alia manu divelli vix poterant, aut omnino amputari. Ita Regis bonum amabat, ut & plebis: privati commodi ad honoris normam non mancipium, sed dominus; ut hostium, sic & opum domitor, quas nisi effundendas non optabat.

Mirum est, ab eo Regi tum gratioso nihil timuisse suspiciosissimum vulgus; expectasse autem ea omnia quæ publicam fœlicitatem constituunt. Nullius cupiditatis labe maculavit gloriam suam; omnia in eo perficiebant uno vestigio incedentes, prudentia & integritas. Ubi inter domesticos agebat, nihil illo humanius; raro imperabat quæ rogari salva dignitate poterant; cum humilibus amicis, non cum subditis, versari Principem putares, adeo officiosè accipiebat officia, aut etiam postulabat.

Quam chara autem illi Leonora uxor fuerit, & ipsa clarissimo sanguine orta, inde agnoscas, quod superstitem illam cupiebat; quod secretorum omnium consciam semper habuit; quod qui sibi acerbissimos casus non timeret, delectissimæ tamen conjugi vel levissima quæque mala metuere, non existimabat armorum probrum, aut virilis fortitudinis injuriam. Decem

cem ex ea liberos ſuſcepit, ita partita in ambos ſexus familia, ut natos natarum numerus æquet; in omnibus eadem omnino virtutis ſpes, germenque honoris. Maſculos jam commendat ſuus ardor, & majora ſpirans animus quàm quæ privatorum ſtudia eſſe ſoleant; totus in illis pater eſt, tota generoſæ ſtirpis majeſtas. Sua virgines modeſtia ornat, moresque adeo compoſiti; ut in exemplar editas putes, ita fœliciter ſapientiſſimam matrem referunt.

In mariti funere tot certè argumenta doloris uxor habuit, quot ille ingentia merita prætulit, quot Heroum publicas dotes, quas in eum, ad ſæculi noſtri ſtuporem dicam an decus? liberaliſſima manu natura congeſſerat. Nam ejus modi viro privari, quid aliud quàm orbari virtutibus?

Adde animorum concordiam, adde & calamitatum ſocietatem, ingens amicitiæ vinculum, ipsaque morum ſimilitudine ſæpe tenacius: Quantùm enim ad amorem confert eodem fulmine afflatos ſua miſcuiſſe ſolatia, ſimulque dejectos à fortuna communibus votis in unam ſpem incubuiſſe?

Nihil autem putas ea in ætate obiiſſe Turritium, quæ valentior cæteris, ad maxima quæque negotia vires ſufficit? eo tempore quo genio illo maxime indigebat Gallia, inteſtinis diſſidiis à ſe miſerabiliter diſcedens, & faſtidio miniſterii, ſibi quàm hoſti nocentior; eo denique Regis favore, qui familiam tot exhauſtam pace belloque ſumptibus, novis incrementis aucturus erat, ſi illo diutius frui maturatum

ratum

ratum funus ſiviſſet. Magna doloris cauſa, vir fortis præcipiti fato ſublatus, deſtitutum optimis conſiliis regnum, fœlicitas occidens, cum naſcitur.

Quo autem modo in unius caſu tot conglobatas afflictationes Leonoram tuliſſe exiſtimas? vehementer certè conſtanterque doluit: neque enim vulgari fletu, & citò finituris gemitibus tantus vir lugendus erat. Eſt etiam aliquando lachrymis ex ſua vaſtitate & perennitate dignitas; & æquitatis juſtiſſimus ordo cenſetur, amiſſæ rei pretium teſtari ſolatii tarditate.

In eo tamen luctu nihil admiſſum eſt quod erubeſceret ratio, aut Chriſtiana pietas improbaret; non dirus clamor, non acerbis queſtibus ad adſtantium tædium verberatus aër latentis impotentiæ ſignum dedit. Ut ingentia quædam flumina nullo aquarum tumultu volvuntur in oceanum, placidiſſimum olei curſum imitata, ſic ea fletuum largitate manavit Leonoræ uberrimus dolor, ut propè vocalis non eſſet; alta quies cadentes lachrymas comitata eſt; & ſi leniſſima ſuſpiria condonaveris, quæ interdùm premente mœrore laxabat anhelum pectus, aurora ipſa matutinum rorem non ſtillat majore ſilentio. Non lucem, non cibos, non ſocietatem averſata eſt, ſui cæterorumque mortalium hoſtis: & licet ex Genio doloris turbam importunè ſolatia ingerentem declinaret; amabat tamen cum illis verſari, qui divinis colloquiis mulcebant gemitus, & æternorum æſtimatione minuebant breviſſimæ fœlicitatis pretium, quæ hîc inter

tot adverſa vix purè & ad arbitrium emergens fulguris inſtar, ſtatim perit ut nata eſt. Nunquam major de egenis ſolicitudo fuit quàm cum cæterarum rerum oblita videbatur: quod de veſtium, quod de dignitatis cura detraxerat, Deo dabat. Ad dolorem crevit pietas. Abſentem maritum, ut ſæpius ab illa audivi, leviſſima noxa, etiam ſi poteſtas concederetur, ſibi reddi minimè optaſſet; exanimem namque, quia ſic ferebat providentia, amabat in tumulo; & renitente natura horrenteque, quod hominis eſt, lubens tamen, ſeque fortior, amplectebatur lachrymarum materiem.

Illas ita effudiſſe non conſtantiæ labes fuit, ſed amariſſimæ pietatis officium, & conjugalis amoris validiſſima lex, cui certè nemo obtrectet, niſi qui hominem abjecit, ut inter feras percenſeatur, aut rupes. Nobiliſſimum Principem, quod mihi certè multum dolet, ipſe non vidi; ſed ex plurimorum teſtimonio, qui eum propiùs novere: famæque ipſius integritate illud certiſſime didici, dignum omnino fuiſſe, qui tantæ uxori olim traditus, tantis poſt obitum ſuſpiriis ab ipsa ploraretur.

Hucusq; Anagnius ex modeſtia ſiluerat; ſed cùm de viris mentionem injeciſſet, qui & ipſi aliquando ineptiſſimè dolent, invitatus à cæteris ſic in eos invehi cœpit. Viriliter viros peccare quamvis lex prohibeat, ferè tamen conſentit opinio: neque enim turpe exiſtimatur illos iraſci: ad ſingulare certamen provocare hoſtes, & rei familiaris impendio ſectari famam, quæ profuſionis damnoſæ ſola plerumque merces eſt, pœnitendumque ſolati-

um. Sed virum ad muliebria vitia deſcendere, nemo tulerit.

Vix honeſte plurima quæ in ſexu digniori præclara ſunt, imitetur ſexus alter: nam audacem fœminam, provocantemque pericula, quis ab impavida mente æſtimet, cum tamen maxima virorum commendatio ſit, ſi ſtrenui inter formidanda quęque ſtent, & etiam quieſcentes hoſtes laceſſant, ne aut timuiſſe prælium, aut minùs alacres ſuarumque virium diffiſi, expectaſſe videantur? Metus in fœminis, pudicitię non tantum eſt ſecuritas, ſed etiam ornamentum; neque illis probrum, fuga, quoties periclitatur fragilis honor, & trepida celeritate ſervandus eſt.

Orbem etiam peragrare, ut advertat ipſa quàm pugnent diverſarum gentium ritus, ac legum condendarum diſciplina, ſi velit mulier, nemo non damnabit mobilis animi impetum qui intra patriæ fines arctari ſe non patietur; quòd ſcilicet mulieri decentius ſit in natali ſolo pacatioribus curis immorari, orbemque neſcire, cujus partes tanto vitæ tumultu obeundæ ſunt.

Quin & jure fœminam reprehendas ſi grandioribus diſciplinis ſe tradet; & barbarum erit, novumque (neq; aſſueta viris feret ſchola) ſi Ariſtoteles inter ac Ptolomæos, numerabis etiam philoſophas, aſtrologas. Ad hæc nomina ridere vos haud certe miror; illa enim ridicula eſſe prorſus effecit, non modò apud nos mos receptus, ut ad illa ſcientiarum ſecreta non admittantur mulieres, ſed naturæ quoque juſtiſſimus ordo, ut in rem domeſticam genitæ, altiora non ſapiant.

Hæc

Hæc tamen omnia in viris laude digna: Et Hercules, quòd multùm erraverit, monſtra ubique gentium debellaturus, Illuſtris habetur inter Heroas; nullusq; Archimedem culpet, quod neglectis quæ circà ſe erant, familiarius in Cœlo, quam in ipsa terra egerit. Non fatuè magis fortiorem ſexum imitantur in pleriſque rebus mulieres, quàm nos illas, in luctu ac lachrymis; & neſcio majori ne dedecore penſum, an dolorem trahamus, cùm aliquem ex noſtris fatalis illa neceſſitas tulit quæ ideo univerſorum eſt, ne pars juſtè quereretur, quòd æquali ſorte admiſſis in hanc vitam omnibus, exeundi tamen lege aliquos natura diſcreviſſet à cęteris.

Quoties amputatur vitis, longo fletu manat, ut penè ex lachrymis credas non ſine ſenſu doloris jacturam ramorum feciſſe, quos tamen officioſa manus tulit, ferrumq; ex vulnere beneficentius, quàm ſi peperciſſet luxurianti: Cæde robora, patientiſſimè ictus perferent, & nec ſtilla decidet qua ſuam orbitatem defleant. Eadem ſit inter mulieres virosque diſtinctio. Quid nobis blandimur fortitudinis opinione, ſi utrique ſexui æqualis ſit mœroris fletuumq; pertinacitas; ſi amicos, famæ noſtræ non minùs, quam ſaluti cōſulentes, amovemus à conſpectu; ſi luctum fovemus, quem vel leviter admiſiſſe, totum eſt quod virilis honos ſinat, ingenitaq; rationis illa dignitas, quæ negante Deo (ut penes nos eſſet potior conſiliorum pars, & civile imperium) non reperitur in fœminis!

Lugeant illæ, quia afflictis ut plurimum deeſt maximum ex remediis, judicium; & ſe mol-

molles calamitatibus præbeant, quòd ad illas sexum hunc (qui flecti facillimè debuit, ne fortior insolesceret) natura non duraverit. Surgamus nos in adversa, & in mortem ipsam sive nobis jam vicina in luctam venit, sive ex amicis rapit aliquos, quorum vita fortunæ nostræ fulcimentum erat, aut solamen.

Ubi adsunt quæ dolorem vincant, flere non licet, aut saltem nondiu: & etiam brevis illa consternatio animi, quæ tam cito virili pudore excutitur, dedecet nos; quid enim aliud quàm nobiliorem sexum, Tiresiæ alicujus instar, per aliquod tempus abjecisse, in turpissimum experimentum, ut promentibus nobis mundus sciat, utra sors, maris, an fœminæ, expetenda mortalibus.

Hac tamen injuria non pauci dignitatem nostram infamant, & lugentes mulierculas, in eandem scenam adsciti, imitantur. Amissa uxore quosdam videas prolixitate mœroris adeò omnibus molestos, ut ingens censeatur pœna in eos incurrisse: nihil animo volvunt, nihil loquuntur præter uxorem: & in condimentum cujuscumque sermonis, cum ipsi palatum amiserint, non pensato aliorum gustu, cineres miscent. Flere vel lætiores quosque volunt, quia ipsi aut nequeunt ridere, aut non audent, prohibente consuetudine, cui parere necessitas est, &, ut putant, etiam decor.

Privatæ sunt conditionis? Cessat familiæ cura, ut testem doloris segnitiem habeant, ipsoque larium squalore ostendant illam abesse, cujus industria nitebat jam neglecta, propeque inutilis supellex.

Magi-

Magiſtratum agunt? egredi ad publicum munus, dolor non ſinit; licet gemens, & tardas leges incuſans, miſerrimæ plebis egeſtas fores pulſet, & non uno ore queratur, parere jus mœrori: uxorium judicem non flecti aliorum lachrymis, quia ſuis intemperanter indulget; & proprii fati impatiens, non advertit cęteros duriùs premi, dum ipſe invocatus, urgentibus malis non adhibet niſi ſerum ſubſidium.

Si per idem tempus, & hoc fieri poſſe quis dubitat? ejusdem dignitatis plures ea inſania ſimul laborarunt: quid triſtius ſub calamitatis publicę ictu Roma pertuliſti? dum

ferale per urbem
Juſtitium. Latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitatæ eſt purpura faſces?

Ad ſuorum funera lugubri veſte Cancellarium indui vetat in Gallia, ſive conſuetudo, ſive lex: ut à primaria illa dignitate cæterę diſcant, magiſtratum, niſi ſapienter doleat, & privatos affectus ſubdat publicis curis, nocere civitati. Exiguo licet tempore ſol lugeat, dum ęclipſim patitur, quid tamen breviſſimis tenebris orbi funeſtius? certè magiſtratus velut quædam ſydera, ex alto lucent; ſed quid ab illis boni expectes, ſi plus animo quam veſte atratos longus dolor obtenebrat? Paſſiones in judice ſi non extinguantur, ſaltem lateant, & ex nimio dolore nemo inferat, cæteras etiam ſuas contemnere leges, licet cautiùs à recto aberrent, & integra fama jus proterant, ceſſaturæ ab injuria, quoties ſpectatorem invenerint.

Mœrori non benè aptatur dignitas, supra illum est: Inepta res, lugens Senator, & mulierum more in flebiles voces erumpens: Eviratus, quid indicat? cum non nisi viros ea munera admittant.

Sacerdotem verò suprà cæteros dolori imperare debere, ex hoc conjicio: quòd apud Iudæos Pontifici prohibitum erat, etiam in luctu publico, religiosas vestes scindere, cùm tota plebs sua ad calamitatis significationem injussa laceraret. Unum erat in quo Pontifex afflictæ plebi per omnia accedebat: si videlicet nomen Dei à blasphemis, illo audiente, violaretur. Nam tum sacræ vesti non parcebat sacerdos, ad cætera durus, & ex dignitate dabat lachrymas, quia causa fletus, læsum numen, & contemptę Religionis ardor. Sacerdotem quidem decent lachrymæ; sed quas animę morientis funus expressit. Quid facilis ad alia busta movetur, ubi nihil sacro gemitu dignum? flere tantoperè lubet, ecce tristiores exequias, homines, qui cùm Deo mortui sint, vivere se credunt, & suo putore infestant quod vivum superest in Ecclesia: ut falsum scias, quod Afer ille ajebat, in media hostium carnificina, nihil putrido inimico esse suavius, aut salubrius, cùm fœtore peccantium justi laborent, neque majus periculum adsit, quàm quod instat à mortuis.

Militares autem viros dolore frangi, ejulare cùm uxorem aut liberos mors tulit, quid ineptius? Quis enim credat imbecilles adeò animos, hostiles impetus retundere; patriam tueri armata ferocia posse, & pulverulentos, nec

cruore

cruore minùs, quam sudore madentes, inter vulnera, & ferientium cæsorumque horridas voces, palmas legere, quæ nec viris fortibus contingunt, nisi renitentes audax manus abstulerit?

Dicam ego etiam quod vidi. Apud nos vir erat à puero inter arma educatus, nec tum mollis habebatur. Amore captus, uxorem expetivit, duxit, amisit. Neminem iniquiùs ensem tulisse ostendit dira separatio: ita flevit, ut fleat adhuc. Nulla ei nisi inamœna societas: solatia fugit: odit vivos, inanis umbræ desiderio, & in vacuis ædibus, vix unicum servulum ferens, aut uxorem, aut mortem invocat

Amantium Numen.

Nihil ferè præter imaginem mortuæ lubens intuetur, picturæ jam maritus non mulieris, artisque quæ colorum ministerio fœminam reddit insanus mirator. Tanquam brevi moriturus, testamentum conscripsit; in eo non tantùm cum uxore sepeliri vult, quod nemo improbet; sed marmori quoque incidi suas lachrymas, suos gemitus: & ne desit poëta, carmen ipse condidit quacumque elegia flebilius, quod qui leget, vix credat militem virum. Quid posteros scire opus est ejusmodi hominem insomnes noctes duxisse, ex quo decessit uxor: ab illo funere, solem nullos dies mundo dedisse nisi tetros, dignosque quos nox solitò promptior obvolveret, ac deleret oblivio? desperato non sufficit, ad sui mœroris spectaculum ætas sua: nascituris scenam ornat: per plura sæcula dici vult, nullum

lum unquam extitiſſe ſtultiſſimi doloris comœdum meliorem.

De iſto homine jam audiveram. inquit Euſebius, & viventis epitaphium legi, in quo ſe Phœnicem inter maritos vocat, ſolumque dignum propter quem nuptiæ à Deo inſtitutæ ſint. Nemo decentius luget, quàm qui ſibi: cætera, probant teſtes; dolor, maximè probatur ſi nolit, ſi reſpuat. Neque tamen ſolitudo ſua arte catet. Multi non videri optant, ut ſciantur: & perversa via famam doloris quærunt, dum amant ubique vulgari, ipſos delitescere: non eſſe ex illis qui clarius gemunt cùm audiuntur: denique non contagioſa calamitate laborare, cum miſerum prȩter ſe optent neminem.

Hæc Euſebius, quem cum cæteri probaſſent, Hermias nova hilaritate ad ſua viſa reverſus eſt.

PUERI PATRES.

SECUNDUM SOMNIUM.

MAgnum ſibi Theatrum homo, qui omnium apud ſe rerum imagines, etiam dormiens, fingit ſimul & intuetur; cȩcus author, ſpectatorque operis ſui, & ita frequentiȩ natus, ut in ipſo ſtrato, ubi maximè ſolus eſt, ſæpiſſimè turbam faciat.

Cum hoc exordio, cæteris quæ dicturus erat præluſiſſet Hermias, novum ſomnium propoſuit, priore obſcurius. Ad ea tempora remeaviſſe me arbitrabar, inquiebat ille, quibus in augu-

augustiorem imperii formam ex optimis civibus aliqui, Romæ patres conscripti sunt. Nondum marmora insano labore surgentia ea in urbe ostenderant parcitatis verecundiam, divitumque superbiæ incrustatas domos, voluptati thermas dederant. Ædes adhuc ut plurimum lateritiæ; necdum triumphales viros ita corruperat opinio, ut sordidam laurum crederent, quæ sub luto servaretur. Omnia ad modestiam composita: mensæ nulla artis industria spectabiles, aut pretio suo notæ. Sellas tamen curules jam ex ebore usus receperat excipiendis Magistratibus, ut dignitatem honestaret additus decor, vulgique oculis mirescere non plus rigida quàm formosa potestas.

Sedes illas in amplissimo atrio repleverant aliquot senes, iis planè vultibus quos regia fascia dignos ita censuerat mirabundus. Cineas, ut suus illi Rex vilesceret, postquam in consessu patrum Romanam gravitatem conspexerat.

Stupente me ad tot sapientum vetustam majestatem, subitò adfuit non expectata Clotho Parcarum una, quas humanæ vitæ stamina dispensare, asserentibus Poëtis credidit aliquando ineptum vulgus. Firma illi frons, neque placabilis; incessus modò in illam, modò in alteram partem, ea arte per varios circulos ductus, ut nescires ad quem pergeret.

Atrocissimi nuntii fœmina; nam ut in medio constitit, ex patribus aliquos quibus integrior ætas, virga cupressina, quam in manu prolixam tenebat, percussos priùs, deinde monuit, in vacua colo defecisse singulorum sta-

men fatisque urgentibus lethum instare. Non frustrà loquutam probavit repentina mors Patrum quos perire fata voluerant; è sedibus eburneis omnes unà lapsi, concionem infœlicissimo vitæ exitu funestam effecere. Tum Clotho levi vestigio totum atrium percurrit, & confusum nescio quid dentibus premens, tanquam fari prohiberetur, cæteros quoque ad non mitiora pericula servari, manu, oculis minax significavit, & desiit videri.

Mox virorum turba ingens visa est in illas sedes irruere, quæ sessores expectabant; sed pauci admittebantur, cæteris expectare jussis quodcumque fortuna in prolixiorem largitatis pompam dare tarda decreverat. Mirum fuit, pueros vix primam infantiam egressos, frementibus viris, immatura fœlicitate in senum vices suffectos, & amethystina tunica insignes, ad solutissima gaudia invitare nutrices suas, gerulos suos. Mox in sellas eburneas jam pro sedentium exilitate laxissimas, servis opem ferentibus, puelluli conscendunt, & firmandæ dignitati præco vocatus, altissimo tono pœnam in eos pronunciavit, qui sic à fortuna evectos non numerarent in patribus.

Quid somnium illud significaret nemo satis videbat. Nam de judicibus illud interpretari, qui adolescentes filios fato vicini, in suam dignitatem substituunt, multa prohibebant, & maximè tenerrimæ ætati additus vestium color: nam nec puerulos judices habemus sæpe licet juniores quàm lex aut ratio postula, ideoque levissimos, neque amethysto sed purpura gaudet ea dignitas, quæ regiæ vicaria pe-

testatis, civilibus negotiis præest, & armatur in scelera.

Dum singuli hærent, & difficultate argumenti in occultæ veritatis inquisitionem ardentiùs excitantur, otiosus interim Hermias fenestram petit, ex qua in subjectam viam, quæ domui meæ adjacebat, prospectus erat: nec multum in ea moratus, venientem in curru cum suo adolescentulo Sabinianum advertit. Secundus illi erat filius, & jam designatus Abbas violacea induerat, beneficiumque à principe non modici census dicebatur expectare. Ad strepentis currus conspectum cum nos omnes subito clamore invitasset Hermias: ô fortunam, ait! ô somnii mei lepidissimum explanatorem! nec dum me capitis, ô amici! non vestis, non ætas adolescentuli istius in meam mentem vos penetrat? dicam ergo adentiùs: Ecce ad seniorum invidiam, & nostri sæculi dedecus, puerum patrem: tum repetitis sedibus, sic ille prosequitur.

Jam consuetudo invaluit, ut si plures liberi sint in familiis illustrioribus, unus, non ille quidem qui parentibus charior est, aut primus ætate; sed qui despectior, aut postremus natu, pater dicatur. Etenim non ubique videtis puerulos quos dominos Abbates famuli vocant? Et licet sæpissimè non vero titulo in eam sortem adscitos, tunicâ tamen talari, qua sordentem humum verrunt, apud suos venerabiles & duntaxat colore dignitatis?

Abbas nomen syrum est. & patrem sonat; o quàm bene congruit Sabiniani filio somnium meum! est certè quod gratulemur homini

ni illi, qui non expectata saltem filii pubertate, illi ex generatione, aut ex canitie nomen posuit, ut scias dignitatem illam, qua jam adolescentulus fulget, fortunæ, arbitrio suo cuncta maturantis, non annorum beneficium esse.

Quid autem magis indecorum, quàm eo nomine pueros insigniri, quo multæ ætatis senes, & sacerdotes?: Quanto justius infantibus illis augustissimum nomen tribuas, qui in Asia velut annosi vitæ primitias agunt, & cum canis nascuntur: aut certe homuncionibus illis, quibus cum gruibus vario eventu res est, adeoque brevis ætas, ut quinto anno, nisi nos fallit historia, in vires evadant, & senescant octavo.

Subridentibus ad hæc cæteris, longum negotium, inquit Asterius, nobis facesseret somnium tuum, ô Hermia! nisi adventasset interpres puer, tuæque nocti lucem allaturus Sabinianus, qui & ipse filium, ut audio, patrem vocat; malè imitatus potestatem Ecclesiæ, ita (teste Augustino) generantis filios suos, ut plurimos ex illis sibi patres constituat, eadem simul parens, & proles.

Quid non possit in cæteris vir iste, qui hoc miraculo nobilitavit familiam suam, ut homini ætate confecto, impubes filius patrem daret. O certè generationis portentum! ô fœcunditatem prioribus sæculis inauditam! infantuli patres fiunt, neque nostra stupet ætas; quippe assueta intueri, quidquid ultrà rationem, ipsamque naturam immaturè crescit, nec servato rerum ordine ad conspectum orbis festinat spectaculum sui facere.

Sed quid de filio querar? ducitur miser: &, quod multum ad innocentiam, nondum sapit. Quis puerum culpare potest, quòd ad nutum parentis, ineptus licet, sacram vestem induerit? In Sabinianum patrem justiùs cedet totum disputationis pondus, & in illo optimè agetur causa illorum, qui præcipiti ambitu filios urgent, ut antequam altare norint, sacri fiant: ad hoc enim tendit, ut video, utilissimum somnium, ô Hermia! Verum ut in causa ista, ordine quodam rationis procedamus, nec in vanum cadat tota quæstio, quæ in plures partita potest agi jucundius: tu, si non displicet, ô Anagni! an bonus pater Sabinianus sit, qui filium juniorem in gratiam fratris templo mancipat, illique opes sacras tanta diligentia quærit, ostendes. Eusebius quàm sit Christianus ille vir, palàm faciet; illi enim pietatis argumentum optimè convenit, cum & pietatem Græci vocent Eusebiam; Et ne fugiendi laboris, aut affectati inter differentes silentii reus agar, qui cæteros ad copiosissima verba provoco, quæ tandem sit in disquirendis ecclesiasticis facultatibus providentissimi viri œconomia, ego ipse, si tempus siverit, & me tuleritis, dicam.

Tum Anagnius: In publicis judiciis non rarum est, inquit, ut is qui causæ actor crediti sibi clientis partes tuetur, in adversarium prius humanus sit, quàm sævus, & urbanissima præfatione leniat quod aculeatum, asperúmque in progressu sermonis vehemens oratio habitura est. Tanquam adsit Sabinianus, ea ratione in illum invehi statui, ut me laudatorem prius,

prius, quàm reprehensorem habeat, & casuræ causæ solatium sit, aliqua hominis commendatio.

Ambos filios vir iste æquali omninò amore videtur amplecti; & ne alter alteri cedat, juniorem Deo vovit: ita enim unus dignior erit, natalibus; alius, sacris; & quam potestatem concedet grandiori sua ætas, minori dabit quoque suus ordo; ut penè nescias quis imperare debeat, quis obsequi, cum diversis titulis uterque sit fratri præpositus, & obnoxius. Eo modo justitia pulcherrimè servatur inter germanos si authoritatem spectas, &, si proventus, divitiarum etiam çqualis sors, nisi ais, quia patrimonio dignior est Ecclesiæ census, præferri juniorem.

Paternæ quidem opes senioris erunt; sed eas deperdere vario fortunæ eventu potest, hostium vi, crudelitate, dolis, sua deniq; inscitia: bona Ecclesiæ ejus conditionis sunt, ut tolli, ut alienari prorsus nequeant; illis frui vel negligentior quisque fœliciter potest; sua enim dignitate servantur, nec aliquis rapaces manus in illa injicere audet, nisi qui sustinet anathemate percuti, propriæ salutis contemptor, & sacrilegii infamia laborare,

Sed coactus (nam hoc certissimum) Sabiniani filius templo datur; sed luget, ais? illorum annorum est, ad omnia quæ non placent lachrymas dare. Invitis pueris conferri debet quodcumque illi utile judicavit maturior ætas; ut musas ille, sic tunicam odit. Veniet tempus quo agnoscat, quàm benè suus illi pater consuluerit; nihil ea violentia optabilius

quæ ad præcipuos honores, & ſecuriores divitias reluctantem compellit.

Addam & alia. Sabinianum aulica pravitas & domeſticæ fortunæ ambitioſa lex non adeò flexit, ut Numine averſo velit ditari. Sacras opes piè illum amare exiſtimabis, ſi adſtantem aris videas; nemo quippè majori aut conſtantiori religione Deo ſupplicat. Diu eſt quòd filio ampliſſimos reditus comparaviſſet, ſi emptor turpiſſimis conditionibus illud voluiſſet in illius partem cadere, quod ideò beneficium dicitur, quia gratuitum venit, nec alia pecuniæ ſolutione comparatur, quàm quæ vel à pauperrimo facilis fluit, ſi doctrina & Religione polleat; æquiſſimum enim Eccleſiaſticæ dignitatis pretium eſt, ſcientia & pietas.

Theologos certè invenerat Sabinianus qui utiliſſimæ conventioni religioſam viam facerent, & tremulæ etiam conſcientiæ (niſi obſtitiſſet gravius à peritioribus conſilium) ſecuritatem. Tutiorem partem ſecutus eas omninò opes averſatus eſt, quæ facili, latentique commercio illis acceſſuræ erant quas patrimonium dederat, ſi major divitiarum cura fuiſſet, quàm Dei prohibentis timor, aut ardor Religionis. Non igitur inter eos Sabinianus reponendus eſt, qui facinoroſi mercatores perditionem, ſtimulos, non ſalutem aut quietem emunt liberis, eosque ſacris initiari ſolummodo curant; ut opulentiùs ſceleſti in contumeliam Eccleſię eas opes turpiſſimè impendant, quę ab altaribus egreſſæ, niſi ſuo fonti reſtituantur, immaniter currunt, poſtquàm copiosè fluentibus in honeſtiſſima

quę-

quæque vitæ officia usa est cum dignitate necessitas.

Innocentior multò Sabiniani in quærendis opibus diligentia; non alia ratione filio beneficium quærit quàm assiduitate officiorum, verborumque blanditiis. Virorum Principum, frustrata sæpiùs quiete, matutinus salutator ad usque vesperam studiosa limina terit; quod non pecunia, illud postulat opportunissimis laudibus, earum tantummodo prodigus rerum, quas avarus quisque effuderit integro marsupio. Quodcumque altiori fortunæ placere animadverterit, hoc omne probat, suspicit, alieni gustus mirator, traditor sui: quis verò sacrilegii reum dicat, quem ad obtinenda beneficia tantoperè aptum efficit, non grata solummodò, sed ut tempus rerumque non una facies exigit, etiam flexuosa urbanitas?

Ne qua capiendi beneficii prætermittatur occasio, aut sedulos amicos, aut emptos non uno in loco mercenarios habet qui expectanti, vel fœlicia funera referent, vel acres etiam eorum morbos qui fato vicini tot vacantis tituli candidatos in spem tumidissimam erigunt; quot sacræ dudum prædæ incubantes, vetustiore obsequio, & patientia, principibus viris commendat sua servitus. Verùm in hoc Sabiniani diligentiam vix carpo; illum enim facere quod plerumque facit divitum non ignobilis turba, illisque mancipiis addi, quæ genere clara in abjectissimas tamen preces repetito toties famulatu ruunt, non modica culpæ detractio est. Innocentem propè facit Sabinianum multitudo, & vel Catonis, si viveret, expugna-

turum probitatem exemplum. Non ad istam humilitatem suo genio agitur, sed numero, & impetu; neque cæterorum more, etiam in publico vilis est, nisi quia novit virtuti suam excelsitatem nocere, securiusque ad optatos gradus perveniri, servitiorum ignobilitate, quàm ingentis spiritus publicè professa sapientia.

Hęc sunt quę Sabinianum ex parte excusant, non omninò improbè illis inhiantem dignitatibus quas plurimi dato pretio sibi comparant, ut primùm velut quidam venatici canes, quæsitum odore venditorem invenerint.

Non ideò tamen Sabinianum inter eos patres reponam quos laudabiles efficit sua in liberos charitas. Sævissimè amat ille vir, in juniore filio omninò dissimilis sibi, illorumque montium naturam planè adumbrans, qui floridi & ad spectaculum lætissimis stirpibus virentes, intus tamen ignes fovent; ex amore enim sacros proventus optat filio, quem & ipse tamen calamitosum ita vult, nesciens licet, ut nullo alio unquam itinere certus ad ingentes miserias perventurus sit puer, quàm quod pater invenit.

Molles esse posse tyrannos posterioribus seculis ostendit Neronis ætas: Princeps enim ille adeò deliciis fractus erat, ut qui solutum conspexisset, vix arbitraretur effuso in tot voluptates homini, animos ad feritatem restare potuisse; interdumque irâ terribili exæstuans tantâ insaniâ furebat, ut nemo amoribus natum crederet, qui vidisset sævientem. In Sabiniano aliquid simile repereris; humanus est qui filium fœlicissimum vult; atrox qui eumdem

dem ad ea officia cogit quæ non reformidat modò, sed horret.

Adolescentulus iste, ut optimè nostis, ad levia natus, nobili jugo nunquam nisi invitus & gemens cervices flectet;quâ patientiâ autem putas dignitatem ferat, iratus dignitati? Jam præcoci in sexum alterum proclivitate mollissimus puer adeò gynæceum amat, ut vix amoveri possit animadversione præceptoris. Scio hanc ætatem cupidinis telo lædi non posse, nec nisi maturiore natura aptam animam concipiendis ardoribus: verum scintillulæ istæ, futuræ cupiditatis quædam præsagia sunt,nec ita latentis sub puerilium annorum simplicitate,ut non possit deprehendi.

Ubicunque ferrum, vel aurum, intimam tellurem in perniciem hominis armat, aut ditat, fontes tinguntur, si per illud cursus est, vel arenæ ipsius pretio indicant aliquid ibi delitescere, quod miles non frustrà, aut avarus quæsierit. Sol ipse ortu suo qualem illum habiturus sis media die, sæpè ostendit; neq; fallax de se ipso vaticinium; nam si emergens tristis est, vix in processu erit hilarior, lucemque suam plenis radiis fundet. Puer est, fateor, Sabiniani filius; sed non obscurè in eo ostendit natura, quid aliquando peccaturus sit,apud quem castitas, licet adhuc intemerata, nulla tamen dat præludia futuri cœlibatus. Libros odit, saltare amat, mundulus, ad fides ita jam corpus regens, ut æquales suos omnes superet.

Quem ad seria expectes qui jocis impensissimè deditus, cruciatur honestissimis studiis, & priusquam ignem senserit jam mulie-

rosus didicit frigidam virtutem odisse quæ sacerdotum est, & sterilis (si ad mortalia respicias) status, ornamentum singulare? Sed hic mos est nostræ ætatis, ut quælibet familia clarior Abbatem suum habeat, si grandiori ex liberis expetit in suæ fortunæ incrementum templo juniorem operari. Astra licet noxios ignes venis injiciant, & torridus sanguis in atrocis morbi remedium nuptias optet, uxore tamen carendum est; & quę Dei tantummodò consilium fuerat, virginitas, fit patris avari domestica lex, nolentisque filii, & sua etiam sacra abominantis, pœna crudelis: quo quid immanius dici potest, quid acerbius; Ecce quid in miserrimum adolescentulum coniicere optat, cæca & immanis providentia, jam tunicâ talari indutum, ut quid de illo pater decrevit in primogenitum totam effusus hæreditatem, ignoret nemo. Non Deum, non naturam ipsam consuluit crudelis parens, qui antequam adolescentior filius de se posset statuere, ipso vestitu eam vitæ rationem misello imposuit, quâ jam non minùs quàm nato spadoni matrimonio interdicitur.

Quomodo felix, & fortunæ suæ placatus erit, qui à Deo non vocatus ad Ecclesiam, ad illam tamen parentum sævâ pietate coactus est; illius semper cujus amor erat conditionis inhærebit animo memoria; nihil præter venaticos canes, equos, choreas, etiam sacris indutus, & publicè psallens cogitabit ille, quem ferreus pater, ut filio chariori meliùs esset, altaribus devovit. Inter ipsos solemnes Ecclesiæ ritus, offeret se frustrà concupitæ voluptatis dira

dira imago; inter festorum gaudia, imperati cœlibatus truculenta lex ciet gemitus, & quæ pietatis esse videbuntur, sæpissimè erunt atrocissimi, nec professi tamen doloris, desperata suspiria.

Ea erat apud Romanos Religio, ut immolaturus Pontifex ipsam victimam non feriret priùs, quàm illa capitis inclinatione, quasi dato signo, indicasset ictum placere, nec invitam necari. Hoc à pecude expectari æquum censuerunt veteres, ne vel in bestiam inhumanitas sacrificium contaminaret, si publicis votis destinata mors, & etiam jubentibus diis placitura, à nolente susciperetur. Sabiniano velut quoddam Numen est grandioris filii fortuna; qua verò ille victimâ Deam placabit; illâ quàm maximè optat: altero scilicet filio, qui ne quidem fratris sacerdos in hoc vivit ut sævissimo Numini ipse faciat; sed ut patris manu hostia cadat, & duraturâ per plurimos annos mactatione probet miser, nihil fraternâ fortunâ, ubi sævitiæ ministro patre utitur, esse crudelius.

Quid filius junior, quæso, peccavit ut in Ecclesiam quasi relegatus proscriberetur? an quia non maturè satis natus, ideò nothus est? & judice Sabiniano gravidæ ab illo uxoris posterior fœtus, ejusmodi crimen, quod adulterii pœnam subeat, neque possit absolvi? Ergò nihil nisi spurium generationis ordo parentibus dabit, postquam primum ediderint, in quem cadat quicquid legitimum vel comparaverint ipsi suis laboribus, vel antiquiore diligentia venturæ soboli majores reliquerunt?

runt? ergo ut quis fratris mancipium ſit, ſatis erit, ſi aut tardè eſt genitus, aut parenti diſpliceat?

Jure belli ſervitia fieri nemo miratur, armorum hæc nota ſævities, & victoris atrocitas; ſed quis ferat in media familiæ pace, ad ampliorem grandioris filii cenſum, reluctantes fratres à patribus ſervos creari, ut diverſiſſima ſorte vitam degant, qui iiſdem parentibus nati, æquali omnes jure ita hæredes ſunt, ut niſi calcatis legibus, & læſa, quæ prior illis eſt, natura, illos à patrimonio amovere non poſſis?

Sed majores, ais, reditus ab Eccleſia percipiet Sabiniani junior filius quàm quos dediſſet partita in ambos hæreditas. Utut ſit, non copia fœlices facit; ſed animi quies; & quocumque in ſtatu ſua voluptas. Incluſam avem non delectat ciborum copia, triſtis edit quodcumque illi obtuleris: caveam laxa, mox ut recuperabit uſum pennarum, aliam omninò videbis, & in ſterili quoque hilarem, ut ſcias infœlicibus ſæpiſsime miſerrimam abundantiam concedi, & deſtitutis egenam non rarò libertatem placere.

Dives erit, inquies, adoleſcentulus Sabiniani; hoc magnum ęſtimas? ſed ſi flebit impinguatus? ſi inſomnes noctes ducat? ſi cuiq; pauperrimo ſuam fortunam invideat, earum omnino pertæſus opum quas invito gementique pater ingeſſerit, ut eodem fato inſtitutus clericus, deſtitutus hæres, queri non poſsit ea ſibi haud contigiſſe, quæ diſtentam alvum, & ſua impeditam mole ſaginam conficiunt?

Fœ-

Fœlicitatem in eo ſtatuas, ut quis inter eſcas vivat? ut bovis alicujus inſtar, pabulo immerſus, non aliud ſtratum habeat quam quod & menſa eſt, quoties alternantem cum ſtomacho ſomnum revocata fames excutit? O beatum virum quem tot bona circundabunt, ais! ex nauſea bonum æſtimas; niſi aliquid deſit, nulla eſt eorum voluptas quæ poſſederis. Si neſcis o Sabiniane! plenitudo ipſa, pœna eſt, morbus eſt; ubi nimium crevit, ingens ſibi onus, invocat in remedium ſui, quam maxime timet, vacuitatem. Sed te intelligo, Sabiniane, non ſoli filio, ſed & tibi optas iſtos proventus, qui prætextu pietatis in communes uſus cedant, & te etiam ſolicitum patrem exornent: neque enim tibi ſufficit ſolita & tuis æqua natalibus ſupellex, fortunæque illius claritas quam ex longo uſu faſtidis. Novos quæris ex adoleſcentis filii dignitate radios; tuus ille domeſticus ignis ut fulgeat, ampliſsimo nutrimento eget, & niſi avido vel oleum ſacrum dederis, ſi non extinguetur, at ſaltem lucebit obſcurius. Sed in alienam meſſem falcem mitto, & dum abſentem urgeo Sabinianum, vix adverto, Aſteri, illius finem argumenti jam me attigiſſe quod te jubente ſuſceperam. Non meum eſt oſtendere quàm ſceleſta ſit eccleſiaſtici cenſus, & patrimonii ad profanos uſus mixtura: Mihi ſatis demonſtraſſe, quàm ſit malus pater Sabinianus, & quàm ſæviat, dum ſe optimi parentis munere fungi arbitratus, miſerrimo adoleſcentulo ſacram pecuniam quærit, cui tollit ſuam.

Jam ſe ad alteram cauſæ partem comparabat

bat proximè dicturus Eusebius, cùm me desiderium subiit aliquid narrandi quod priori argumento conveniebat. Brevis erat historia, quam cæteris non injucundum fore ex me æstimans, qui eam sæpius lubentissimè ab amico audiveram, ita retuli.

Nescio quid dulce insinuat senum menti memoria rerum suæ ætatis. Dum eventibus putant se adesse quibus adolescentes interfuerunt, fit in eis quædam præteritorum voluptas, quasi rediret restituto flore juventus, & jam emortuæ senectuti novum à fatis stamen concederetur, quod Parcas diutuorno fessas labore ad suam colum revocaret. Me adolescente actum est quod referam & maximè placet animos vestros tenere historia meæ ætatis.

Trebonius inter præcipuos nobililate & opibus clarus, filium, puerum adhuc, aulæ dederat, ut Regi, qui nec dum ipse pubes, citiùs notus, occupatisque circa majestatem officiis, maturiorem ab eo gratiam consequeretur. Adolescentulo optare, & assequi, res pene eadem, & sæpiùs oculata patris charitas nullo admonente vota filii præcipiebat: ampla doloris causa, & latentis invidię seminarium.

Iunior huic frater erat, cui cum hæc negarentur, ideò maxime, ut mos est, placebant; ita ut sępè diceret, sibi novercam naturam fuisse, quæ nobilem quidem genuerat; sed infœlicissimum, quia ultimum, & unius anni mora damnarat cæterorum solatium. Puero huic ingenium acre, & vitæ abstrusioris impatiens, quam tamen ferre cogebatur; & horridiorem fecerat immanis pręceptor, suo ita *la-*

tio addictus, ut ab eo discipulum vel modicè avelli nefas putaret. Hæc patris ars, ne humaniori manu educatus puer, inter concessos lusus, & liberioris vitæ, quæ nobilium est, urbanitatem, suæ indolis admoneretur; non facilè revocandus, si se ad liberalia studia ineptum plus justo adverteret. Hunc dare Ecclesia Trebonius constituerat, ut major filius ex fratris consecratione ditior, opulentiorem etiam uxorem inveniret, & aucta tot bonis familia, superaret (quod maximè optabat) majorum claritatem.

Ut justior ętas puerilibus annis successit, amoto præceptore, alium habuit cujus opera non omninò malus rhetor, inter philosophos tandem, animo miles, & nihil præter arma & aulam cogitans, indignante schola admissus est. Sæpè lachrymas professor in adolescentis vultu notavit, & madidam sub calamo chartam malè excepisse litteras, quas etiam, non certis ex animi dolore articulis, tremula manus turbaverat.. Suos tamen non raro fraudabat gemitus miserrimus adolescens, ne patri referretur tędium illud cujus potestatem non fecerat, & doloris necessitas. Pecunia tamen in honorem familiæ satis copiosa concedebatur. Neque enim in ea ætate negari jam poterat, & illustrissima stirpe genitum, opus erat eos scire quos habebat sub humiliori fortuna collusores, & socios laboris. Ex ea pecunia purpuream vestem, crispatas fluentesque plumas emit, quas decentissimo galero imponeret; fascias etiam, ut tunc usus ferebat, poplitarias ardenti coccino micantes: ensem denique

nique, qualem extrà pericula & injurias nobilis juventus ferre consuevit in argumentum natalium. Hæc omnia confidentioris servi ope secretò comparata, accerbissimi mœroris materia sæpiùs erant, cùm adducto cubiculi ostio, iis indutus miserrimus juvenis, aulicæ, quam ardebat, vitæ, sibi faceret in conspectu servi brevissimum experimentum. Et hæc, inquiebat, mihi tollis crudelis pater, ad quæ, literarum hostis, sponte currebam & natura vocaverat? cui ensis, equi, saltatio maximè placebant, libros dedisti! ergo major natu tulerit totum cujus mihi amor erat, & in solatium calamitatis, solam reliquerit, quam nolo, quam non capio, & quæ nec me capit, philosophiam? hoc incessu militibus, hoc matronis placuissem, abjectâ in gratiam sexus ferocitate illa quæ castrenses viros decet. Ea venustate, cùm me intulissem in choream, omnes quotquot adfuissent rapti, me filium, me fratrem, me sæpiùs generum optassent, non stirpe magis quàm toto corporis habitu, quàm vultus elegantiâ, quàm sermonis lenitate commendabilem. Ad hæc non sine lachrymis aggemebat famulus, & ut lugenti domino magis placeret, gestu quoque, & audaci, quia nullus secretorum testis aderat, voto, sævitiam patris damnabat licentiùs.

Non semel occultissimi luctus tragœdiam excitavit ille dolor; sæpè calcata tunicâ adolescens respexit ad purpuram, & extracto, qui sub seris in arca servabatur, ensi osculum dedit, cum charissimo ferro amorem testatus, quem nos amicis. In eo tamen vitæ infœlicis

statu

ſtatu aliquot annos duxit, & tandem coactus ſacerdos, ſub Abbatis præclariſſimo nomine, morbo quem ſępe optaverat ſolutus, exemplo cunctis fuit, eccleſiaſticos honores, opesque in malis certiſſime numerari, ſi invitis conferantur. Hæc habui quæ in propoſitam quæſtionem vobis dicerem, quæque à probatæ fidei viro (nam & hoc forſitan quæritis) reſcivi, qui Trebonii ad nobile obſequium comes, & domandis equis præfectus, familiæ omnia arcana noverat, ſæpe patri occulte iratus, quod nolentem filium ad tunicam cogeret.

Finita hiſtoria, non parvum, inquit Euſebius, mihi jam onus incumbit, qui læſæ Religionis jubeor Sabinianum inſimulare. Certe cum Abrahamus interficiendum ſua manu Iſaacum aræ impoſuit, ſeipſum immolavit in filio: nam parentis quædam portio filius eſt, eoque nexu ambo vinciuntur, ut quidquid uni competit, id naturæ lege ad alterum pertineat, nec ille propterea fœlix æſtimandus ſit, qui calamitoſo patri ſuperſtes quadam fati neceſſitate (ſic loquitur Philoſophus) etiamſi cum illo fortuna mitiùs agat; ſemper tamen illud miſerum habet, quod egeni pars, ab infœlici maſſa avulſus eſt. Eâ certe ratione vir ſanctus non ſibi quàm nato clementior, in quem paraverat gladium, una Religione, uno ictu, bis, ut ita dicam, Sacerdos, bis & hoſtia, & mactandum immolavit Deo jubenti, & mactantem confecit.

Maxime Chriſtianus eſſet Sabinianus, ſi eo animo filium optaret Deo votum: alterius enim

enim consecratio utriusq; est quodammodò sanctitas, laudabilique arte mixtus civilibus negotiis homo, toties sedulus in templo fuisset, quoties filius sacerdos patris in se non modicam partem admovisset altaribus.

Nulla inter civiles familias illâ beatior, illâ sanctior, quæ licet terrenis negotiis implicata, in aliquo tamen suorum ungitur, & altissimorum montium instar, ita imis adhæret, ut supremis se inserat, eorumque sit veluti nexus, quæ diversissimis curis, vitæque usu secreta sunt. Sed non ea fuit Sabiniani pietas; quàm sacra sit sua familia non curat; neque in filio illi placet Ecclesia, nisi quia viam fortunæ pręit, & ignobili quasi famulatu illud omne ministrat quo commodior illa clariorq; potest effici.

Ineptos sacrorum ministros templo offerre, magna templi injuria, verum multo & major, si invitos. Quis unquam imperitus, aut nolens artem suam nobilitavit, vel utili obsequio imperantem herum demeritus est? Varia est hominum ad singulas artes propensio, & industria: hic genium maris ventorumque non unas leges lubens discet; ille timidor, in solidiori elemento opes quæret, illudque bidente, vomere, rastro, indefessus cultor coget solvere expectatos proventus: picturę hic fœlicius incumbet, miscendis coloribus aptior: Aliqui fortunatissimè armis studebunt, alii libris, ad cætera si naturam flectas, inepti. Quanta in urbibus, in agris, & in ipso etiam pelago officiorum perversitas, quanta artium, si ad illud quisq; cogatur ad quod idoneus non est, eaq;

com-

compulſus tentet opera, quæ aut valentiores nervos requirunt, aut acutius ingenium?

Anatum naturam induiſſe prope videntur qui nauticæ addicti, faſtidita terra degunt in aquis; hos ſi terræ admoveas, videbis inerti manu, lacertisque fluentibus glebas verſare, qui alacres pacato in mari remos agerent, & ſuas etiam undas, cum magis tument ac ſæviunt, non omnino inviti paterentur. Agricolam pone in mari, ad leviſſimas quascumque auras turbabitur, & ludente pelago pavebit, in conſtantiſſima terra opus facere adeò ſolitus, ut quidquid infra ſe vel leviter tremit, infidum putet. Non eâ manu, quâ aratrum, clavum torquebit navalis agricola; ad obvios quosque ſcopulos proram allidet, ſi illum rati præficies; pericula etiam facturus ſuâ inſcitiâ, ubi aquis ventisque conſentientibus, maxima erit à periculis ſecuritas. Hos omnes ſi pingere velis, telam ſordidabunt pulcherrimis coloribus, non diſtinguent, iratique penicillis, etiam ſtudebunt illud perverse facere, quod neque volentes probè efficerent, ut ad rudiora quidem, verum gratiora opera dimittas, & nauta ſuis fluctibus, ſuis agris colonus reſtituatur.

Eadem ſit licet apud Poëtas Pallas & Minerva; rarò tamen qui Palladem propitiam habet, benevola Minerva utitur; proſperitati namq; armorum vix accedit ſcientiarum fœlicitas. Ex optimo milite abſurdus rhetor, & ex clariſſimo oratore invalidus miles emerget, ſi illum à caſtris ad libros, quos odit; hunc à libris ad caſtra, quæ timet, transferas. Quod ſi ad

ſingulas

ſingulas artes ea requiritur convenientis naturæ diſpoſitio, & quædam animi voluptas manum ad operam incitans, tædiumque, quod in ſui proceſſu labor propè omnis adducit, dulciter fallens; quantâ prudentiâ deligendi ſunt, quibus committitur cura ſacrorum, ut id munus rectè expleant, quo nemo unquam præclarè functus eſt, niſi qui ſponte ſuſcepit? Quid ab illo milite exercitus ſperet ſubſidii, quando cum hoſtibus res eſt, qui niſi tractus, aut fuſtibus cæſus, ad copias non acceſſiſſet? Quomodo fortiter ſtringet gladium, qui dolens vagina exemit; qui malo omine prælium incepit à lachrymis, & in ipſa dimicatione vix miles, penates etiam ſuos cogitans, ſecretis apud ſe votis pacem invocat?

In eo ſtatu eſt Eccleſia Dei, tot hoſtibus ſepta, tot objecta periculis, ut bellatoribus indigeat. Quid ad animos, quid ad vires, quid ad victoriam conferet lugens, & ex ſolo etiam pavore fractus miles, cui ſua arma oneri ſunt; cui cùm à patre imponerentur, ad primam belli imaginem erupit, quaſi jam multo provocatus labore, ignavus ſudor? In fidei hoſtes an pugnabit ille clericus qui ſacris copiis non eo animo acceſſit, ut ageret bellum Domini; ſed ut commeatus publicos, quos alendo exercitui comparavit prudens nec futuri tamen præſcia fidelium charitas, ederet ipſe, otioſus eorum ſpectator, qui ex pugna juſtiſſimè æſtimantes quantùm cuique alimentorum debeatur, eas ſibi citrà laborem facultates dari non ſuſtinerent, quæ in bellantium uſus, non in deſidiæ commodum, aut tumorem conceſſæ ſunt. Mul-

Multùm aberrat à pietate Sabinianus, qui filium, grave aliquando ſuis partibus onus, inter eos ſcribi voluit, qui militari ſacramento, datisque in ſperati obſequii fidem mature ſtipendiis, religioſo bello initiantur.

Videbatur Euſebii nimius in puerum calor, neque modeſti animi eſſe tàm certo de futuris ejus moribus vaticinari: hoc ergo œſtrum compeſceret monebam, & mitiora loqueretur; verùm ille ex noſtra tarditate incitatior. Neque propterea, inquit frangetur juſtiſſimus impetus; quin & majora audebo, & pueri (ni reſiſtitis) absque ullo mathematico cœlo, non dubius aut obſcurus vates, horoſcopum conſtituam. Quâ ſtellarum ſocietate, quo aſpectu ſit editus haud multùm curo, proſcripta dudùm apud me eſt iſta ſcientia, quæ ex ſyderum vi mortalium mores ita æſtimat, ut nulla ſuperſit ad virtutes, aut ad vitia electio. Pro aſtris mihi ſit pueri iſtius jam ſuperba mollities, levitas mentis, deliciarum cura præcox, & maximè patris per tot vaferrimæ prudentiæ artes, in quærendis beneficiis ſagacitas.

Si vota illius procedant, & ſuis promiſſis ſteterit regius favor, tot auctus opibus puer, aliquot annos ignorabit ſortem ſuam, nec ad quid valeant ingentes proventus ſciet, usque dum tractu temporis, ipsaque vivendi experientia edoctus animus in earum facultatum uſum maturuerit. Quamdiu ſub patris imperio ipſe ſuaque fortuna erunt, utrumq; latebit peſſimæ indolis coercita perverſitas, & quid nocuerit Eccleſiæ Sabinianus pauciſſimi advertent: Verùm data aliquot annorum patientia,

tientiâ, non obſcure illa vitia emergent, quæ tanquam in lucem edita, futuri conſcius (fallar utinam (jam ego conſpicio.

Neque doctus erit uuquam puer iſte, neque etiam vir bonus; abnuenti enim ſcientia non infunditur, & rarò videbis eo in animo virtutes naſci, in quo femina virtutum natura non poſuit. Si ineruditus, fiat tamen ex parentum voto ſacerdos: heu mihi! quâ ratione petenti populo divina promet oracula, qui ſuâ inſcitiâ mutus, exſiccati inſtar putei, quas ſemper ore patenti promittet aquas nunquam dabit quærentibus? Quomodo ſacerdotis iſtius labia cuſtodient ſcientiam, quam nunquam hauſerit? Sed ſi eruditus erit, ais, ſi publicè orabit? quis inde pietatis fructus? quis ad illum ſonum in ſuas cupiditates ſumat arma? quis accenſus ad tibias iſtas, velut olim ille Alexander, in vitia decernat? Aptiſſimè licet motus illos imitetur, quos edit in ardentiſſimo concionatore ſanctitas, illum omnes veluti quemdam pietatis mimum aſpicient, & orantis vitam animo revolventes, non ſine indignatione meminerint, quàm ſit in privato virtuti hoſtis qui eam publico præconio honeſtavit. Quam ſuis ſermonibus telam texet, retexet quoque iniquiſſimis moribus; & diverſiſſimi itineris dux ambiguus, eâ caſtiſſimi ſermonis, & corruptæ vitæ quaſi rixa, non ad ſalutem magis quàm interitum auditores invitabit.

Non ex eorum numero erit puer iſte, quos, apud populum Chriſtianum commendat vitæ integritas, & in ipſo quoque opum ſplendore, modeſtia. Non ſuperbiæ, non voluptati fræ-

num

num dabit, neq; illis facultatibus ſapiens diſpenſator parcet, quas deperdere fas non eſt, aut negare pauperibus. Non quid deſit calamitoſis; ſed quid in ſua ſolatia, quid in famam, quid in amicos poſſit congerere, egregius ſui ſuorumque cultor, aſſiduè cogitabit; & eſcarum judex faſtidioſus, decernet quibus epulis inſtructior menſa laudaturos ſacri viri luxum paraſitos celerius accerſat.

Quantos gemitus Eccleſię ciet Abbas iſte, dum illa oſtenſo altari ad ſobriam ebrietatem fruſtrà invitarit longè diverſa pocula ſitientem & ad illas voces immotum, venite & bibite vinum quod miſcui vobis. Ut Tertulliani verbis utar, nullum templum vir ille æſtimabit ſuâ culinâ ſanctius, cui condimenra, chariſmata; Spiritus ſanctus, nidor; coquus, ſacerdos. Tanto apparatu comedet, ut ſi locum ingrediaris, ubi tot inter varii generis cultros, effuſumque cruorum calida & penè adhuc ſpirantia exta jacebunt, exiſtimes prælium geri non prandium parari.

Interim vix ſe Deo ſacrum meminerit, & depoſita interdum, quæ ad modeſtiam propè cogebat tunica, ut effuſior epulo ſuos cibos, ſua vina convivis jactitet, ſolutiſſimos inter & ſæpè etiam dentatos riſus, ſacerdotem abiiciet.

Dum ſuo indulgebit ventri, pauperum clamoribus perſonabunt fores, quas ſervorum nullus miſerturus aperiet; fortunati tamen, nec malè paſti, ſi non & fuſtibus admoneantur, minimè licere egenis ſæviente fame, ea inclamare quæ ſuggeſſerit; & divitum domos,

quę

ubi dominus poculis ant quieti vacat, honorari silentio?

Equos, non quot ad gestationem sufficient, habebit; sed quot ad fastum nutriri ambitio volet, ut clamosiori hinnitu, phalerisque amplioribus currus trahatur, nec principe deterior clericus, minore tumultu humum premat, quoties optabit pretiosissimis indutus inter strepentes famulos à mirante plebe conspici.

Non sectis ex modestia crinibus; sed quasi Ecclesiæ suæ transfuga prophanis omniò ritibus initiatus, promisso ac delibuto sæpè capillitio aulicum agens nunquam aut amœnior ingenio, aut vultu erit, quam cùm inter matronarum choros ostendet quantum suus illi chorus displiceat, ubi occultior divinitas, & mœstior adoratio. Virtutum tamen quas oderit patronus, ubique eas coli imperabit, & in aliena vitia vehemens orator fremet sæpius, ut scias nec tibi licere ea nosse quæ palam fient, aut virum imitari.

Deliciarum quædam mortalibus necessitas est; nam quis vivat absque gaudio? quia autem castas animi voluptates tanquam imaginarias aversabitur vir ille, alias palpabiles quæret, quas vel nominasse culpa prope est, & pudoris injuria,

Minus audacter de futuris pueri moribus verba facerem, nisi me experientia docuisset innocentem perraro dignitatem eam esse quæ confertur nolentibus, & maximè si in sceleratas voluptates natura proclivior, suos ad usus trahat eas opes quæ cohiberi vix possunt

sunt, nisi rapidas stiterit, aut famæ loquacis formido, aut quæ sanctior est, ipsarum opum reverentia.

Inter plurimos quos adhuc tenax memoria retinet, unius memini qui non absimili parentum cura per vim tunicatus adolescens, statim ut se sensit virum, divitemque, eam vitæ rationem instituit, quæ ne quidem in veste ecclesiasticum hominem præferret: nam licet, quoties in aulam concedebat, talari amictu uteretur, ne inter alios ejusdem instituti viros, dispar cultus argueret levem, indignumque cui Rex inter tot frustratos petitores pinguissimum beneficium contulisset; nunquam tamen alibi sacræ vestis patiens erat, suis amicis dicere per jocum solitus, ejusmodi ornatum non bene convenire suę ætati, eo melius usuram aliquando senectutem, si ad canos perveniret, neque venatorem decere.

Mira industria & articulorum velocitate testudinem pulsabat, nunquam tamen feliciùs quàm cùm aliqua musicum forma accenderat, & laus sperabatur à fœminis; hoc enim maximè amabat, & operæ cumulatissima merces, placuisse. Nihil illi pauperum conspectu durius, cùm tot satellites esse diceret qui Christi nomine creditas sibi opes reposcerent: tot ora improbo clamore illud Evangelii intonantia: Redde quod debes. In suis ædibus quieto similis, mox ut egressus membra Christi in compitis macie confecta, squalida, distorta conspexerat, ipsius domini miserrimas voces audire se arbitrabatur: Me ne relinquis? cùm utique splendeant non tua tantum vestimenta:

ſed & famuli ; ſed & ipſi in ſuis pręſepibus equi, & canum quoq; cura ſit, ne egeant? Ego jaceam? hæ in te congeſtæ ſint opes, ſolum ut fulgeas, & eam ſacer homo fortunam conſequereris, quam laicus tuâ induſtriâ, tuis laboribus (adde & annorum longam ſeriem) etiam & fatigatus ſenex non habuiſſes.

Contigit aliquando ut deſperatione audax quidam mendicus ei occurreret, & ita loqueretur : Quid nos faſtidis clerice, non tu verè opulentus, ſed nos? Quid refugis te diſpenſatorem eorum agnoſcere quæ jubente Chriſto tua nobis manu tradenda ſunt? Nec tuæ proptereà invidemus parti, iis fruere quæ honeſtiſſimum procuratorem decent, tibi ſolve antequam nobis; ſed te paſto, te etiam inter tot bona ſæpius incerto quibus potiſſimum utaris, & de nobis aliquando cogita, propter quos tantum dives es: ſi neſcis, tuus ille currus ſqualore meo nitet; quidquid enim ſuperflui in eo micat, comparavit illi mea egeſtas; quod ad modeſtam fœlicitatem addidiſti, Clerice, non fortunæ ut tu putas magnificentia eſt, ſed crimen; da citò, da pecuniam, aut currum permitte: iſti juſtius in meos uſus, quàm in tuos equi cedent, cum jam meus ille ſcipio, tot annos itineris fidiſſimus comes trementibus veſtigiis non ſufficiat. Quid ad hæc vir Deo votus? currum juſſit urgeri; laborabat enim ſub pauperis manu, & circà rhedam copioſa egenorum turba acceſſerat, ad ſui oratoris vocem plus aliquid certè auſura, niſi jubente domino rhedarius diligens in inceptam viam admonitos verbere equos velociſſimè egiſſet.

Fu-

Fugientem longus clamor ſequutus eſt, ut qui ſe periculo expedierat, hac ſaltem contumeliâ diſceret, iratam egeſtatem ſua quoque arma habere, & ubi effundi opes videt, quas putat ſuas, nulla dignitatis reverentia cohiberi. Cum illud reſciviſſet vir quidam, non inurbanè dixiſſe fertur, pauperes acres omninò eſſe theologos, ubi de opibus Eccleſiæ proponitur quæſtio, nec debere aliquem mirari Eccleſiaſticum hominem timuiſſe eos doctores, qui ſcripturam ſacram, pugnantibus in ſe divitibus, immodeſta religione citant, & compita habent pro ſubſelliis : hoc maxime dicebat, quòd vir ille inter Theologos diſputantes vehementiſſimus, pauperem nihilominus declinarat, qui ad normam Evangelii argumentum confeciſſet.

Ejusmodi virum Eccleſiæ dediſſe, non munus fuit, ſed injuria, & iſtius pater modum certè invenit, quo thuris ſuaviſſimus odor altari admotus fœtore miſceretur ; nam quid aliud, ſacerdotis miniſterio juncta morum perverſitas, & publicę orationi fœdiſſimæ voluptatis conſcientia? Ex me hoc dixiſſe nolim, longè ante Auguſtinus : hominem ergo ad templum compuliſſe qui in eo non benè moratus caneret, idem eſt, quod illud impleviſſe ſacrilegiis ; quòd Deum optare populo Chriſtiano non exorabilem : nam ubi calcatur ſacra res, iraſcitur certiſſimè Deus, & beneficia quis, vel ex ſanctis, ſperaverit extorquere ab irato? Ecce quod lucratur in Sabiniani filio Eccleſia; virum aliquando habebit ſub pietatis titulo pietatis hoſtem; nam quomodo amabit,

bit, ad quam trahitur? Invisi conjugii nexu nihil durius; catenis licet aureis membra implices, quid ad solatium captivi grave pretium, & amissa inter opes libertas? Idem existima de illo, cujus quæstio est, statu, quem susceptum abjicere nemo potest; quidquid enim feceris, manet vinculum. In eo igitur veluti amborum conjugio, Ecclesiastici videlicet, & Ecclesiæ, quis charitatem speret, quis inter invisos mutuam pacem? Nec ille eam in conjugem, nec illum ea in maritum unquam optavit, quid inde, oro? Ecclesiæ suspirantis dolor, quòd coacta & absque amore virum duxerit; quòd sua indies ab impurissimo homine deturpetur sanctitas; quòd sibi honorem, quòd famam abstulerit, vix ab illis morum castitate recuperandam, qui fideliori sacramento, quod semel sponsæ juravere, id in ævum servaturi sunt.

Restabat Asterii de Sabiniani œconomia judicium; sed cùm in tanta rerum dicendarum copia incertus sermonis, maximè circa initia laboraret, dubitationem casus tulit.

Aliquot libri in conspectu erant, & ut sæpè incogitantes multa agimus, quem priorem Asterio mensa obtulerat, hunc manu tractabat; ita tamen ut à lectione abstineret, ne ad aliorum sermones inurbanus auditor haberetur. Volumen bibliorum erat, in quo quatuor prophetæ majores continebantur. Illo temerè aperto cùm jam sileret Eusebius, & expectaretur Asterii de proposita quæstione sententia; Nabuchodonosoris somnium fœlicissimè occurrit, quo significabatur regnorum in-

di

diversos mores abeuntium successio, potestas, & his famosior, pernicies: donec disponente Deo ad illud ventum esset, quod nulla vis, nulla ætas fregerit.

Tum Asterius: dubitanti quo exordio utilissimum sermonem auspicarer, opportunè succurrit Daniel, nec parva mihi, sive fœlicitas sive laus est, adjuvari à propheta. Statua illa grandis, fero aspectu, auro dives & argento, ære potens ferroque, nec stabilis tamen, Sabiniani domum, si vota hominis succedant, & sacris opibus familia ditescat, videtur adumbrare. Metallis non unitur fictilis labor, & ideò ad modici lapidis casum ruit illa statua, quòd ferreos ex parte pedes argilla corrumperet; ista enim nulla arte coalescunt, & eas res conciliare frustrà optaveris, quæ naturæ lege dissident, atque inter se discordant.

Ecclesiasticæ facultates si cæteris inconsultè admisceas, grandiorem profectò fortunam efficient, sed & fragiliorem: Ista enim bonorum disparitate nutat domus quæ utrisque fulciri studet; & dum ambo diverso pondere suam quasi massam repetunt, fit familiaris scissuræ quædam necessitas, certumque ex illo partium discessu exitium, cui nulla possit succurrere diligentia, nullus labor. Sicut nefas est ea separare quæ conjunxit Deus, ita non licet in societatem cogere quæ Deus ipse disterminat: nec minoris piaculi res est, sacras opes cæteris ita maritare, ut unum domesticæ fortunæ corpus nefaria illa conjunctione constituant. Utriusque sortis facultates in eamdem familiam cadere nulla quidem lex prohibet; sed

uno licet alveo istæ aquæ contineantur, numquam tamen ita fluant, ut quod sacrum est, prophanorum ad quoslibet usus communione censeatur amisisse suam naturam. Fallet me Sabinianus si sanctis opibus dignitatem suam servabit; hominem novi, profusissimos reditus statim ut tenebit, in suam culinam congeret, & utrasque opes confundente audacia, vix tum agnoveris aliud esse à patrimonio Sabiniani patrimonium Ecclesiæ. O insaniam! panis hominem alit, accipitrem necat: salubriter certè religiosis facultatibus utitur is qui ad illas jus accepit; qui secùs, ipsa alimenta in suam perniciem vertit; quot cibos tot laqueos illi profert feralis mensa; piscis instar, vorat hamum miser, illis addendus epulonibus de quibus sapientissime dictum est, pasti sunt, capti sunt. Sacrâ Patrum authoritate maxime delector quia & ipse sacer sum. Prudentem œconomum putes, qui suis nutrimenta præbet, quibus necessariò intereant, si usurpari, si in res noxias insumi prudentes adverterint? œconomia est, illarum facultatum congestio, quæ te perpetuum debitorem crucient? & utique reddendæ sunt, etiam cùm tempus in fœlicissimo hærede apud homines furti maculam videtur abluisse?

Ille œconomus, qui ut levissima lucretur, ingentia amittit, quietem, innocentiam? Deum? Ille œconomus qui futuri non præscius, brevi opulentia duraturam in sęcula, sibi suæque soboli, mendicitatem comparat, & sacrilegio dives esset voluit, ut æternum suæ fortunę hostem illum habeat, quem nisi placatum invenias,

venias, frustrà totus orbis in tuam fœlicitatem consenserit?

An illius Regis Sabinianus oblitus est, qui flagellis cæsus, cùm suæ infœlicitatis causam ignoraret, tandem stupens didicit, alienæ uxoris usurpationem hæc mala in regiam familiam invexisse, nec nisi redditâ, rapacem principem haud debere sperare meliora. Ecclesiastici reditus velut hedera quædam domum cui adhęserint aliquandiu fulciunt; sed noxiè adhæsisse tandem probat ineluctabilis ruina, & malè quæsiti auxilii justissima merces, paupertas.

Meministis quid de Tantalo mentiti sint Poëtæ:

In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas, abluit mentum latex,
Eidemque quam jam sæpe decepto dedit
Perit unda in ore, poma destituunt famem.

Laici imaginem dicas, qui sacros reditus sub filii nomine in suam familiam conjecit; illis enim frui omninò prohibetur, eaque ratione juxta se videt quod famem acuit, quod sitim, non quod sedat; & nisi abstinentia mediis in opibus placuerit (quod fortissimæ virtutis est) ad vicina subsidia suspirabit vir ille, quoties meminerit accessisse familiæ ad modestos solius filii usus; ad patris verò cujus diligentia comparata sunt, cæterorumque inutile spectaculum. Qualis illa, oro, œconomia, quę sacris copiis inhiat, quas si solum intuetur, misera, si tangit, scelesta est?

Quæ juxta viam sitæ sunt fructiferæ arbores à quolibet viatore saxis petuntur, injuriam tuleris si extrà conspectum ponas; nam remotas, nec dare faciles, quis quærat? Ecclesiasticos fructus ad manum habere, licèt decerpere sine sacrilegio non possis, maximum est appetitus irritamentum. Eorum omnium quæ se ultrò offerunt fit amor; & etiam, quia his non uti durum habetur, necessitas; quia autem facilior usurpatio, ubi illam nulla lex, nullum forum vindicat, quantùm putes in ea naturæ proclivitate, & delicti quasi tutela laborare innocentiam?

In iride sinceri colores non sunt; sed ita invicem sua vicinitate permixti, ut nullus nisi in altero appareat; idem ferè videas in illis familiis ubi cum fortunis civilibus sacræ opes conveniunt; nam licèt sua conditione discretæ sint, ea tamen temeritate miscentur, ut ex usu, aut reverentia distinguere nequeas.

O improbam unionem! qua vi, quo impetu, illam dissolvet urgens tandem conscientia? nam ista aliquando separari, aut te perire necesse est, Sabiniane; quæ placuit cùm sumeretur esca, stomachum convellet, cùm ad vomitum veneris. Melius tibi tuoque adolescentulo consules, si ejus indole pensata, ad illam vitæ rationem instituas, quę cùm supplicium filii tui non erit, neque etiam coget te vocare carnificem. Si illum ad Ecclesiam Deus vocaverit, ex illius pietate & studiis in progressu ætatis satis scies, tu pater, sed non arbiter conditionis; opta tu, sed eligat ille, & in ejus animum ne ampliorem potestatem usurpaveris, quàm ipse Deus, qui vo-

lun-

luntatem haud cogit? verùm allicit non Tyrannus, sed orator.

Utinam adesset cui loquimur! ad tanta, ut existimo, quateretur ferreum pectus; si non odisse, at timere saltem disceret sacras opes, quas reluctanti filio quærit, ut sub Abbatis fœlicissimo nomine, patris facultatibus exutus, & per vim sacer, infœlicem vitam agat.

Non plura Asterius. Conversationem finivit venustissimus puer; qui cùm aliqua ex iis quæ dicta fuerant, satis pro ætate intellexisset, affirmavit se Abbatem nunquam fore, neque fratris fortunam eo usque reveriturum, ut pro ea suas voluptates vellet perire, aut denique suam salutem periclitari.

CADMÆA NOBILITAS.

TERTIUM SOMNIUM.

NIhil philosopho perit; quidquid enim ille intuetur, argumentum facit sapientiæ, & in suos usus transfert.

Quadam die domo egressus, ad jucundissimi fluminis ripam cum amico spatiabar, ut lassatos studiis animos oblectaret illud simplicis naturæ ingenium, stirpiumque neglecta formositas, quæ aquis vicina ad satietatem nutritur, surgitque lubentiùs. Mirabar ego tot variæ pulchritudinis herbas, quibus nondum nomen invenimus, in unum locum con-

veniſſe, tantorumque operum, quæ longè ab hortis, diligentiam tamen illorum ſuperant, rarò ſpectatorem inveniri.

Fluvio coronam fecerat ſpontanea illa, & confuſa amœnitas; quam ſalices, alnis per inæqualia ſpatia mixtæ, non ita premebant umbrâ ſuâ ut à ſole prohiberent. Inter has ruſticæ venuſtatis delicias, non rapidè fluebat amnis, ut quæ dives ripa oſtenderat, inverſâ quoque imagine in pacatis undis repetita cernerentur.

Dum hæc ego intentius ſpecto, Cteſias (hoc amico nomen erat) aliam ſibi ex fungorum contemplatione voluptatem fecerat. Non longè ab alveo ad vetuſtiſſimę arboris radices hanc verorum ſtirpium flaccidam imitationem adverterat, præcipitis naturæ opus, neque enim fungi diù naſcuntur aut nati patienter adoleſcunt; ſed emergunt ſtatim, & velocitate ipſa ortus oſtendunt quàm deſpecti ſint, quàmque vile fuerit, naſci.

Pulchriora certè conſpiciebam; ſed majora Cteſias meditabatur: ſcis, ô Firmiane, inquit, quam mihi fungi iſti, tàm propera nativitate è facili trunco erumpentes, cogitationem dederint? Non majori labore creſcit quorundam hominum gloria; inter duos ſoles naſcitur: ſed vilis apud ſapientes feſtinata illa & fungoſa proſperitas; neque mihi unquam probata eſt tanta fortunæ in provehendis alumnis diligentia. Ingentium opum expetendam eſſe tarditatem, vulgus ignorat; cùm tamen illæ honeſtius ad nos veniant ſi gradatim & ſilentio, quam ſi curſim ac ſtrepitu: ſecuriusq; habea-

beatur, ut & dulcius, quod in meritam familiam veluti ſtillavit, quàm quod in cupidos lares toto fonte effuſum eſt.

Vides, Firmiane, arbores iſtas? mora extra terram emerſerunt, mora creverunt, & ipſa procedendi patientia vires illas comparavere, quibus innoxiè, diuque ferent imbrium ventorumque frequentes procellas, & æſtatum incendia. Eſt herbis, quas his etiam lætiſſimas intueris, ex cunctatione ortus ſua quoque duratio: Nam tot ferè menſes ſtant & virent, quot ſumpſere, ut ad ſummitatem illam, quæ definita eſt à natura, leniter aſcenderent, eaque prolixè fruerentur.

Ut ad homines veniam; optabilior multò, ſolidiorque lenta fœlicitas ea quæ neglexit per ſuccedentium ætatum varias ſortes, gloriæ ſuæ culmen attingere, & quam puduiſſet originis, niſi in illam quoque gyganteo quodam progreſſu, celſitatem conſpexiſſet.

Rapidiſſimè quamvis feratur ſol, lux tamen illius reſpectu noſtri gradaria eſt; ſenſim namq; ſe oſtendit & ideò placet, quia verecundè poſtulat, mereturque oculorum ſuffragium: Non ita è nube fulgur emicat; ſubitò totumq; advenit; nihil ſervat quod expectes; omnis in ortu vis; & quia diſpenſatæ luci aſſuevit acies humana, illud nos maximè lædit, quòd hujus ignis repentinam lucem imparati conſpicimus. Hoc quoque in pleriſque fortunis durum eſt quòd non expectato ſplendore mortalium obtutus feriunt, neque modeſtior aliqua claritas præceſſit qua admoneremur quiddam ipſa futurum illuſtrius.

Ut hęc dixit, ita eſt, inquam, ô Cteſia! absq; aurora ſæpè fulſit in Galliis meridies; & hoc fortunæ concitatioris prodigium ſæpè mirati ſunt exteri, apud quos altitudo illa, ſi & aliquando ſinant, modeſtæ expectationis ſolet eſſe patientior. Sed hoc nobis peculiare eſt, ut præcipitanter quodcumque agamus, neque ad ſubita moveamur, quæ in tardiori populo ſtuporem non modicum facerent.

Ne tamen exiſtimes, ô Cteſia! illorum hominum fortunam, cujus meminiſti, ita feſtinare ut omnem velocitatem ſuperet, aliquid tibi oſtendam pernicius.

Hermiam noſti, lepidiſſimum illum ſomniatorem, qui ſæpe propoſitis ænigmatibus ad moralem philoſophiam ridentes amicos provocat, & quaſi ludens in mortalium errores utiliſſimè invehitur. Cùm apud me aliquando divertiſſet, & plurimi amicoram adeſſent, quos maximè delectabat illa philoſophandi ratio, quæ tædium arret, & ad honeſtæ converſationis humanitatem propius accedit, iſta ſibi ajebat contigiſſe per ſomnium.

Dormienti prima res viſa, in ingens ſpatium porrectus ager, inæquali glebâ, tanquam recens ab aratro, frequentibus ſulcis, in quem honeſtiſſimæ frontis vir quidam, neſcio quæ ſemina plena manu conjiciebat. Venuſtum agricolam, qualem antè non viderat, Hermias miratus, aliquantulùm ſubſtitit: tùm data ſalute & honoris causâ excuſans quòd ignotum percontaretur; &, heus, inquit, vir egregie quid tanto affectu telluri mandas? ſatorem te profectò illa non

non haberet, nisi messem ab isto semine expectares tuis dignam natalibus?

Optimè, respondit ille, & quàm gloriosè laborem, videbis statim, imber modò, cujus ista nubes spem facit, expectantem humum non prętereat. Vix ea erat fatus, cùm pluvia, ventis nubem impellentibus, toto agro effusa est. Dein sol, qui aliquantulùm latuerat, suam sibi lucem restituens, diligentissimo calore ita fovit semina, ut ex illis non gramen, non calami aut spicæ, verùm coronulæ quædam aureæ illico emicarent, quibus mox subjecta capita cum & tellus prodidisset, tot Marchiones apparuerunt.

Sic emersos nobiles vultus, cætera quoque membra non dispari ortu sequuntur, suis etiam, ne quid deesset, conspicua vestibus: Et Hermias nova fœtura ferventem agrum conspiciens, fassus est, haud promptius Thebanum solum Cadmo milites dedisse, quàm terra illa, adjutore cœlo, suos coronatos protulerat.

Hoc commento quid veriùs, charissime Ctesia! num & advertisti dignitatis hujus, quæ jam adeo familiaris est, præproperam nativitatem? Animantia quædam imperfectiora ita festinanter in aëre generari ajunt, ut cum pluviâ decidant; quamvis ego in ipsa humo, ut illam calidus imber attigit, creari potius existimaverim: crassior enim materies in id opus requiritur, quàm quæ possit à liquida solaque nube subministrari. Sed cui causæ assignanda sit ignobilis diligentia, philosophi viderint; illud certum est, æstivo tempore aliquando

tot

tot minutissimos bufones in humente terra conspici, qui antequam solveretur nubes, omninò non erant, ut ex tactu illius, cùm depressa est, ortos necesse sit dicas, aut cum ipsa cecidisse. Ubi hoc accidit, vix inter tot animalcula, quibus scatet humus, innoxium pedem moveris: ita enim frequentes circà te repunt, ut sub gravi vestigio, ni caveas, plura simul conculcata intereant. Talis propemodum est nostrorum coronatorum ortus: è nube lapsos existimes: nam & subitò, & catervatim, ut solent cum cœlum pluit præcipites guttæ, ex alto cadere videntur, strepituque ingenti, hoc est, servulorum etiam sine causa ad amicos festinantium, jussis vocibus ita novam dignitatem proclamant, ut ignorare non liceat.

Fateor, ait Ctesias, nobilissimum imbrem, fortunæ illius diligentiam superare, de qua primùm sermo fuit. Sed si velis, ô Firmiane! vanissimos homines, qui non à Rege dignitatem accepere, aut à majoribus (de his enim non loquimur) verùm ea sibi nomina imponunt, ut suprà cæteros nobiles fulgeant, exagitabo; nescio quid enim in eam rem mota mens concipit, quod à ratione non abhorrere & tu forsan lubens concedes.

Statuæ quas olim illustribus viris senatus decernebat, longè præstantiores habebantur omnibus illis quæ plurimo tamen ære comparatæ, & dignitate artis nobiles, privatorum domos exornabant. Multum enim interest, imago sit virtutis merces, & judicum decreto publicè consecrata, ut sui conspectu torpentes animos ad ingentia facta provocet, an intrà

penates obſcurè emineat, ineptæ cujuſdam gloriæ ſolamen, & inertis luxurię monumentum. Suam effigiem procurare quilibet pecunioſus poteſt; ad id enim inveniet mercenarios. Sed quid veræ laudis putas, ſuos vultus emiſſe ab artifice, qui ad arbitrium te tuum ſervili manu finget; non dedignaturus quoque vel à rudiori ſumere præcepta laboris, dummodo illa aſſentatione, ac dolo, tumeſcat inane marſupium? Idem de Cadmæis Marchionibus, Comitibus, & ſi quid aliud id genus eſt, judicium eſto. Multum diſtant à veris ſolidiſque fictitii illi tituli, quos jam ſibi plures aſſumunt, non expectata Regis gratia, ac neceſſario ſupremæ curię aſſenſu, ad quam ritu gentis pertinet ejuſmodi dignitatum recognitio.

Præclarè aliquis, cùm illos omnes qui Deo ſunt accepti, Deos nominaviſſet, quòd ſcilicet Numen ſua ſanctitate imitentur, eique ita charitate adhæreant, ut unus ſpiritus cum illo ſint; facta etiam inanium Deorum mentione, quos ſibi in variis gentibus non uno genere inſaniens ſuperſtitio poſuerat, ita utroſque diſtinxit: quàm illi magni quos fecit Deus, tàm iſti nihil, qui ab homine facti ſunt. Mihi multum arridet in re propoſita ſubtilis diſtinctio. Quidam apud nos ſuis titulis inſignes, inſtituente Principe, opus Regis dici non immeritò poſſunt; Regia enim manu in id faſtigium erecti, non inania præferunt nomina, neque ſic donatis illuſtres titulos mortalium ullus diſputaverit: quia quod ſtatuit Princeps, id ratum; ſive placeat nondum meritos præmaturis honoribus inſignire, ut ſibi magis devin-

vinciat, antequam deberi beneficia diuturno famulatu existiment;& ex dignitatis celeritate incitentur ad firmius obsequium: sive gradus illos generoso labori, notæque fidei stirpibus conferat in præmium virtutis. Cæteri quos sola amicorum assentatio, vel domestica vanitas creat, tam sunt nihil, quàm sunt aliquid, quos Regium diploma aut majorum longa series in eam dignitatem asseruit.

Coronas vocamus circulos illos qui, tanquam sydera ambirent circà solem & lunam aliquando videntur, cùm utriusque radiis nubes percussa in orbem discedit, sinitque ea lumina nullo fulgoris detrimento, inter varios colores iridi similimos, conspici. Sed vanæ sunt coronæ istæ, nec aliquid habent quo vel levissimas auras inconcussæ ferant: citò evanescunt, caduntque, & totus ille aëris brevissimus labor, quasi pœnitendum opus fuerit, in lachrymas solvitur. Coronam æstimo si solida est, non si tantum appareat. Quid suprà capita nobilium istorum orbes quosdam honorarios, suis gemmis,& cælato auro insignes miraris? ornamenta ista, spectra sunt dignitatis cujus alii rem habent. Multùm distat à corpore inanis figura, molem qua caret præferens, licet ad vacuum spectaculum plurimi quoque moveantur, illo qui nubem pro Dea stultissime adamavit, Ixione stultiores.

O quam ampla sapienti risus materia, inscio Rege ab amicis, aut à servulis coronatus Marchio, qui quasi crevisset dignitate, statim ut voluit dici quod pridie non erat, grandiori incessu obambulat; sævior cæteros nobiles de-

spi-

ſpicit, & in alium hominem mutatum ſe propè autumans, recentem fortunam ſtupet, cui nihil acceſſit, præter ſyllabas!

Audivi ab ipſo Hermia de quodam homine, qui cum eo titulo dolens careret, hac arte votis potitus eſt. Multo apparatu convivium inſtruxit, ad quod ex amicis duo invitati, qui cum viro agebant familiariùs, dignitatis curam ſuſceperant, ut à temulentis, inter pocula Marchio ea die proclamaretur. Nondum ad ſecundas menſas ventum erat, cum unus, uti promiſerat, pleno ſcypho homini libans, ſalutatoriæ potioni gratiſſimum quoq; nomen lutato addidit, expectabundi convivatoris ignotum majoribus. Annuente Baccho, dignitati protinus aſſentiuntur omnes, & quod tumultu ſtatuêre, vino firmant.

Sublatis deinde epulis, pictor ſtatim quæſitus eſt, qui currui adderet novi honoris inſignia, quem officioſa amicorum turba optanti detulerat. Cum poſtea ultimam manum ſuo operi admoviſſet pictor, & rheda repititis per ambitum coronis micaret, juſſus eſt auriga currui ita præparato equos jungere; ut circumductus per urbem recens Marchio non lateret diutius.

Ineptiſſimæ vanitatis multæ, ut opinor, cauſæ ſunt. Iam diu eſt, quod moleſtiſſima Regnorum negotia, & diſſidendi cum finitimis fatalis quædam neceſſitas bella fovent: urbes intereà cæpimus multas, ſed & amiſimus; neque unquam ſincerè fœlix fuit noſtra Gallia, ut ex vario armorum ſucceſſu, triumphisque ab atrato exercitu, poſt commilitonum funera,

ſæ-

sępiùs actis, disceret, Marti tot ærumnis famoso, pacem jure preferri. In illis motibus viri nobiles copiis pręficiuntur; acrior enim est ingenuis gloriæ cupido, & indoles bello aptior suâ audaciâ animos sufficit, ubi jam trepido exercitu miles exemplo firmandus est.

Experientiâ quoque compertum, quando extra pericula cohortes otiosæ in suis præsidiis hyemant, rariùs sub viro nobili disciplinam solvi, quàm si ab aliquo regerentur, qui suprà cæteros non emineret opinione natalium. Illud enim decus ingentis momenti est, ut à gregariis militibus prius penè naturâ quam officio præfecti distinguantur, & penes illos sit imperium qui ad illud sunt editi. Ita fit, ut obsequium præstetur lubentius, & ex sola quandoque ducum contemplatione contineatur miles, suo & armorum genio facilimè insolescens, prędamq; ex civibus suis agere solitus, ubi spoliandos hostes pax non obtulit, neque obstat, in ipsa quiete facinorosis, suorum tribunorum reverentia. Hoc cum non nesciant viri nobiles, qui Regiis cohortibus præsunt, præclarissimos titulos sibi imponut, quos stupeat militum vulgus; & ita apud ignaros claritate generis auctâ, etiam animos excelsiores fidentius præferunt, audaciusque minantur, & in ordinem contumaces quosque cogunt, postquam talis existimatio timori prælusit, ducesque secrevit à cæteris.

Nec de præcipuis loquor, qui legionibus totis imperant; suos enim illi titulos ferè semper gentiles habent, & notis stirpibus inclyti, adscititio honore non indigent ad majorem

suo-

ſuorum juſſorum obſervantiam. De illis ago, qui modicam partem exercitus ſub majori imperio regunt, habentque & ipſi plurimos, quibus obtemperent. Mirum eſt quod jam inter iſtos ſolo nomine Marchiones invenias; ad Centuriones pervenit non raro dignitas iſta: & penè ſufficit ad titulum, non cenſeri cum milite. Non verò exiſtima ut domum rediere iſti nobiles, futile nomen deponi; conſtantiſſimè ſervatur non ab eo tantum qui occupavit, ſed à familia, ut inanis ſpendor vel antiquiſſimę ſtirpis, vel recens provectæ credatur juſtiſſimum patrimonium.

Alii ut futuras uxores faſcinent, Marchiones, Comites fiunt. Ambitioſior enim viro eſt mulier: & plurimæ nuptias ex titulo ęſtimant, facillimè propitiæ, nec de opibus multum quæſituræ, ſi coronam oſtenderis.

Non pauci, ut jam adeptas conjuges placent, in eam dignitatem ſe aſſerunt. Illæ enim ſe inter nobiles matronas deſpici perpetuò queruntur, quod illo nomine inſignes non ſunt, cui locus honoratior ex more conceditur; ſibi dari ſellas humiliores poſſe, ſi maritus annuat, illud opprobrium amoveri: denique, ſe infœlicem vitam ducturas, niſi aliis æquentur, quarum ſuperbiam ferre non poſſunt. Ergo ne moroſam uxorem habeat maritus, & ſuis laribus gravem, Marchio formandus eſt, ſæpe licet impar fortuna, nec huic gradui ſufficiens, non parum vexanda ſit. Nam quomodo, niſi patrimonii, & miſerrimæ prolis jacturâ, æqua ſupellex comparabitur? Ne mireris ſi ſæpius in ſtanno tot cœlatas coronas con-

conſpexeris, quæ argento decentius exciperentur: ſi elapſis hujus gloriæ primis menſibus, res familiaris claudicat: ſi equi vel pauciores, vel macilentiores, jam leviorem ex dominorum tenuitate currum trahunt: ſi rarior ſervus in egente domo ſtrepit: ſi fames niſi invocato creditore non expellitur, qui, ut expectavit aliquantulum fit ex amico accerrimus hoſtis, neque ſinit abſque pavore fortunę reliquiis frui, tranquilliſque ſuſpiriis breviſſimi luxus tumorem expiare.

Ita loquebatur Cteſias, & hominem maximè incitabat timor, ne unus amicorum qui ab anno hanc dignitatem aſſumpſerat, in fabulam veniret. Iam enim quærebat fœneratores, & aliquot agri jugeris diminutum rus, videbatur moleſtiorem fortunam prænuntiare. Iam ſervi pannoſis veſtibus dubium fecerant negligentiâne domini, an egeſtate ſordерent; Iam brevior menſa pauciores convivas accipiebat: & ex fumo, non plus aliunde adventans, quàm vicina nobilitas admonebatur, raros hoſpites in ea familia expectari. Qui ſemel veniſſet, lautè ſatis excipiebatur: qui iterum, neglectiori cibo diſcebat quid peccaſſet repetita urbanitas: qui tertiò, aut abſentem dominum habebat, aut triſtem; & uxor, quaſi ægrotaret illo die, nec fas eſſet ad officia egredi, per ancillas honeſtiſſimè excuſans, manebat in lectulo. Ea & mihi nota erant, rhedamq; ſerico inſignem & auro, ſæpius fractam dici, & indies fabrum carrucarium expectare qui reficeret, cum equi deficerent. In eam ergò vanitatē, cum ceſſaſſet loqui Cteſias, ipsâ ambula-

bulatione non magis quàm prolixo ſermone fatigatus, ubi ſe primum opportuna ſedes obtulit, ad crepidinem fluminis ſic ego quietior.

Vera retuliſti, Cteſia, nulli certiori itinere ad egeſtatem feſtinant, quàm iſti qui brevibus ulnis majorem ſe dignitatem amplexantur. Politicę calliditatis egregium facinus adducam noſtro argumento conveniens. Campaniam, Italiæ fertiliſſimam regionem, plurimi Reges obtinuerunt; verum nulli ſagacius Auſtriacis apud eam gentem imperavere. Scis, ex opulento otio, ubi in ſui tędium venit, illos plerumque turbines derivari, quibus excutitur regii culminis reverentia populique fœlicitas. Statim ut fortunam puduit ſuæ quieris, crediditq; ſe timeri, & viam patere ad fortia, intumeſcit, & ad ſuarum opum conſpectum, non faſtidit modo leges, ſed audaciſſima quæſtione verſat, an juſtè imperent qui ſtatuere, Alchimiæ peſſimum genus, ſi ex auro ferrum fiat; quod accidiſſe tamen certum eſt, quoties rebellante cive, qui facultatibus ſuis multum apud plebem poterat, opes in arma verſæ ſunt. Multi tum in illo regno viri nobiles erant, non paterno magis nomine, quàm divitiis clari, cum poteſtas Auſtriaca eâ Regione ſuam ditionem auxit, ad invidiam orbis, multorumque principum metum, jam latè diffuſam. Timebatur iſta nobilitas, aliquid certiſſimè auſura niſi inopiâ frangerentur ingentes animi, & defectionis genius, in quem proni erant, aliqua arte cogeretur ad obſequium. Mira principum verſutia: quotquot inſoleſcere poterant, ita poteſtatem amiſere, ut ſe exarmari

mari nescirent : officiosè omnes afflicti sunt : quâ ratione putas? dignitatibus.

Dum singuli quasi benevolo Rege in altiorem gradum assumuntur, prodigendi opes civilis quædam necessitas subit, pristinique status pudor, ne si facultatibus parcerent, & modesto servorum comitatu inferiorum plerisq; fortunis paterentur se æquari, concesso splendore indigni haberentur. Ita generosis equis, cursoriis, venatoribus, sarcinariis quoque qui mobilem suppellectilem circumferrent, stabula impleta sunt : ita in auratos currus, in pretiosissima aulæa, in pueros honorarios, in uxorum gemmas tota belli formido conversa est. Haud multo post, nobilium istorum illustrissima egestas oculatioribus secretum principis aperuit; exhaustisque opibus soli apud illas familias tituli remanserunt, à quibus nihil Princeps formidaret.

Patientiori consilio Cyrus Lydas, Xerxes Babylonios in ordinem coëgit, cum uterque, exarmatis, etiam tibias, scorta, cauponas imperavit, ut in illud vitæ genus opes confluerent, & quod restabat animorum ad instaurandas defectiones, otio & voluptate flaccesceret; delicati conflictus ars est, opprimere hostem deliciis, & Politici regiminis utilissima fraus, subigere dignitatibus. Timendum munus, claritas, si confertur in exitium, si ad eos te sumptus adigit qui familiam diripiant, brevi simillimam arboribus, quas nimia fertilitas exhausit, ut uno conatu ederent quod in plures annos mortalibus utiliter dispensatur.

Expectas ut ad imaginarios Marchiones revertar?

vertar? Quod in Italia calliditate principum gestum est, hoc apud nos non Rege authore, sed quorundam nobilium insania, quotidie geritur; suis enim titulis pereunt, non secus, ac ille senator qui olim multa pecunia dignitatem adeptus, rei familiaris inopia ita deinceps laboravit, ut publicè diceretur, spoliatum fuisse, ne bona satis stirpe genitus in sordido exilio consenesceret.

Ex hac mihi præcipuè misera videtur istorum nobilium paupertas, quod calamitosos jubet sub fœlicitatis larva imprudentissimi fastus pœnitentiam agere. Nunquam nisi secreti gemunt; & licet ad summam suarum rerum augustiam adducti, emergendi spem omnem amiserint, fingunt tamen fortunatiorum gaudia; quemadmodum illi dæmones, qui nôn raro ridere in obsessis corporibus videntur, cùm nihilo minùs suæ illos pœnæ maneant, nec miseris à vindice Deo concedatur, vel levi quiete suos cruciatus intercalare.

Et illud quoque durum est, quòd nobiles istos ex merito vexari quisque existimat. Sicut enim voluptuosorum morbi, qui ab aliquo vitio ortum habent, miserationem non faciunt, ita qui ex luxu eget, suo dignus malo putatur, cùm ad illud spontè venerit.

Quàm fatuum, supra id quod cuique convenit, velle extolli! Aliquæ statuæ ita factæ sunt, ut si ponas in sublimi, totum artificium pereat, aut omninò oculos effugiant; ingentium operum est, ea altitudo, ad quam cum illa pervenerint, ostendent se decentius. Ineptum

ptum quoq; te erigi, si in eo statu malè tibi est, si, quisquis te conspexerit, superbiam damnat, quod locum scilicet concupiisti, unde aut non videare, aut turpiter notus fias.

Sed hæc fortè, ais, singularia sunt, neque Regni multum interest, si nobiles aliqui non concessis titulis intumescant? Magna certè virtutis injuria per omnes provincias hæc jam serpit ambitio. Olim ad incitanda hominum studia fortibus viris coronæ dabantur, & licet frondeæ essent, nec ulla arte spectabiles, illarum tamen diu pretium fuit, donec in vilissimos usus delapsis erubuit virtus, & mutato mortalium sensu, quantùm prioribus sæculis honori fuerant, tantùm apud posteros contemtæ sunt. Ab Olympiis ad popinas transiere: quilibet ebrius suâ redimitus cernebatur; ut vina, sic & mancipia coronata sunt. Quid vir fortis ambiat potantium ornamenta, & servitiorum notas?

Multùm certè interest ne illi tituli de quibus loquimur, ad indignos perveniant, nec ita communes sint ut illos excelsus animus despiciat, qui nisi insolitis, arduisque honoribus non excitatur. Militaris prudentiæ, eximiæ fidelitatis, laborum aut periculorum quæ tandem merces erit, si quid nihil unquam preclarum ausi sunt, vel ab exercitu festinantiùs rediere quàm accesserant, ut ignobili otio securiorem vitam ducerent, illa imagine dignitatis conspicui sint; quæ si rarior, nec facile occupanda, emeritæ senectutis, & per varia vitæ discrimina Regi notæ, non indignum præmium æstimaretur?

Tandiù non viluit in plurimis gentibus equitum torquatorum ordo, quamdiu labor virtutis fuit illum honorem assequi, nec nisi ex præcipuis stirpibus admissi sunt. Ex quo vulgaris propemodùm effecta est illa dignitas, contemptissimi gradus nemo tulit in collo, aut veste, insignia, quæ olim prima nobilitas ambitiose ostenderat.

Quis jam ad fortia conferat animum? quis adeat pericula? quis suis sumptibus volens militet? ut eo titulo honestetur, quem nunc habet quicunq; vult? Equidem miror ea confusione res apud nos agi, ut Regis officium quisque suscipiat, cujus est illos honores creare. Nam ut primus qui in nube ab adverso sole formatus est arcus, alios etiam se obscuriores minoresque, quasi solem æmuletur, & ipse suo conspectu sæpius pingit, si ad iteratas imagines aptam nubem inveniat; Ita corona Principis, quæ authore Deo eminentissimè fulget, inferiores coronas ubi vult facit; nec alia datur in regno potestas quæ præmiandæ virtuti illos conflet ornatus.

Nemo se Præsidem vocat, nisi qui Preses à Rege creatus est, neque unquam dixerit aliquis, causidicum suæ togæ privilegio in illum gradum neglectâ majestatis authoritate posse conscendere, aut solo duntaxat titulo frui, quo germanus splendor, & timenda reis potestas significatur. Quid stultius quoque, quam si credat ex vulgari nobilitate aliquis, sibi licere, ob id solum quia nobiliis est, ad arbitrium sumere dignitatum nomina, quæ apud elevatiores contemptum, apud æquales odium, & invidiam generent?

Ab his ad alia quædam quæ proximè accedebant sermo sponte delapsus est. Apud Latinos vocabula non habemus, quæ plerisque Gallicis locutionibus omninò respondeant. Aliqui domicellas appellavere quę rectius à peritis Mitellatæ dictæ sunt, ab illo capitis ornamento quo generis nobilitas, nisi usum licentia corruperit, non obscurè ostenditur. Illud nomen, olim clarissimum, jam apud Matronas prorsus viluit. Mirum est, quantâ superbiâ dominæ majores vocitantur & suos titulos inflant, ne viris videantur modestiores, & in eo sexu timidior appareat immeriti honoris usurpatio. Cadmæas etiam Archidominas habemus, inquam, ô Ctesia, quæ ex simpliciter mitellatis, statim ut placuit, erupere.

Subrisit ad hæc verba Ctesias; sed parum est, ait, grandius nomen accepisse quàm quod cuique stirpi conveniat, neq; modum superet. Majoribus lædor, ô Firmiane! nec enim ferre possum tot matronas in auratis thalamis tanquam in templis, ut idola quædam conspici. Et ne existimes me in illam vanitatem plus justo excandescere, aliquid dicam quo me fateris de illa re loquutum frigidius.

Dives, sed privatę sortis mulier (ut scias me de fœminis principibus non loqui) cubiculum sibi construi curavit undique auro fulgens credo ut pretiosius dormiat, & suarum opum spectaculo eorum oculos perstringat qui ad illam accessuri sunt. Non æquatâ planitie superbum conclave extenditur, ea enim parte paulum assurgit quâ lectum posuere, sub arcuato, & quod longè cætera suo pretio supe-

rat

rat, laqueari ita recedentem, ut te in altera cella esse existimes, si interponatur janua qua negari possit accessus, lumenque illa pars, quæ ad capiendos somnos destinata est, per suas etiam fenestras accipiat. In eo loco mulier jam alto sole, & sumpto de more jusculo, decumbebat, iterato sopore adipem suum multa charitate fovens: cum rusticus, cui litteræ ad illam perferendæ traditæ erant, adfuit, janitori domus eos codicillos ostendens, rogansque, ex Domini sui pręcepto, ut ipse qui tulerat, dominæ daret. Expectare per duas circiter horas jussus, donec illa sponte evigilans ancillarum unam vocaret (nam dormientem excitare nemo audebat) tandem ex dominę licentia conscendit cum servulo. Superatis gradibus, ut primum aulæa conspexit in ampliori cubiculo quâ necessarius ad interiora transitus erat, dubitavit rusticus an ultrà procederet: sed qui eum comitabatur hortatus est, timorem deponeret; ad humanissimam dominam iri; nec aliquid in ea domo esse quod timeri mereretur. Certiori ergo vestigio, stupens licet, incedebat rusticus: sed ut auratum conclave, in quo recumbebat mulier, ingressus est, nihil nisi divinum cogitans, illicò sacellum putavit, & in genua provolutus, grandioribus oculis, incertisque quid magis, quid prius mirarentur, omnia lustrans, Deum orabat. Verum cito dominæ risu, servique, monentis cubiculum illud esse, non templum, à pietate revocatus est, suosque codicillos protendenti manum mulieri, ut imperatum fuerat, dedit.

Dum legit illa, vir agrestis ex stupore ad vo-

luptatem sensim transierat, & objectis familiarius fruebatur, interdumque inurbanè reflexis cervicibus respiciebat quæ à tergo posita erant, ne aliquid prætermitteret, non ausus omninò averti à muliere, cujus expectabat imperium. Perlectis codicillis non prius hominem dimisit, quàm ab eo per jocum quæsivisset, aliquid ne simile haberet rus suum, & quod in mentem venerat, cum primum tanto auri fulgore percussus est? Ecclesiam credidi, Domina inquit ille; te autem quandam effigiem quæ religionis ergo in isto penetrali, inter tot opes, & holoserica, locata erat, ut ab intrantibus venerationem acciperet; sed excussus error, statim ut ex risu motuque corporis, quo nostræ carent imagines, cognovi te vivere. Potuitne illa sine pudore audire à rustico, quanto excessu ornaretur domus, quę Deo digna habebatur, & crassissimæ simplicitati tàm altas cogitationes infuderat?

Grave licet aurum, ad summos tamen parietes pervenit, ligna celat, & novo vanitatis genere metalla matronis quæsita sunt, ut superbè jaceant. O sæculum in illis ædibus aureum verè; sed & ferreum, ubicunque egenus patitur, vidua luget, pupilli dira fame enecti desperant, ut radios ex illorum squalore sibi superbia comparet; & tot infœlicissimi, tanquam ad fodinas damnati, tantas opes tantis laboribus eruunt, ut divitum laquearia, non in cœli modum sparsis hinc inde syderibus, sed æquali per omnia claritate splendeant; & mulier, *amicta sole*, sic enim & aurum vocatur, dici possit duxisse suam noctem!

Quàm

Quàm probrosum Regno, aliquid exteris posse ostendi augustius in privata domo, quàm quod in Regia conspexerint; & ita civem insolescere ut supra principem suum, in aurata sede fulgeat! Quid interest, Thronus, an thalamus vocetur? Majestas est. Tolle nomen cui ex pudore parcitur (neque etiam usurpari sineret potestas) quot matronæ auro circumseptæ micant, tot reginæ volunt videri. Sed proh pudor! Aliquas inveniri quæ officinas adhuc suas spirant, adeoque nihil ingenuum habent, ut si ad aulam accedant, in alterum orbem eas venisse existimes: Multùm enim distat à maritorum fortunis, subtilitas aulica.

Non benè auro velatur natalium labes, ista se magis luce prodit, & inter tot ingentia, parvitatem suam turpius retegit stirps ignobilis, uti felis ille Aegyptiorum, qui pro Deo stolidissimè habitus, deformior in suo cultu videbatur, quàm cum absque ornamentis totum se, totum felem ostenderat.

Adeò omnem modum excessit privatorum luxus, ut benè sit templis, si altaria divitum fumaria æquent; si vasa quibus propinatur Christi sanguis, ad illorum pretium accedant, quæ sibi in contumeliam paravit istarum pecuniosarum vanitas; ut non sine fastu egerant quod natura verecundè emittere, non docuit tantùm, sed imperavit. Non satis est dapes argento excipi, excipiatur & stercus: Sordidiora quæque honorem suum habeant, & quàm reverenter pręstari debeant officia, ancillarum nares dives fœtor admoneat. Quan-

tis opibus putas collum, brachia, articulos onerabit illa mulier, cui argenteæ latrinæ subjiciuntur, & matulæ serviunt quarum pretio plures captivi redimi facillime possent, levarique ingens egenorum turba, si quod excrementis, membris domini concederet mulier Christiana, & pauper in quo Deus ipse toties egere se dicit, suâ dignior urinâ haberetur.

Vis audire privati hujus fastus immane ausum? referam. Pretiosissimas gemmas mercator quidam venales habebat, quarum fama mulierum verbosa admiratione citò pervenit ad Reginam! ingentiores, nitidioresq; nemo unquam viderat. Cui rectius usui inservirent insolens ostendebat cum magnitudo, tum decor: coronam postulabant. Cum ad Reginæ conspectum vocatus mercator eas ex pyxide eduxisset, interrogatus quid venderet, ea dixit quæ Reginam frigidissimam efficerent. Pretio conterritæ satis fuit, exquisitissimum illud naturæ opus spectare, mirari. Tanto enim auro, inquiebat, invidiosas gemmas emere non placet, ex quibus deinde dicatur, me in uno torque provinciarum spolia complecti, ornarique civium malis. Non quodcumque pulchrum est, Reginam decet; est & Principum modestia & in laudibus habetur, sæpe nolle, quod possumus. Illud ipsum quod gemmas remiserat Regina, ad illarum ampliorem famam contulit; & quod stupeas, pecuniosissimæ mulieris, verum ignobili stirpe editæ adeo vanitatem accendit, ut profuso auro emeret quod ex modestia solvere Regina timuerat. Quis non jure irascatur,

quæstoris nescio cujus uxorem eos concupivisse ornatus, & publice gestasse, quos Regia Majestas ut nimio s erubuit?

Quàm superbe gemmis potita est mulier, quàm se putavit de principe sua triumphum egisse, ubi illas tumenti collo circumductas conspexit in speculo! Quam despexit modestissime Reginæ timidas opes, sibiq; quàm sæpe gratulata quod optanti tot nummorum nugas, facilior arca concesserat.

Numquam rubet Chamæleon, qui cæteris coloribus obnoxius est, licet purpuram illi objicias; & mulieres aliquas inveniri magis miror, quæ hoc animali omnino mutabiliores ad sua tamen ornamenta, non erubescunt: unde ortum ducant, quis, antequam ditesceret, maritus fuerit, non meminere; ad fastum sufficit, quod aureæ sunt, & Mydæ digitos habent, ut quodcumque tetigerint flaveat. Silente mox Ctesia, sic ego.

Singularis modestiæ verbum, quod mihi à nobilissimo viro aliquando dictum est, ita hæret memoriæ ut nunquam elabatur. Dives erat, juvenis erat, conjugatus erat; sed nec opes inflaverant, nec corruperat ætas, nec illum uxor à studio pietatis averterat, quæ in ea ad illud fastigium crevit ut jure digna haberetur quam ipsi solitarii suspicerent. Nomenclatore non est opus, ut quis fuerit ille vir, noveris; cui enim alteri quàm Rentio * concessum est, tot simul bonis frui, eaque morum sanctitate breves annos duxisse, quæ omnibus nota, & maxime egenis, etiam post obitum ut no-

* *D. de Renty.*

notior fieret, Typographos occupavit. In ea urbis regione habitabat, ubi tum ego. Cum autem invisendi hominis gratiâ ad illius ædes me contulissem, nihil in illis vidi, quod damnaret vir moderatus & sapiens: Domini tamen sui stirpe dignæ erant, & fons imagine salvatoris conspicuus, ne quid in ea domo prophanum conspiceretur, suas in subjectum alveum aquas, etiam religiose videbatur effundere. Inter multa quæ de rebus pietatis mutuo dicebantur, excidit mihi ut illud ædificium laudarem. Scis quid responderit? non semel, inquit, erubui, me ita decenter habitare; sum enim Christianus. O vocem verè dignam quam nulla deleat oblivio! ò ingentes, etiam cùm jacere voluerunt, spiritus! Quis excelsissimam abjectionem non laudet, non suspiciat, quæ splendida quæque ita calcavit, ut indignam se crederet.

Domum illam nullum aurum exornabat; non juncta ad gratissimum errorem specula, ut alia cubicula redderent, totos parietes contexerant: non chrystallo solare lumen admittebatur, ne per vitrum vilesceret: non destinata musicis erat sedes sua: non hyberna, non æstiva triclinia habebant illæ ædes: Peccatum, si quod fuit, sectus lapis, paucaque per ambitum ornamenta; & tamen à viro nobilissimo dictum est; Pudet me habere; sum enim Christianus.

Eant nunc illæ mulieres, illi viri, quibus sua domus vilis est, nisi auro fulguret; & tamen haberi Christiani volunt, cum ita habitent; haberi Pii, quasi superbia non sit sub auro de

gere & jacenti in tot templis, in tot pauperibus Christo egregios adoratores suum fœnum reliquisse.

Sed de istis satis: si me unquam ad scribendum applicuero, quidquid tu, quidquid ego in hanc materiam diximus, prælo dabo: interest enim ut aliquis ineptissimis titulis, luxuiq; non ferendo liberius insultet.

AMPHITHEATRUM GALLICUM.

QUARTUM SOMNIUM.

OMnia hic mixta: vita ipsa contrariis constat: vix aliqua sincera voluptas est. Regio exercitu depulsis fœlicissimè hostibus, qui numero & ducum suorum solertia fisi præclarissimam urbem Atrebatum, olim suam, obsidione premebant: ut infœlicium armorum pudorem, successu meliore æquior fortuna dilueret, statim ad nos pervenerat fama victoriæ; sed illo gaudio impermistè frui non tulit humana sors: In ea quippe dimicatione perierat egregius juvenis, nobis charissimus, de quo multum sperare æquum erat, si nobilissimæ indoli licuisset, concesso diuturnioris vitę usu, in ea se extendere ad quæ nata videbatur: Patri senectute & plurimis dudum morbis confecto unicus erat, nec restabat languenti, lugentique aliud solatium, quo graves annos, & acerbiorem his orbitatem sublevaret. Inde nobis occasio bella devovendi, quibus tot fu-

nera maturantur; tot interdum exhauriuntur familiæ illustres, magno cum privati, tum publici boni damno, & urbibus ipsis infertur aliquando major vastitas, quàm si maligno sydere invecta pestis domos omnes pervasisset.

Nullus in bellorum insaniam acerbior fuit Ismenâ: sed Hermias, putas autem, inquit, Ismena, si diffidentia principum studiis regna mutua pace coalescerent, protinus sanguinem sisti? Furor is est, quem publica fœdera, scriptæque in ære ad stabiliorem fidem concordiæ leges, compescere non possint. Fervet Gallicæ juventutis sanguis, suis concludi venis non patitur; & si à publico hoste vulnus non instat, quæruntur in ipsa patria qui frigido odio, & sæpe nec læsi, manus suas cruentare non abnuant.

Hanc mihi in somnis ultima nocte insaniam adumbrabat nescio quod Amphitheatrum. Ingens erat, nullusque ad januam adhibitus custos, qui intrantes prohiberet. Medium tenebat in altissima basi, gloriæ, ut videbatur, simulachrum, redimitum caput lauro, sed sordigâ, quam Mars æquior, & triumphalis virtus merito erubesceret. Ante statuam magna gladiatorum strages; & cui spontanei certaminis lætior successus fuerat, hoc tantum dabatur in audaciæ præmium, ut esset Idolo proximior. Ineptam fœlicitatem stupebant alii; & dum functis tumulum negat delapsa cœlo vox, caveturque ne honestiores reliquias polluat damnatus cinis, superstitum nullus fit Deo aut sibi religiosior. Impetus manet nec furorem istum apud

ingenuos, famæque avidos, cohibet sordidum funus.

Ut siluit Hermias, cæteri expectabant quis primus in ferocissimam vesaniam loqueretur: neque enim somnium indigebat interprete: sed dum sibi invicem ex nimia reverentia prolixum honorem deferunt, adolescens quidam Victor nomine, qui recens ab ejusmodi pugna venerat, postulavit ut sibi liceret, antequam damnaretur, suam causam agere. Et mox facultate impetrata, ut se brevi silentio collegit, ita exorsus est. Nemo omni ex parte innocens vivit; quilibet status suas syrtes, sua pericula habet, in quæ necesse est incurras, si ad illum accesseris; puto, ut dum omnes ex diversa vivendi ratione variè labuntur, quisque alieni casus humanior judex fiat, neque plus justo succenseat his, qui contagione suæ sortis à recto quandoque aberrant, quòd non omninò ad virtutis normam suos mores composuere.

Quæstores qui Regiæ gazæ præficiuntur cupiditas allicit; & quanti sunt qui ex tactu non ditescant? aurum istud, quacumque fluat, canali suo ex parte adhæret, & dum ad principem per tot ministrorum manus properat, prolixæ viæ, ipsa sui jactura, pretium solvit.

Judices plerumque reos facit, quæ maximè in cæteris commendatur, urbanitas; quia dum placere honestioribus viris student, æquitatis sedem invadit teterrimus legum hostis favor, & calcatur jus, quod integritate muneris, & immotâ judicum severitate servari de-

buerat. Pericula iſta virtutis procul à nobis ſunt, qui aliud vitæ genus inſtituimus; ſed aliud inſtat, honor, & apud viros militares recepta lex, ut qui injuriam accepit, ferro vindicet. Fateor, mos is ex opinione eſt, nec absque furoris imagine in illum conſentit obnoxia nobilitas; ſed quid agat? ex propriæ ſtirpis genio, ipſaque etiam parentum educatione acris eſt, neque à puero aliquid tenacius memoriæ adhæſit quam illud, apud nobiles nullam læſi honoris niſi turpiter patientiam dari. Cum autem inde frequenter apud nos odia exurgant, nec facilè ab ipſis judicibus ſolvendæ lites, (nam quis illorum properat ſi ex tarditate aliquid ſperatur emolumenti) quid mirum, ſi purgandis controverſiis adhibeatur enſis, & in lentiſſimi tribunalis officium ſæpiſſimè ſuccedat ex præſcripto honoris, partiumque conſenſu, breve certamen.

Sed vita neci objicitur, inquies? levioris pretii res eſt vita, quam honor, & ubi de utriusque periculo agitur, malim ego illam in diſcrimine eſſe, quam hunc vel leviter periclitari. Quid vero intereſt, morbo, an enſe ſolvar? quod pugna penè non ſenſuro dabit, hoc à natura prolixè timuiſſem interitum. Momento cadam, quem infinitis forſitan doloribus illa ſervaverat, ſi offenſæ patiens ad canos uſque perduxiſſem meam ætatem. ut annos lucrer, honorem abjiciam? non tanti emo longum dedecus, nec unius certaminis fugâ claritatem illam ſubtrahi patiar, quam mihi majores ſua audacia, ſuis periculis comparavere. Quod de

pu-

pugnæ necessitate censeo hoc me docuerunt antecessores mei.

At in pietatem pugnat hæreditarius error? vetustissimæ opinionis successorem esse me non abnuo, opum successor, neque pudet à nobilissima propagine illud vitium traxisse qnod nisi habeam, deerit quoque apud æquales meos nomen virtutis; timido nimiumque vitæ suæ studioso quisque insultabit, in fabulam vertar: & aut solus domi hęrebo, quod molestissimæ vitæ genus est, aut pessimè cum cæteris agam, illorum excepturus injurias, quoties placebit patientissimum militem infestare ludibriis.

Cæterum stupor ille animi ad indigna haud excandescentis, non famæ solius, sed fortunæ quoque certissima est jactura. Nam statim ac de vindicta nemo timet, ad offensam ita quilibet pronus est, ut ex levissima causa plurimi hostes emergant, tuum patrimonium aut malignis artibus, aut sæpe etiam non obscura vi eo audacius petituri, quò te noverint ejusmodi bonorum insultationes ferre remissiùs. Bubonum instar, cæteras aves, quasi facto agmine in te insilire statim videbis, nec multo post, infœlicissimum nimiæ patientiæ lugebis spectaculum, pennis destitutus lugebis sortem. Ut in florum custodiam quędam arbores spinas generant, quibus rapax manus læditur, quæ ad decerpendos non sapienter festinat, & coloribus intenta non advertit periculum suum; ita generosa Nobilitas, tuendis opibus, sapienter ensem adhibet, ideoque minatur, & ferit, quia mollem insectatur malè

li-

litigantium cupiditas, & arma meliùs in auxilium veniunt quàm jus ipſum, quod exhauſtis ſolummodò ſubſidium prçſtat, & nimio emendum eſt.

Vultis ultrà oſtendam quantùm fortunæ noceat nimia illa nobilium in perferendis injuriis bonitas? Citò tota regione ſpargitur, & ut primùm ad aulam pervenit ignavæ patientiæ fama, in proverbium ita cedis, ut te cavillari non magis ſit jocus, quàm honos, dum quiſque ſtolidam virtutem damnando, qua notus es, ſuos profitetur animos, eoq; tibi fit frequentibus facetiis acerbior, quò plus metuit tecum cenſeri ſi cachinno abſtineat. Quomodo deinde promoveat ſuam fortunam ille vir, cujus circa majeſtatem tot repetitis ſalibus, fama proſcripta eſt? ipſo principe judice dignus putatur qui rus ſuum colat; qui longè à publicis armis ſecuritati ſuæ vacet; cùm ad fulciendum generis ſui decus, amovendamque contumeliam, privata non ſumpſerit. Nam licet Principes edicto cavere videantur, ne ſingulari certamine nobilitas pereat, quæ ad juſtiora pericula, in patriæ uſus ſervanda eſt: ipſi tamen, riſu, contemptuque hominum illorum qui ex majeſtatis reverentia ſtringere enſem non ſunt auſi, reſcindunt quodcumque ſtatuere; nec illud creditur ſeriò prohibuiſſe Rex, quod aut ſilentio præterit, aut etiam præconiis ornat, quoties de aliquo refertur qui prior duellum obtulit hoſti, vel accepit provocatus.

Verum ſi & de crimine agitur, quàm leve ſit, ipſa principum humanitas in concedendis gra-

gratiis non obſcurè inſinuat. In pugnam deſcendat aliquis, conficiat hoſtem; de indulgentia certus aliquantulum latitat, quaſi poteſtatem metueret tàm facilè placandam, quàm accenſa eſt; reum omnes laudant, tegunt, nullus judex inquirit.

Præterea vix aliquem ex viris nobilibus pium invenies, qui vocatus ad certamen hæreat, & de culpa deliberet. Ab ipſo altari ad enſem properare, adeò novum non eſt, ut plerumque vel caſu, vel etiam gloriâ, in pugnę ſcilicet celebriorem famam, dies illi eligantur qui pietati ſacri ſunt. Credam ego inter atrociora ſcelera, ut vos Theologi jactatis, rectè cenſeri culpam illam, quam tot viri in templis frequentes, numinique addictiſſimi ineluctabilem prædicant, cujusque toties ſponte rei ſunt, quoties honor cum lege divina de authoritate litigat, cogitque generoſos, ne abjectè pii habeantur, ſuisque indigni natalibus, ipſam abdicare innocentiam? Nuper cum ad Chriſti morientis anniverſarium diem tota Eccleſia gemeret quidam Nobilis flexis genibus, pectore in humum demiſſo, nec ſine gemitu, volvebat apud ſe domini ſui mortem; non plus Iudæis quàm ſibi indignatus, quòd toties anteactæ vitæ erratis, hos cruciatus, hæc vulnera, Chriſto jam in cœlis regnante, redintegraſſet; cum ſubitò ignoti vultus neſcio quis, pallio tractum ſubmiſſe monuit, extrà urbis muros expectari ab alio, qui petitus injuria poſtulabat de utriusque animis, & fortunæ fœlicitate enſe decernere. Non excuſavit Numini vir devotus, quod ad cædem feſtinaret:

Illicò gemitus ſedavit, quos divino funeri dederat; & ne videretur coactus ire ad certamen, ori prælium citò annuenti modicum etiam riſum addidit, ut ſcias quàm libenter cùm jubet honor, & fama vel leviter nutat, ſacra res deſeritur.

Quod optimi quique inter nos agunt, hoc ego non faciam, & invitantem amicum ut ſuo periculo miſcear, turpiter deferam ſcrupulosa pietate? Tanto nobilium conſenſu mos hic firmatus eſt, ut pondere legem ipſam non æquaverit modò, ſed vicerit, & palàm culpare audeat nemo, niſi qui ſe ignobilem profitetur aut in eum ordinem adſcitus eſt, cui non licet à litteratorum ſenſu diſcedere, neque honoris ſubire pericula unde apud nos fama fit.

O quàm fruſtrà, quàm indignè nobiles erimus, ſi quoties eximendus erit enſis, forenſes viros, doctores, & maximè ſolitarios qui generis claritudini non volita tantùm, ſed profeſsa quoque obſcuritate renunciant, vocamus in conſilium. Quàm ludicra res, ad Theologorum placita formatus miles, qui priusquam manum enſi admoveat, trahit moras cum libris, ut honoris præcepta, iræque ipſius & vindictæ regulas ab illis percipiat.

Quid de exercitu ſperaverit Rex, ſi iis qui pugnaturi ſunt obtunditur animus nimia patientia? ſi ferocitatem dediſcere cogant edicta principum eos omnes qui niſi ſuccenſi, & acres, nihil fortiter agunt quod hoſti noceat, neq; minùs alienis vulneribus quàm ſuis parcere videntur, ubi colliſæ acies viros petunt, à quibus abſint noxioſiſſimi tunc affectus, humanitas, & timor? Duel-

Duellum iſtud quod tantoperè convitiamini, publici certaminis quaſi rudimentum eſt, quo ſtrictos enſos ita videre, ita non timere aſſueſcimus, ut ad hoſtiles copias ſtemus impavidi, tunc cùm fulgentibus ſignis tubisque toto aëre præludentibus nunciatur cadendum, aut vincendum. Nam quòd armorum magiſtri in ſuis domibus tirones formant quibusdam prœliorum ſimulachris, ad audaciam parum eſt: cùm illic enſes innoxii ictum inferant, non vulnus, & niſi germanis periculis ad germana pericula non inſtituantur juvenes, morsque ſæpè videnda ſit, ut temnere eam diſcas.

Ut hæc dixit adoleſcens, in varios affectus abierunt qui aderant viri. A quibusdam laudabatur juvenis, quòd audacter, quòd non malè haud ferendi furoris patrocinium ſuſcepiſſet; addebantque nobiliſſimi ingenii notas eo ſermone deprehendi, ut ſępe ab noxiis ſtirpibus quæ profuſiſſimæ ſurgunt, agnoſcitur terræ genius, in uſus humanos facillimè vertendæ, ſi meliora ſemina accipiat.

Subridebant alii, quòd timidam doctorum piorumq; hominum prudentiam facetiis traduxiſſet, & in rationum locum, quibus ſua cauſa deſtituta erat, ſubſtituiſſet argutias. Ars certe (ubi æquum deficit) auxiliaris, & ſæpè ipſa ratione fœlicior; nam ut jucundè ad animum pervenitur, mulcent, neque ſinunt illam voluptatem facilè damnari quæ improbè placuit.

Cum aliquandiu nos ita tenuiſſet de illo diſcurſu judicium, ut tamen adſtantium nullus properaret refellere, indeque juvenis con-

fi-

fidentior videretur, tanquam suæ causæ actione eruditissimos viros in eas angustias compulisset, ut validis rationibus destituti, quibus monomachia damnaretur, mutos agerent; tandem sic ad illum Ismenas.

Meliùs, ô adolescens! fassus es ex furore esse ea nobilium certamina, quàm posteà hanc insaniæ labem ab ejusmodi pugnis, non sat castigato sermone, removere studuisti. Portentis illis persimilis videtur oratio tua, quibus sub capite humano ferina membra sunt: nam quod rationis primum habere visa est, haud servavit in progressu, turpiterque descivit à se ipsa. Si te concedente, genus quoddam amentiæ æquum est credere calorem illum, quo viri nobiles in vetitas dimicationes tàm acerbè incitantur, certè tu rabiosi moris patronus; & quis te sapientem dicat, qui amentes non excusas modò, aut tueris, sed etiam à te justissimè damnatos, quasi jam optimæ sententiæ pœniteret, cumulatis præconiis exornas?

Ais, ex nobilitatis genio furorem illum procreari: immò mancipiorum est, ita imperante more, in mutuas cædes ferri, & infando periculo sibi nomen quærere. In pulcherrimos impetus cùm ab hoste pulsatur fœlicitas publica, & in Regum tutelam instituta est nobilitas: putas ergò illa inspirante fieri, quod fini illius tantoperè adversatur, ut ex duello, media in pace, plus præsidiorum amittant regna ac principes, quàm vel caderent manu hostili, si mixta Imperiis Imperia, in gentium perniciem totis viribus agerent?

Nam quòd cæso exercitu, nobilium qui in

eo cecidere, interitus latiori fama ſpargitur, quàm eorum quos privata arma conficiunt, inde provenit, quòd multa funera, ſi contingat in eandem horam cadere, totamque unus ſtragem locus accipit, animos noſtros ampliori horrore ferit collectos cruor, totque ſtirpium ſimul ad ſuorum caſus lugentium acerbiſſimi gemitus, non quod major ſit jactura: cùm utiq; plures diverſis in locis perimat iniquiſſimus mos, & quam una dies inter militares copias oſtendit, pauciſſimi anni, non collatis certè ſignis, verùm damnabiliori impetu, ſęvitiam exhibeant.

Vides ut monomachiæ & nobilitatis inſtituta, ac leges omninò non conveniant? ad hoc enim, ut explicatiùs loquar, eximuntur à tributis aliqui, ſuisque titulis fulgent, ut ingentiores animos alant in patriæ laborantis, ut tu etiam dixiſti, neceſſarium ſubſidium: ſed patrię negat mos perditus, quos ex levi injuria neci objicit, ac publicas vires ſub ineptiſſima honoris imagine conterit, tot ſublatis nobilibus.

Fovet tamen hanc peſtem infatuata nobilitas, ut vix abſque ea conſpici ferat, arboribus illis non abſimilis, quæ ut adhærentem muſcum nutriant, proprio ſucco exhauriuntur, & noxia charitate perdunt ramorum venuſtatem. Neque enim nobilitatis pars eſt ardor iſte quo fertur in vetita certamina, ſed vitium ſuperveniens, quod ſi tollas, validior erit, ac pulchrior.

Verùm, ais, à puero in hanc opinionem erudiri viros nobiles, nec honeſte deponendum

quod

quod traditâ veluti lege accepere à parentibus? Dictu quoque, ô adolescens, servandos esse morbos in majorum reverentiam, si, ut plerumque fit, hereditariâ tabe in posteros fluant, nec licere advocare medicos, ut inditam stirpi valetudinem curent: Eadem enim est ratio, & sapienter non dixeris, plus animi vitium, quàm corporis imbecillitatem ex successione debere æstimari. Esto, hanc te avus, te pater insaniam docuerit: dediscere errorem, pulchrum est: nec credo te in Symmachi sententiam iturum, qui Romam fieri Christianam ideò dolebat, quòd cultum alterum per tot annos religiosè tenuerat, ac inanissima numina olim venerati essent qui illam condiderant.

Ingens plane tibi gloria, si te ab illo furore absolveris, quo tui majores laboravere: si melioribus consiliis incumbas, nec indignam nobilitate existimes illam animi fortitudinem quæ in temnendis injuriis emicat: tela non sentit: suos denique hostes macerat, dum contemptu, aut ipsâ inimici conatus dissimulantiâ illis adimit, quæ maximè quærebatur, nocendi voluptatem. Eâ arte ita jam plurimi duellum vitant, ut non sine ultione patientes sint; nam quod ex animi prętantia vulnus non admisere, procul dubio hostis accipit, & in jaculantem, si durum quid nec penetrabile nacta est, sagitta retorquetur.

Temnebat hæc omnia juvenis, & motu capitis indicabat se in proposito mansurum, nisi validioribus argumentis moveretur. Ad quem ita Ismenas: Te igitur mea philosophia haud

haud flectit, ô adolescens? discedes obstinatus? Cùm ille simpliciter diceret, se de fama fortunaque præcipuè sollicitum, nec posse adduci ut probrosam noxiamq; suis facultatibus patientiam coleret; novis viribus Ismenas reluctantem adolescentis animum ita adortus est. Aliud omninò in te adverto, ô juvenis, quàm quod uno consensu sapientes tradidere, nempe in ignota neminem ferri, neq; priùs concipi amorem, quàm concipiendum aliqua lux ostenderit: Ecce, famam sectaris, ardes, cùm tamen ignores quid fama sit.

De illa puto te loqui, quæ claritas à philosophis dicta est, & id efficit, ut syderis instar luceat, quisquis illam est adeptus: audi quid eam definiant. Claritas est, inquiunt, bonorum virorum amica, & favens opinio. O te deceptum qui optimam famam quam dare, nisi boni viri, nequeunt, à fatuis corruptisque morum, & opinionis pravitate hominibus expectas!

Te ne ex duello æstimant qui verè sapiunt? qui iræ, cęterisque cupiditatibus modum posuere, qui consulto numine agunt omnia, nihil furore aut impetu? qui in suos concives benefici parati sunt ferre potius, quàm inferre injurias? Hos si habes laudatores, tua tibi constat claritas: istorum enim est dare radios, qui splendidum hominem spectabilemq; efficiunt. A tenebricosis dari tibi lumen autumas? falleris: suâ te nocte vestiunt quicumque ex cæca audacia, & iniquo certamine commendant.

A malis laudari, probrum existimavere ve-

teres ; ſtat adhuc Platonis epitaphium, quo prohibetur ejusmodi de illo panegyricus ; ne ſi contigat à pravis optimum virum celebrari, fama ipſius contaminato præconio laboret. Et credis perditiſſimorum hominum ſuffragio poſſe te in egregium nomen aſſurgere, cùm extolli ab illis, etiam dum præſtantiſſimas virtutes commemorant, propemodum ſit meriti ipſius contumelia ?

Sed quid, oro, tantopere in iis prædicant quos ſingulari certamine coiiſſe referunt ? fortitudinem, puto, animos, ſolertiam ? ne te nomina decipiant : nulla extrà bonum virtus eſt : ferocitatem voca, furorem, ut & caſum, quidquid in vetito certamine roboris aut fœlicitatis adverteris.

Cæterùm hos animi motus, ſucceſſuſq; ipſos comitatur notiſſima infamia : Eccleſiaſticis fulminibus ſubjacere : inter fideles ad ſacra haud admitti, tanquam mutatâ religione Chriſtum abjeceris, nec te Chriſtus jam agnoſcat. Quamdiù nefario crimine teneris ; ſtas procul à templis, aut ſi in illa pedem inferre cruentus audeas, ipſa tibi pietas, nova culpa fit, quam & ablui neceſſe eſt, quod religioſum locum, inconceſſum tibi, inviſa præſentia, ac profano cultu violaris.

Sed quid, ſi contingat te in illo certamine mori ? Jacebit inſepultum cadaver, donec judices pronuntient quàm ſordidè tegi debeat : nam quæ vivo gladiatori templa jure occluduntur, neque patent execrandis cineribus. Inter ſacerdotum pro cæteris functis orantium quotidianas preces peribit tui memoria : ne

qu

que amicorum ullus, si sapit & Catholicus est, te gratum Deo, te salutem consequutum fuisse cogitabit in mœroris solatium.

Vis & de fortuna agam, cui tantopere times? quod in mentem venerit, breviter dicam.

Quantos vidisti qui duello in majores opes creverint quam quas dederat paterna hæreditas, aut denique collegerat familiaris diligentia? immo, da qui perempto hoste non multùm ex suis facultatibus amiserit, dum mutare sedes, & timidè errare cogitur, donec fortunæ incommodo (negotiorum scilicet quæ aliàs graviter urgent, desertione; dissipatisque in deprecatores, aut in judices ipsos pecuniis) satis sit à crimine tutus.

Quid memorem in fiscum principis toties congestas nobilium opes, qui vetante potestate pugnam inierant, ne quid magis suo Regi, quam opinioni, ac famæ detulisse viderentur? gemunt adhuc variis in locis sub hac inopia familiæ illustres, quotidianis calamitatibus edoctæ, quid æstimare debeant, quid jactare parentum væsaniam.

Sed si patiens ero, ais, si ense (ut moris est apud nos) non amoveo injurias, aut fabula omnibus ero, aut præda. Indecorum ducis te legum, te tribunalium autoritate honorem ac fortunas tueri? Ipse Rex quoties lædi se à subditis arbitratur, leges invocat: jus suum à judicibus, suprà quos tantopere eminet discuti vult, ac statui, ut non erubescat privatus quod nullo pudore patitur quem supra leges ipsas suum fastigium erexit.

Præ-

Præterea multi ſunt nobilium, qui ſe ſacris mancipavere; multi qui ſtudiis forenſibus nati, inter magiſtratus recepti ſunt. An hos omnes dices patere injuriis, quòd ſolis legibus teguntur; quod mollius conſilium ſequuti, ubi urget contumelia, aut facultatibus hoſtilis ſævitia imminet, ferro abſtinet? Immò ſecurè agunt, ut & civium cæteri, qui non enſe ſed faſcibus tutantur ſuas opes. Forum habes ad quod honeſtè confugias: quidquid ſubſidio indiget, hoc protectore ſervatur, honos, quies, fortunæ.

At tardè finiuntur lites? In commune malum inveheris: fer, quod & cæteri: onus leve eſt quod omnium humeris incumbit: quod gloriæ, quod ſecuritatis, quod opum habiturus es, eme patientia.

Non ultrà Iſmenas nam & audiri Hermiam volebat, qui ſuo ſomnio totam hanc nobilium inſaniam adumbrarat. Cùm ergo in illum humaniter, addito ſilentio, & manus oſculatione aliquantulum reſpexiſſet, non ægrè obtinuit ut ita loqueretur.

Monomachiam dixiſti, ô adoleſcens, haud grave crimen eſſe, indeque optimè concludi, quod principes facillime placantur, cùm in ipſorum edicta eo modo peccatum eſt. Ut ſint indulgentiſſimi, quid hoc ad atrocitatem ſceleris? An parricidium inter leves culpas computabis, ſi Rex ſumma poteſtate uſus, & miſereri facilis, illud debitis ſuppliciis exemerit? Ex indulgentia principum ſi crimina æſtimas, omnia penè abſolves. Inceſtu ſuos populares inquinari non tantum patientiſſimè

tuli

tulit Regum aliquis; ſed & omnibus ut impunè eſſet ea macula in naturam inſultare, ſuam ipſe ſororem duxit. An propterea non immanes nuptiæ, quòd eam licentiam fecerat Princeps, & in majorem ſubditorum audaciam primus quoque pudorem abdicarat? Agunt, quod volunt, Reges, ſed conſtantiſſimè ſua manet ſingulis ſceleribus enormitas, licet graſſari ſinantur, quietè agant, delegibus triumphent.

Quia juvenis es, neque tuum ſanctos Patres, qui nobis familiares ſunt, pervolvere, apud Hieronymum hæc verba non legeris. Inter ſcorta quoq; in fornicibus, & pueri ſteterunt, publicæ libidini expoſiti; donec ſub Conſtantino Imperatore Chriſti Evangelio coruſcante, & infidelitas univerſarum gentium, & turpitudo deleta eſt. Peto, adoleſcens, an ex priorum Principum indulgentia ſcelus iſtud quod Conſtantinus ſeveriſſima lege ſuſtulit, aliquid ſuæ atrocitatis amiſerat? An minori dedecore peccarent qui nullo terrore, nullis pœnis coercebantur, ne perverſe ſexus virilis in ſeipſo infandam voluptatem quæreret? Omnium eadem eſt criminum ratio, non ex mulcta qua ſæpè carent, aut Regum facilitate ac favore; ſed ex ipſa ſui natura penſanda ſunt.

Ex ſuppliciis tamen, principum ira ſi vis tuam noſſe Monomachiam, memineris quod Pontifices maximi illam damnavere quoties anathemate percuſſa eſt. Tanta cenſetur pugnæ ſingularis immanitas, ut ad ipſos ſpectatores Eccleſia meritum ſupplicium extenderit. Satis ad fulmina, videſſe illam inſaniam,

quam animis, odio, manu exercent ſceleratiſſimi laniſtæ : quid certamen ipſum, ſi damnatio eſt, ſi ſacramentorum orbatio adfuiſſe certamini ?

Verùm de indulgentia Principis ne tibi jam tantum gratulare. Nuperrimè lex in dimicantes lata eſt, quam qui ſolverit, ſtirpis labem, jacturam bonorum, & ſi capi poteſt, ipſum funus non effugiet; ad hæc enim ſe Rex ſacramento adegit. Unum reſtat ad utiliſſimi edicti complementum, ut delatoribus pecunia, mulcta judicibus decernatur, qui in illud crimen vel officiosè, vel languidè inquirent. Promptiſſimos ad vindictam habebimus, ſi ex gratiâ, quâ ſæpius peccant, periclitetur dignitas, & ſolio ſuo deductus aliquis, cæteros admoneat, non plus ſervaturos eſſe ſuũ decus, quàm curabunt in ejusmodi gladiatores, ex Principis juſſo, & ſui muneris conſcientia, ultionem obſervari.

Addebas, maximè pios ex vobis nunquam ſi vocentur, certamen detrectare. Pios dicis quibus ante ipſa altaria propoſitum manet ea agendi quæ divinâ lege ſub tantis comminationibus, prohibita ſunt? Pium vocas furioſum illum, qui fletus, quos, ut ais, divino funeri dabat, tàm cito abſterſit, ut ſanguinem funderet ? Cum demiſſus videbatur chriſtianè orare, ut profuſis lachrymis gratiam promereri, comœdum agebat, illudebat altaribus.

Numini addictos ne dixeris, qui ab lege divina abraſere de non perpetrando homicidio mandatum, & ad cædem expediti, omni loco, om-

omnibus horis parati ſunt proferre quid in animo habeant. In intimo pectore perpetuò occulunt quod eruat occaſio;neque tunc propriè fiunt ſcelerati cum vocantur ad pugnam, ſed apparent quod ſemper fuere; prodit enim tum nequitia, non concipitur. In ea tamen mentis diſpoſitione, tanquam Deo eſſent acceptiſſimi, ſacris noſtris utuntur, non inani tantummodo; ſed noxia quoque religione, quòd ſcilicet eruenti ad illa acceſſerint: ipſa ſe pœnitentia inquinant, damnantque miſeri, quippè ſincera haud eſt, & cum more Chriſtiano Dominum ſuum accepere, horret Chriſtus, æternumque duraturis ignibus deſtinat hoſpites ſuos. Ea eſt plane nobilium Religio quos dicebas & promtos eſſe ad ſingulare certamen quoties poſtulantur, & pios. Niſi candidius, ac poſthabita fama quæ ex ejusmodi præliis apud fatuos emergit, Deum colant, nulla ſalus ſperanda eſt.

Quid,oro, agent iſti, cum in mortis anguſtias improviſo ictu devenerint? Honorem, famam, ut quædam ſæculi idola dum adhuc vigerent coluere: ecce quid minatur Deus,en verba indignantis furentisque; ubi ſunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? ſurgant, & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant; tunc cum fuſi ſanguinis, ac quæſiti toties periculi pœnas repoſco, implorate famæ tutelam, cui & aliquando homines immolaviſtis, & ſi quid adverſus me valet, honorem invocate. Rumori vixiſtis, non mihi; ſic jam ille deſtituit ſuos cultores? videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus preter me.

Sed dum his immoror, concionatorem agere me non sentio; decentiùs, utiliusque, cùm plures nobilium aderunt, hæc in templo, si volet, Firmianus dixerit.

Ad te revertor, adolescens; justæ militiæ rudimentum Monomachiam vocavisti : Non istud Romani censuere : nunquam enim apud illos in armorum documentum hęc carnificina probata est. Ad pugnam ne rudes accederent milites, longo ante tyrocinio exercebantur ad palum. Nunc tanquam caput peterent, nunc crura, nunc poplites, adumbratum hostem ea solertia ferire unicuique studium erat, ut nulla pars, quam tactam vellent militum animos ictusque frustraretur.

Scopas (ut ex Vegetio accepimus) hoc est fruticum vel stramiuum fasces, pro signo funditores ac sagittarii ponebant, ut sagittis aut saxis ex arcu vel funda destinatis, sexcentis pedibus remoti, signum illud attingerent; certi haud deteriùs jacula, & lapides in hostem missuros, quoties vero certamine liceret experiri dextræ fidem.

Ut versatos equites Roma haberet, ligneos quoque equos in adolescentum tyrocinium, hyeme sub tecto, æstate mediis in campis ponebat, quos inermes dum consuetudine proficerent, deinde armati cogebantur adscendere; tantaque hujus exercitationis cura erat, ut non solum à dextris; sed etiam à lævis partibus, & insilire, & desilire condiscerent; evaginatos quandoque gladios tenentes, vel contos, ut quod continua meditatione extrà bellum omne fecerant, id tanquam ludo alacres in

in prǫliis agerent. Tu ſanguinem humanum ipſa in pace fundi vis, ut crudelitatis opus ſit iſtud nobilium ingenium quod in bello requiritur? neq; putas ſatis animorum habituros, qui extra diſcrimen armorum diſciplinam didicere! Militaturis nobiliſſimum ignem ſufficiunt tympana, tubæ, arma ipſa, equorum hinnitus, ſociorum qui jam hęc videre, alacritas, generoſo clamore hoſtes laceſſens, ac victoriam appellans.

His exemplis, inquit adoleſcens, his rationibus dedo me; ſed ſi quis mihi inſultabit, ſi ferrum non ex condicto ſed ex caſu aut furore in me ſtringet, nihil agam, cædi me patiar? ut ictus devites, da & tu quoque, ſi lubet, inquit Ismenas; non enim eo usque imperatur patientia, ut perire præceptum ſit. Ita omnes ſenſerunt, & juveni, ſi peteretur, pugnæ poteſtatem fecere.

CHIMÆRA
QUINTUM SOMNIUM.

HAud equidem miror hodie me à ſomno ſurrexiſſe fatigatum (referebat Hermias) longum iter egi dormiens; nam quanto terrarum interjectu diſtat à Galliis Aſia minor? & tamen ab illa Regione recens ſum, necdùm benè recepi vires meas, ex quo ſuſcitatus patrios focos reviſo.

Interrogatus deinde quid in ea peregrinatione vidiſſet quod referri mereretur: nihil, inquit, mihi mirabilius viſum monte illo cujus multiplices incolas ſub monſtri ſpecie pugnantes naturas uno in corpore admittentis, olim ludentes poëtæ figuraverunt. Non altitudine-

tantum; ſua ſed & rerum varietate præcipuus eſt inter cæteros iſte mons; nam & lætiſſima paſcua habet, & conceptis ignibus feruet intus, ut ſtupendum planè ſit ſub amœno & viridi tantum calorem deliteſcere. Haud longè à monte hoc ſemotus, philoſophabar, miratus non ſemel flammeum verticem & inter perennes incendii minas armenta ſecurè paſcentia, cum ex cacumine montis repentè ad me delatus eſt rugitus leonum; nec multò pòſt, geminato horrore, ſibilus quoque ſerpentium à radicibus. Ex his intellexi quidem Chimæram, ubi Leones ſub ipſo penè incendio altiora tenent, medium capræ, imum angues, non malè hoc verſu deſignari,

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra.

Sed & timui ne me nimis de Poëtarum ingenio ſollicitum mora perderet, & una mihi ſecuritas viſa eſt ſi fugam capeſſerem. Ita elabenti, paventique non ſufficiebat pręceps curſus, dumq; exhauſto ſpiritu, ſæpius cogor gradum ſiſtere, beſtiarum imagine plenus, tanquam ſuo jam impetu mea veſtigia premerent ipſe pavor ſomnum excuſſit.

Unde autem mihi hæc Chimæræ repræſentatio, vix poſſim coniicere, niſi tu forſitan cauſa ſis, ô Firmiane, cur iſta ſomniarim. Nam ſi meminiſti, pridie dicebas aliquorum hominum vitam contrariis coaleſcere; in illa enim plura inveniri quæ ita inter ſe diſcreparent, ut non magis monſtroſum ſit in unum corpus convenire diverſas animalium ſpecies, quàm in uno vivendi inſtituto ſacros mores cum prophanis temperari.

 Iſta

Iſta dixiſſe ſatis fuit, ut cęteri Chimęram hanc morum exagitarent, & quia dicebar pridiano diſcurſu dormienti Hermiæ imaginem illam excitaviſſe, ex qua deducenda erat disputatio, ita primus in id argumentum loquutus ſum.

Synagogam & Eccleſiam necti non poſſe, magnâ prorſus veritatis fiduciâ, ipſi Petro Paulus oſtendit, cum de circumcidendis Gentilibus ageretur qui baptiſmum ſuſciperent. Satis enim oneris Chriſtiano fore, ſi manſuetis humeris ferret jugum Domini ſui, nec æquum videri etiam in fundendo ſanguine, extra martyrium laborare patientiam: ſub eo pondere per multa ſæcula ſuſpiraviſſe majores: nec melius inſinuari populis, adventaſſe tempus gratiæ, quàm ſi ille mos tolleretur, cujus etiam causâ, iniurioſa gentilitas quoſcumque Circumciſio cute minuerat, vocabat recutitos.

Chriſtianum Iudaiſantem, Chimæram putavit prudentiſſimus Apoſtolus; neque tulit monſtrum illud in Eccleſiam admitti, ne in uno cultu viderentur convenire contraria. Vacuos ſed ſpei noſtræ benè ominantes arborum flores, excludit poſterior fructus: delet ſolutio cautionem; optima quidem ſuis temporibus Synagoga, verùm prodeſſe deſiit ubi Eccleſia nata eſt, & cum vetuſtate promiſſionum ſtare non poterat novitas Evangelii. Iſta ne ſociarentur tanta cura providerunt Patres ut ſabbathum ſervilibus deſtinarent, quieti diem illum quem dominicum dixere, ne ſimul vacarent Chriſtianus & Iudæus, & ex communi otio crederetur in eoſdem ritus conſentire qui in

tantis discrepabant. Quanta autem diligentia cautum est ne Judęorum Pascha cum nostro celebraretur, quantisque, non dicam studiis tantum sed & impendiis, undique convocati *Astrologi* modum docuere, quo nunquam daretur temporum ille concursus, illa solemnitatum inter nos, Judæosque consensio.

Major tamen fuit antiquorum Patrum zelus ne Gentilium instituta & mores in Ecclesiam reciperentur: quippe in hoc quoque negotio Chimæram timuere. Quid simplicius quam coronari oleastro, hedera, lauro, in publicæ hilaritatis significationem cùm ad illam triumphi, totaque urbe structa convivia vel mœstissimos quosque cogerent?

Coronis tamen dehonestari Christianum caput existimaverunt veteres, quod ille mos ab idolis derivatus Christi servis non conveniret, cujus vertex spinis obsitus tot imitatores debet habere quot illum recipiunt & adorant. Molles illas coronas dixerunt aliqui à candidatis diaboli fuisse usurpatas, neque proptereà licere Christianis in se adumbrare quod in creatoris injuriam sceleratè gestum est. Patrum sententia ethnico christianus Chimæra erat, nec ferenda Iovi nec Christo, cùm in illa vivendi formula uterque luderetur.

Ad nostram tamen ætatem audacia illa quodammodo videtur pervenisse: qua ratione hoc fiat, dicam. Certè Christum occidit mundus, ipse mundum prostravit, adeò illi infensus, ut nec pro eo preces ad Patrem effunderet: aliud enim homo, aliud mundus, sive sæculum, & qui pro nobis omnibus dignatus est

mori,

mori, pro sæculo nec stillam sanguinis fudit: Cùm ista constanter se oderint Christus, & mundus, quæ Chimæra, amborum cultum ita velle connectere, ut qui Christi videtur esse, videatur & sæculi?

Hoc in Iuda desertore Ambrosius horruit, in duplici enim mensâ epulabatur proditor, cùm & illi in escam Christus corpus suum sanctissimum daret, & dæmon cogitatus illos subministraret quibus anima crudelis delectatur & pascitur.

Frequenter adesse in templis; ad sacram synaxim accedere; interesse concionibus, laudabile quidem est; sed quę morum concordia, simul ambitiosè tegi, capillos tot modis laxare, coërcere, inflectere, ut inde formosior vultus virorum oculos alliciat? Ad quid enim tanta diligentia? cur laborat in vestibus, in comis, in cute, mulier, si non quærit conspici? Si pudica est, cur tam compto ornatu, tamque inquieto alios provocat ad libidinem? O Chimæram! castitatem profiteri, & agere ut cæteri deperdant: tentationibus viam aperire cùm depellimus: Christo uniri, nec averti à sæculo!

Neminem duobus dominis servire posse docet Evangelium: sed hoc ad majores; hac enim tempestate artem invenimus quâ quis Christi sectator fiat; neque mundum oderit, & in promptu festiva ratio quæ huic Chimæræ suffragatur. Certè à Deo sunt ornamenta hæc, aurum, gemmæ, capilli, qualemcumque formam illis dederit vel ferrum, vel, mitiore tormento, variè distributus funis, ma-

tronæ

tronæ caput totâ nocte circumligans. Creatoris ergo contumelia videtur, damnare opera ipsius : & quòd Christiano crimen, modo vanitate abstineat animus, illud gestare, illud ostendere quod concessit providentia?

Verum quid Tertulliano respondeant? sic enim & idololatria excusabitur ; quia illud omne quod inanibus Diis vel cremat, vel effundit, vel mactat, à Deo est, & merum, & victimæ. Eadem ratione & circi furor, & arenæ crudelitas, & spectaculorum turpitudo, immunis erit crimine, quia Deus creavit equos, tigrides, pantheras, eaque voce utitur in theatris obscœnus homo, quam à Deo accepit.

Meritò celeberrimus author, operum Dei præposteram tractationem damnavit in pompaticis illis, ut vocat, mulieribus, quæ ad negotium vanitatis illis rebus abuti consueverunt, quas idcircò contulit Deus ut in abiiciendis, quoties superfluæ occurrerent, christiana modestia commendaretur. Creatæ sunt ut lubenter illis careremus, & contemnendi ornamentum fieret, omni cultu apud Deum speciosior augustiorque, privatio.

Quis ferat, tot mulieres frequentissimè ad synaxim admitti, suæ formæ nihilominus adeo mancipatas, ut si quid ad ornatum desit, maritorum parcimonia, vel effuse conquerantur, vel ipso tumore elingues non prius placidæ fiant, quàm quod ineptè petitum est, ad familiæ pacem maritus concesserit?

Pias dicunt, & tamen nulla illis imago charior ea quam vident in speculo : illi operantur, illi supplicant, tardè semper Christum colen-

colentes, licet in hoc quoque appareat diligentia; cùm vere quidquid thuris Deo tribuunt, residuum sit suffitus illius quem sibi prius adolevere.

In sacris multæ sunt; sed & simul durissimæ cervicis, quam nemo ratione ac consilio expugnare queat; injuriarum memores. domesticis ipsis sæpius gravissimæ, ut nulla pax cum eis sit, nisi cùm absunt: & necessario instauranda sint prælia mox ut à templo, ubi dulcissimas vidisti, in domum feroces rediere. Quia altaribus familiares, nec adulterii probro famam suam maculant, titulo pietatis inflatæ, jus habere ad rixas credunt; quidquid voluere, nisi ratum est, à se ipsis longo murmure sæpè & lachrymis, exigunt pœnas, si aliis nocere non datur, ne vindicta pereat.

Novam mihi hæc vitæ Chimæra (quę etiam virorum est) cogitationem iniicit, & ni fallor probabitis. Thebanorum fratrum odia adeò constanter perseverasse referunt, ut simul cremari post mortem teterrimi hostes sine rixa non potuerint. Ex amborum contactu quasi hausta antipathia ignis à se ipso dividebatur, & quæ flammæ pars cadaver unius corripuerat, ne in ipso rogo convenisse viderentur inimicissimi fratres, recebebat ab altero: Non acrior certe inter hos alienatio viguit quàm quę inter (ut Paulus loquor) veterem hominem novumque invenitur: simul enim consistere nequeunt: in mutuam cædem armati, vel vi, vel insidiis certant, nunquam fœderis aut ejusdem flammæ patientes: nam qui novum hominem adurit ignis divi-

nus, veterem fugit ut sordidam materiam, nec ulla re magis dignoscuntur pugnaces, quam dispare incendio. Ambos tamen homines in unum quasi corpus coiisse dicas, si plurimorum institutum, moresque perpenderis. Iterato sæpius divinorum usu sanctitatem profitentur, nec sæculi tamen ineptiis aut cupiditatibus renunciant: concionatorum æque ac mimorum auditores benevoli: sequi faciles, sive ad monasteria, sive ad publicos Ecclesię ritus, sive invitentur ad choreas.

O portentum nostræ ætatis! quis veterum Patrum unquam credidit tam dissimilia uniri potuisse? O quam longè recesserunt ab illo domini consilio chimærici homines! nolite possidere duas tunicas! obsoletam, laceram, turpem novo indumento cumulavere; spoliari enim prohibitis non sustinent, ut optimis contegantur: & ita amant mutari ut maneant quod semper fecerant, sæcularium scilicet affectuum fidelissima mancipia, & in ipso Christi obsequio (cui se dedere) vanitatum sectatores. Hos tamen ad sacras epulas singulis aliquando hebdomadis non pauci sacerdotes admittunt, cum ista utique noverint; ut jam plurimorum opinione arctiorem vitam non postulet mysteriorum frequentior usus, satisque sit ut quis sæpè ac laudabiliter dominicæ carni consocietur, à gravioribus culpis abstinuisse.

Non ego plura: tum Ismenas in severissima materia hac die multo me jucundior. Nostro sęculo, inquit, illud Isayæ vaticinantis videtur impleri, erunt prava indirecta

& aspera

& aſpera in vias planas : plurimorum namq; Theologorum charitate proviſum eſt, ut quid quid arduum habebat illa via quâ ad cœlum majores pervenere, ad faciliorem inceſſum ſub noſtris veſtigiis complanaretur. Strictam quoque laxaverunt, ut commode poſſet adiri; & toto opum comitatu circunſepti divites ad felicitatem illum gradum facerent quæ prius tantummodò impedimentis carnalibus nudos, ac omnium rerum inopes ſolebat admittere. Iam ſecurè agamus, Cœli fores dilatatæ ſunt: antiquis dictum eſt, concendite intrare per anguſtam portam: nobis: nihil tale conemini: Chriſtiani eſtote, neque propterea à pompis, ſi itas mos voluerit, à ſaltatione, ab epulis lautioribus, à comœdis, à jugi ludo abſtinete: ab his omnibus vos excipiet citrà ſcandalum, jam dari facilior Euchariſtia.

Quia res ſeria agebatur, elegantem ironiam ea urbanitate interrupit Hermias, ut Iſmenas ipſe probaret ſe ad fortiora invitari. Ita eſt, inquit, Iſmena: paſtus ille cœleſtis vocabatur olim cibus grandium, nunc quilibet parvulus ad arbitrium deguſtat: neque obeſt huic cum Chriſto familiaritati, vita vulgaris. Sed quid verè de Chimæra iſtâ ſentias quam modo Firmianus inſectatus eſt, libenter à te audiemus: non enim illam ſatis noſſe videris, niſi acerbiùs exagitandam autumas quàm jocis ac ſcommatibus.

Ergo, inquit Iſmenas, ne puter in hac materia alium à vobis ſenſum induiſſe, à riſu temperabo: Licet forte rigidis ſermonibus aliquid non ineptè ſucceſſiſſet, quod me tamen cogitis

præ-

prætermittere. Dum ſe colligit ut validius feriat, graviſſima dicturum revocavit à propoſito Hermias ipſe, ne cæteris illam voluptatem tolleret cujus alter deſiderium fecerat: & mox iterum atque iterum rogatus, ita Iſmenas orſus eſt.

Multum placet quod de falſis germaniſque Oratoribus ſcripſit græcorum omnium feſtiviſſimus. Iuvenem fingit eloquentiæ cupidum, ſed ignarum viæ quâ ad illam pervenitur: nam duæ, ſed contrariæ occurrebant, & incertus cui ſe committeret adoleſcens, hærebat in bivio flexuoſa una ſaxoſaque, nec impunè ferenda, ſpinis undique ſurgentibus. In hujus aditu ſenex videbatur, placido vultu, qualem Platoni fuiſſe referunt; intoſa barba promittebatur in pectus; & his conſentiens veſtis, modeſto nitore præferebat ſapientiam.

Adoleſcentem invitabat quidem tanta ſpecies ut viro loqueretur: verum prohibebat reverentia; quod ut ſenex advertit, ſuaviter in illum intuens, ſi quod iter inſtituiſti, ô Iuvenis, inquit, habe me pro Mercurio. Hic enim ſto ut inſcios viatores ego peritus viarum meo conſilio dirigam. Ad quem ita adoleſcens: Diu eſt quod ad eloquentiam iter facere conſtituo; qua certius via eundum ſit: Igitur doce, Pater, neque ſine ad honeſta properantem irrito labore aut periculoſis erroribus implicari: Hac itur ad illam, referet ſenex viam digito indicans quæ ſaxosa asperitate totque ſpinis ardua erat. Hac contendit aliquando Tullius, hac Demoſthenes, cæterique qui facundiæ laude apud Latinos, Græ-

coſ-

cosque floruere. Ut optatum finem consequaris, tibi sumendus est animus, ô adolescens! nam plurima occurrent quibus lacessatur patientia. Incedendum erit non per diem tantummodo, sed etiam cum cæteri mortales somnum petent: nec de comitum solatio multum spera: ibis sæpè omni consortio destitutus: hæc enim via nostris temporibus infrequens est, ut tu vides, quam si constanter teneas, in ipso extremo, fatigatus, & jam dignus qui quiescas habebis eloquentiam.

Ex adversa parte via erat, trita magis nec viatoribus injucunda, in cujus initio hęserat vir quidam florenti veste conspicuus. Hic cum adolescentem vidisset colloquentem seni, primum risit, quòd ab homine cui sua ætas omnem venustatem ademerat, peteret de eloquentiâ consilium; tum sic ad juvenem. Quid cum sene isto tempus conteris? Multi eodem animo, quo tu ad illum accesserunt; sed quam pauci verboso fidem habuerint, ex ipsius viæ solitudine coniice quem tibi necessariò tenendam ineptè proposuit. Nam quis, nisi mente captus, tanto labore, tantisque sudoribus velit eloquentiã adipisci? Antequam ad illam perveneris, aderit senectus: & quis fructus, sero eloquentem esse, id est, posse benè fari, cum vicina mors adeptum te quod concupieras vocabit ad silentium?

Molliori itaque via uteris, sed & breviori, si me audias, ô adolescens! pro spinis enim flosculos habebis amœnissimos: ubique occurret quod placeat: ibis non quidem qua Cicero atque Isocrates, sed qua pergunt hodiè opti-

mæ

mæ fortis viri quidam, quibus exigua literatura, & placendi fœminis singulare propositum. Hos omnes habebis socios, qui structuram ac suavitatem verborum magis quàm rationum vim aut altos orationis sensus ponderant: & quam putas jucundum in eos incurrisse homines qui tanto successu venustis studuere?

Fictionem hanc quis non dicat veritati consonam in ea materia quam tractandam suscepimus? Quippe jam duplex esse videtur ad æternam felicitatem via: arctam & asperam ostendit Christus, quam & ipse tenuit; vestigiisque ipsius inhærentes Apostoli crediderunt nisi arduis & naturam, ubi insolescit, severe prementibus, ad cœlum perveniri non posse. Hoc uno animo censent vetustiores Theologi, nec bene dici Christianum, qui à pompis hujus sæculi non abstineat. Theatra, nimios vestimentorum cultus, capillorum in tot undas ac serpentes decidentium operosam artem condemnant: illos si consulas, dicent, viam carpe strictiorem: nam quæ latè sternitur, improvidos ducit ad certissimum interitum.

Ad hæc si trepidat animus, habet mitiores Theologos qui paventem sublevarit: ea omnia concedent quæ alii negavere, saltationes scilicet nocturnas: ludos tanquam in animi laxamentum necessarios, quibus tamen damnum frequens ac proinde mœstitia comparatur: opulentam, laxamque vestium superbiam, pretiosa monilia, graves lapillis inaures, quotidiana convivia, tortiles comas; denique comœdiam, ne quid desit Christianæ remis-

remiſſioni, poſſitque in colendo Deo juſtè conqueri natura delicatior, ſe vetitis nimium premi, quam facilem ad pietatis officia habes ſi illi hæc omnia indulſeris. Doctrina hac eſtectum eſt ut Chimæram haberemus, de qua inter nos ſermo; monſtrum illud vitæ dico, contrariis ita compactum ut judicare nequeas utrùm magis ad Chriſtum quàm ad ſæculum pertineat.

Verſatili prorſus ingenio erat Alcibiades qui Athenienſes delicias ad arbitrium poneret, ubi proferenda erat in graviore populo Spartanea ſeveritas, ex locorum varietate, ut de Polypo dicunt, colorem mutans, ſolutus cum voluptariis, cum ſobriis parciſſimus. Mulierem novi ea morum induſtria flexilem ut cum monialibus penè ſit monialis: Verum cœnobii ſepta egreſſæ illicò redit ille faſtus, illa vitæ mollities quam omnino in clauſtris videbatur exuiſſe. Vt imitatrices haberet ſui inſtituti, hanc quoque vivendi rationem ſuas filias edocuit: alternis piæ ſunt, alternis ſęculares: nam lucente ſole, ſi dies feſtus agitur, verbum Dei libentiſſimè audiunt: nocte mimorum ineptias à ſe ipſis jam alienæ, cum cæteris auſcultant: partitis ea prudentia officiis, ut Chriſtus habeat quod ſuum eſt, neque mundus, quem & ipſæ religiosè colunt, ſuis deſtituatur honoribus.

Acutè Virgilius ſcripſit diviſa fuiſſe tempora inter Jovem & Cæſarem, quod nocti pluviæ ſucceſſiſſet ſerenus dies ſpectaculis aptiſſimus. Ita agunt hodie plurimi, ut Deo ſuas partes concedant, ſæculo ſuas, qualis fuit

ille cui alter venustissimâ insultatione suam Chimæram exprobravit. Mane repetitis prolixâ religione precibus altaria fatigaverat, & etiam sumpserat Eucharistiam : post meridianas epulas, ludo se oblectarat cum amicis, ne inurbanus videretur : tandemque rogatus ab aliquo, in illius domum sub noctem concesserat ut Comicos actores audiret qui nuper ab Italia venerant, inter peritos suæ artis, ut dicebatur, eximios. Non tulit hanc vitæ mixturam aliquis, & ut versicolor homo quid peccaverat agnosceret : felicissimum me, ait ille, cui una dies contulit ut tertiò in te sic incurrerem : nam mane te vidi cùm sacram synaxim acciperes, multâ certè cum pietate : ludentem post prandium : nunc vero ut jucundè claudatur dies quem inchoaverat religio musicis ac mimis operam dantem.

Ad hæc verba excanduit vir ambiguus ; mox in ultionem injuriæ ; & opportunè advenisti, inquit, nisi enim adesses tu comœdia cujus est exhilarare animos audientium, histrione caruisses. Nec contentus hoc stimulo, addidit, indecorum prorsùs esse, immeritis cavillationibus hominem peti, qui remissionis honestissimæ gratia, invitatus, nec absque suorum Theologorum consilio ad illud spectaculum accessisset : sed tumidum sibique placentem, quòd tam bellè amovisset contumeliam, illicò compressit expedita responsio : ut Eucharistiâ pastus, inquit alteri rectè hic adesse videreris, Lesbiam regulam consuluisti. Ne jurgarent ulteriùs, obstitit qui mox in theatrum prosiliit primus actor, & maximè nobilis

bilis viri sic breviter dicentis authoritas: suus cuique rei locus sit; sinite, quæso, lætari nos; neque enim tempus est quærendi quid rectius Theologi sentiant: graves nobis erunt comœdi si hic admittitur conscientia. Cùm ista referret Ismenas, risu omnes soluti sunt: statimque in Hermiam uno quasi consilio respicientes, silentem invitabamus ut aliquid in somnium suum diceret.

Grandis mihi Chimæra videtur, inquit ille, reformatio morum deterrimæ hæresi consociata. Neque putate me de Calvinianis loqui: absit enim ut reformatores dicam qui non fidem tantùm sed & mores ita depravarunt, ut sacerdotibus cælibatum; monachis sua vota, suos cucullos; omnibus denique pœnitentiam ademerint. Vt quisque liberiùs peccaret noluerunt revelari illa voluptatum probra, quæ integritati Christianæ ut & Deo semper audacius injuriosa sunt, ubi frænum verecundia deest, quod compescat insaniam. Sustulisset pudorem vitiis, jejunia corporibus, ut duplici pastu incitata, in libidinem acriùs exardescerent, non reformatio morum est, sed corruptela vitiorum.

Quis prostitutam rectius appellaverit Ecclesiam quæ virgines habet Deo sacras, illasque ad nobile consilium provocat, an disciplinam illam salacem cujus documenta si audiantur, id efficient ut credat orbis Christianus, extra conjugium non posse diu pudicitiam conservari, cum tamen & ipsa tot viduas anus habeat, tot nubiles puellas, longo cœlibatu, plusquam volunt totis aliquando urbibus notas;

tot

tot deniqne ſine uxoribus viros, quos omnes noxiis ignibus aduri neceſſe eſt, ſi diuturna non datur niſi in conjugio caſtitas, & periculoſo inſtituto ſe involvunt illi omnes qui ſolemni voto eam vitæ formam profitentur, quam Paulus omnibus Chriſtianis, ne pauci in eam contenderent, ut ſibi exoptavit.

Igitur de Calvinianâ inſaniâ ſileo: Alia eſt quæ etiam reformationis famâ nota perniciem ſuam cautiùs tegit, ut qui illâ afflatus eſt, omninò ſit alienus ab Eccleſiâ, & tamen ſimul videatur Catholicæ modeſtiæ ſectator conſtantiſſimus. In meam ſententiam faciles ibitis, ſi quod mihi accidit, anno præterito nonis Martij, nunc referam. Heliodoro ſocio iter aggreſſus, contigit ut ab inſtituta via, aliud cogitans, nimiumque comitatu illius delectatus, longo errore abducerer: nec obortâ noctè jam ſpes erat ad illum locum perveniendi qui nocturnæ quieti deſtinabatur; maximè cùm nulli tunc occurrerent viatores qui devios in amiſſum iter reſtituerent.

Dum incerti in eâ oculorum mentiſque caligine equos incitamus jam ad omnia pavidos, & quid ſperandum ſit aut timendum expectamus à fortuna, murorum ambitum cernimus, inter tenebras ſuo ſe candore prodentium: nec dubitavimus præpotentis alicujus viri eſſe qui in ſuæ domus cuſtodiam & dignitatem generis, tam celſos, decoroſque conſtruxerat.

Ad fores mox facilè devenimus ducentibus muris: & ut eas timidè pulſavit Heliodorus, ſtatim adfuit qui ſtratum in ipſo aditu poſuerat;

rat; verùm non aperire facilis janitor, donec sciret qui peterent admitti & certior referret ad dominum. Quęrenti respondit Heliodorus, duos equites esse qui aberraverant à viâ, neque possent gravis cæli injurias declinare, aut ferarum occursum sylvis vicini, nisi Christianâ charitate in eas ædes reciperentur. Ignotam vocem, eâ horâ, non tamen rigidè excepit ostiarius, ut jam de domini humanitate animum subiret opinio. Mox ab hero reversus, cum duobus famulis qui faces præferrent, januam soluit.

Nos amicos, nos affines putares, tanta fuit omnium in novos hospites gratulatio. Dum curandos equos sollicita diligentia equarius deducit ad stabulum, in triclinium intramus: nec passus nos ad se accedere dominus, alacer & toto vultu mansuetudinem præferens obviam venit cum uxore ac liberis, multum lætatus, ajebat, quod hic error tanti meriti viros ad se perduxerat, dignos omninò quos & ipse multis erroribus quæreret, si ductore destitutus, à solo casu sua esset expectanda felicitas.

Quid urbanissima humanitate dignum referrem, non inveniebat animus; ne tamen silentio beneficium exciperem, dixi breviter: amicam tempestatem eam haberi, quæ ad meliores plagas classem appellit quàm quæ ex nautarum voto petenda erat; neque nos verè deviasse, qui tot virtutibus illustrem domum, ventis jactati, pro portu haberemus. Illo posteà nos ad ignem invitante quem addito pabulo grandem excitari jusserat, modico tempore inter lætissimos sermones depulsum est quidquid

quidquid injuriæ nobis frigida ac madida tempestas intulerat.

Interim dapes festinanter parabantur hospitibus, nam familia jam à cœnâ surrexerat, nec expectatus aliquis solitam horam præterire coegerat sui instituti tenacissimus. Allatis epulis; præcipuum condimentum fuit, pietas; & mirante me virgines aliquas impediri in conficiendis vestibus, dum aliæ varia unguenta igni admovent ad ægrotantium levamen, subridens mulier nobilis dixit; ex quo didicisset à sanctissimis viris divites à Deo institutos ut curatores essent pauperum, quantum potuisset egisse se, non ut suis tantùm facultatibus, sed & suo labore ac filiarum operâ sublevarentur. In his tempus meliùs teri quàm in comparandis illis omnibus quæ ad cultum corporis pertinent, vel ad copiosæ supellectilis inanem superbiam: neque enim petiturum Christum an vestis aut domus fulserit; sed an egeni habuerint quo alerentur & nuditatem suam contegerent?

Sed nec à labore abstinebat illa, cùm hæc diceret; nam sericum velum quod propediem, in solemni festo, altari inserviret, nec dùm ad oras circumductum aurum acceperat, diligenti pietate perficiebat.

Inter hæc puer adfuit egregio vultu, suæque ætatis blanditiis venustissimus, à quo cum quęsivissem anne Catechismum didicisset (hoc autem petebam quòd in eâ domo nefas erat, de sacris non loqui) statim jussit mater amoveri filium: tempus enim quietis adesse; eamque ætatem ita disponi ut faciliùs cibo quàm

quam somno careat. Verum ille puerili vanitate incitatus, recitare cœpit quod memoriâ continebat, repugnante matre sciri ab ignotis, alios sensus suæ familiæ esse quàm quos Roma profiteretur.

O Portentum reformatæ vitæ simul & hæreseos! Catechismus erat ille quem nuperrimè supremus Pontifex damnaverat. Recedente mox puero, petivi à matre an sciret ejusmodi doctrinam à Catholica veritate aberrare; sic enim ex cathedrâ pronuntiasse Pontificem? Quæ verò illa cathedra, inquit mulier, an lignea, an lapidea? Cujus enim naturæ sit, vix Doctores vestri explicuerint. An Papa quæ credenda sunt declarare non poterit, nisi sedeat? Plura dixit in Pontificem, neque culmen illud reverita, accusabit inscitiæ ac temeritatis quòd doctiores se perculisset illâ sententiâ, & non advocato Concilio in fidelium mentes tyrannicum dominicum usurparet.

Ab his transivimus ad alia, consultò de variis fidei rebus quærente me, ut illa ingenia, sinus illos, ubi tanta delitescebant, penetrarem profundius; Aliter quàm nos de pœnitentiâ loquebatur mulier, de indulgentiis contemptim: aquam illam cui sacerdotalis benedictio superuenit, irridebat silens, ut & quosdam alios Ecclesiæ ritus, quibus non adumbrati Catholici adhibent reverentiam. Sanctos verò, ipsamque Virginem Mariam licet apud Deum potentes, ajebat tamen frustrà precatores adhiberi, si facilem accessum habemus ad illum qui neminem (modò verè doleat) propulsare consuevit. Nescio quid de Eu-

charistia

chariſtiâ ſubobſcurum fari incœperat; ſed uxore cautior maritus, dicentem ita avertit à propoſito, ut videretur de ſolâ hoſpitum quiete laborare.

Igitur in paratum conclave juſſit faces inferri, ubi jam ignis maturè in fumario accenſus tardiores expectabat. Illo deinde comitante, præviam lucem ſequuti, mox ut nos excepit, multo cum honore, locus quietis, optimam noctem mutuò nobis optantes, ſeparamur in craſtinum.

Liberioribus colloquiis ſolitudo debebatur: & jam te unicum habeo, inquam, ô Heliodore! Putaſſes in eâ vitæ reformatione, in ea languentium ac pauperum curâ tantam ſuperbiam inveniri ut nolit decretis ſummorum Pontificum acquieſcere, credatque, non quod univerſa Eccleſia; ſed quod ſibi paucorum hominum erudita cæcitas infudit, de qua David's illud optimè dixeris: Nox nocti indicat ſcientiam?

Vidiſti ut illa mulier obliqua cavillatione damnavit Eccleſiæ mores, de quibuſdam malè ſentiat: de aliis dubitet? Animum in multis aperuit riſus, & ad domeſticos nutus illi frequentiſſimi dum ego de Catholica veritate loquerer. Iuxta Aſphaltitem lacum dicunt reperiri arbores inaniter fœcundas; poma enim habent oculis quidem jucundiſſima; ſed ſi manum admoveris, in cineres abeunt. Solidior non mihi videtur probitas iſta quæ vera fide deſtituitur: & certè, ne tam bellis coloribus incautos aſpectus eludat involuta opinio, juvat ex tactu cognoviſſe.

Quid

Quid in illa domo vidiſſet ſic narrante Hermia ſolus non mirabatur Aſterius: cur enim ſtupeam? inquit, in Chimæram iſtam ſæpe incidi, utinam & cecidiſſem! verùm fortior me requiritur aliquis Bellerophon qui triforme monſtrum felici dimicatione perimat.

Vario prorſus genio ducitur illa beſtia: nam ubi clamore agendum eſt, rugit ut leo: ubi mitius, & luxuriantem ad communia paſcua neceſſitas adigit, capram agnoſcas: & mox ſerpentium more varios in orbes flectitur, acceditque ſilentio, ſi in ſuos profectus calliditas, facillimique corporis lapſus utilior judicatur. Quid terribilius illa ſecta, dum putat nunquam eò audaciæ proceſſurum Pontificem, ut decernat quid credendum ſit? quandiu viſa eſt timere aut deliberare poteſtas, totus aër audaciſſimæ diſciplinæ perſonuit clamoribus. Non multò poſt ut ſenſit ictum, furore compreſſo obmutuit, tulitque ad conſpectum orbis duriſſima ſibi vincula, quaſi ſponte ductorē ſequeretur. Quàm lubricè nunc pergat, nodis vipereis non ſuſpicioſos animos implicet, infundatque in venas noxioſiſſimum virus, vix credat qui non vidit.

Nam quæ major ſolertia, quàm fingere ſublatum omninò fuiſſe monſtrum illud: jure pro pueris habendos qui trepidant ad immanis beſtiæ memoriam, quaſi dentes haberet & ungues, quod jam nullum eſt: ita fatuos quidquid terribile cogitaverunt, metuere, nec ſe in propriis focis ubi amica ſunt omnia, ſecuros arbitrari?

Intereà tamen revocato ſtrictius fœdere, pervicacia; colloquiis; libellorum ſparſa cor-

ruptione, peccantium error fovetur: & quò faciliùs serpat, in egenos liberalis prodit; dulcissimus in mulieres, elegantiâ sermonis, ad pecuniarum verò comparationem quas sibi novit necessarias, in divites urbanus: denique non ex Apostoli spiritu; sed ex malitiæ ingenio, omnibus omnia fit, ut omnes decipiat.

Non plura in hoc somnium dicta sunt, licet grandis materia ad ampliora provocaret: nam petebatur Asterius, & illo abeunte, soluta est dissertatio.

REGINA OPINIO.

SEXTUM SOMNIUM.

BReve quidem hoc somnium, multa tamen in illo sunt quæ Lectorem moneant, & attentum desiderent.

Quis Principum ampliores terras obtineret, aut fideliori obsequio coleretur, quærebat apud se, compositus ad quietem, Hermias, cùm subito somno oppressus est. Tot Regum refertus imaginibus, nihil nisi regium cogitare poterat dormiens, neque mirum quòd Reginam Opinionem sibi finxerit, imperioso ore, judicandi, vivendique leges omnibus dantem.

In altissimo solio consederat, sed videbatur instabile, ut si quis validè concuteret, citò tota rueret cum suo cultu majestas: verùm nemo in eam audebat, quòd sacra res ac timenda crederetur. Circa eam variæ fortunæ atque ætatis numerosa multitudo, ad contraria facillimè propendens, expectabat quid decerneret. Illa, quia princeps erat, ex usu princi-

pum quosdam gratiosos habebat, quosdam aversos, nec fatuis destitutum erat latus qui mœstam oblectarent: nam jubente illa, aliqui utres vento plenos labris & ore premebant, quasi nutricum ubera sugerent, moxque inflati mirabantur latitudinem suam: & hos turba vocabat viros amplissimos.

Neque minor erat voluptas quam ex aliorum ineptiis capiebat: verum ut sat vacavit iocis, visa est ad seria converti, jussitque sua promulgari statuta quibus à nemine reclamaretur Sed dum silentibus universis legit pręco, probanturque magno adstantium assensu insulsissimæ leges & ex parte etiam durissimę, subitò comparavit armata Pallas, ad cujus conspectum cum fugisset trepida opinio, mutatis omnium animis, ex communi suffragio Dea conscendit in solium, eaque sapientiâ sua decreta proposuit multitudini ut cerebro Jovis natam nemo prorsus ambigeret.

Somnium hoc non pronuntiavit quidem Hermias; sed absenti mihi significavit per epistolam, quam cùm ostendissem Asterio, in hunc modum rescribere ipse voluit, tanquam ad se mitteretur.

Ex hoc me liberalem scias (Hermia) quòd cùm ad me non scripseris, tibi solvo quod non debeo. Multi sunt eo avaritiæ genere sordidi, ut faciliùs amicis pecuniam dent quam epistolam: quod pendere Firmianus instituerat, læta manu tribuo nihil tale à me expectanti, id est illo cessante; lubens sic volvo tuum de Regina Opinione somnium.

Optimè Reginam vocavisti, latè enim dominatur opinio, neque orbe minus est imperium illud cui tot gentes, tamquam in suum malum convenissent & decipi placeret, tam libenter obtemperant.

Thronum ejus dixisti instabilem esse, quia per se non stat opinio; vaga enim res est atque volubilis, & ideò illam à scientia distinguebat Plato, quod scientia firmissimo vinculo hæreat menti, opinio autem insit in animo, non adhæreat; facile enim inde evellitur quod leviter admissum nec judicio sancitum est, nisi obstet pervicacia; nam ubi voluit, nihil est opinione stabilius; & frustrà Socrates laboraverit, licet se à Deo missum jactitet ut obstetricis officio defungatur, & ab animis avellat adulterinos illos opinionum fœtus, quos perversè conceperunt. Itaque mutabilis est ex natura sua opinio, & vitio nostro constantissima, quod sæpè evenit, & maximè videtur in populo.

Puto audivisse de muliere illa Senosensi in cujus utero puer plus viginti annis mansisse fertur, servata figura in saxum versus, & toties matrem ad partum statis doloribus provocans, quoties nonus mensis occurreret. Prodigium non existimo infantes in parentum alvo lapidescere, neque per tantam annorum seriem ad ortum usque perduci: nam si animos non corpora respexeris, quotidianus rerum humanarum iste cursus est, ut semel admissa communi errore opinio, tractu temporis potius solidetur quàm exeat ab animo.

Quibusdam opinio propitia est, quod illius bene-

beneficio felices ſint : quemadmodum illi contigit qui triremes Athenienſium ſuas putans, tantâ lætitiâ fruebatur, ut reſtituto poſteà convenientibus remediis cerebro, graviter de medico quereretur qui tantam claſſem, tot opes, jucundiſſimè inſanienti, importuno poculorum uſu ac nimiâ charitate rapuerat.

O te ſapientem! Hermia; nam quicumque veris animi bonis deſtitutus, inaniter exultat; quia cæteris potitur quibus non efficitur melior, neque egeſtatem ſuam novit, opinione beatus eſt.

Alii etiam ſunt quos non ſua quidem opinio beat, ſed aliorum. Modica eſt aliquibus litera; quia tamen eruditionis ſupercilium ſumpſere, libros habent, authores non ineptè citant tanquam ſibi notiſſimos, & quod ſcientiæ deeſt, obvelant ſagaci ſilentio, ſæpe doctiſſimorum virorum famâ claros videas, nec rarò dignitates etiam conſequutos, tribunalia, præfecturas Eccleſiarum, quas alii juſtiùs & ex meritorũ præſtantiâ habuiſſent, ſi faviſſet opinio.

Miror certè, veteres, qui fortunam inter ſua numina coluere, opinioni, quæ tot bona largitur, non obtuliſſe victimas. Ordine fortunam antecedit opinio ut famulam domina, jubetque ſequacem tribuere quodcumque ſive opum, ſive dignitatum ſuis alumnis deferri conſtituit : & tamen cum altaria & ſacrificulos habuerit fortuna, ſupplicesque qui averſam religioſo cultu placarent, opinio, quæ gradu prior eſt, ſine templis & ſacerdotibus fuit; neque unquam aliquis, quod ſciam obſecratione ſtuduit eam ſibi conciliare cuius ſuf-

fragio tam fauſte diteſcunt plurimi, etiam ſine merito, fruunturque præcipuis honoribus.

Quàm ſit autem noxia quandoque opinio, dicam. Multi defectu patientiæ dolores ſibi geminant: grande enim onus eſt, leviſſimum licet, quod omninò inviti ferimus: alio modo vis? Sarcina non ex ſe rectius æſtimatur, quàm ex animo: ſi non facilis, at ſaltem tolerabilis eſt, ſi portatur viriliter. Verum ubi credit æger aut calamitoſus ſe morbis quibus affligatur, aut ærumnis imparem, ex ea cogitatione fit malorum illorum acceſſio quæ neque natura, neque ſors induxit, licet in utramque miſer totos queſtus effundat, tanquam nihil ſuo authori nocuerit vana & crudelis opinio.

Diſtinctione utar. quædam mala ſunt quæ tantummodo patimur: alia quę & patimur & facimus, adeo tamen ignari unde venerint, ut extrà nos quæramus artificem. Aliquis accepit injuriam quæ nec ictum intulit corpori, nec nocuit facultatibus: caruit honore quem ſibi deberi exiſtimabat: cum ſalutationem expectaret, ab alio contemptus eſt: indè ſe graviter læſum dicit aliena malitia, cum tamen ſenſibus fortuniſque integer, idem homo ſit qui fuerat, antequam negatione honoris ſe petitum quereretur. Vulnus iſtud opinionis eſt, non injuriæ: qui illam contemnet, aget quietus, nec de ultione cogitabit qua ſuus dolor ſanetur, cum nullum admiſerit, & fruſtrà quærantur remedia, ſi abſit quod curandum eſt.

Conſtantini Imperatoris effigiem marmoream in ſeditione furens populus violaverat: nuntia-

nuntiatum eſt Principi & clamantibus aulicis Cœſaris vultum ea plebis inſania concerptum fuiſſe, ſcelusque illud mereri quidquid in Majeſtatis reos æquiſſimæ leges ſtatuerant: videamus, inquit Imperator, an verè ſim vulneratus: tum manum vultui admovens, aliquem mihi nocuiſſe ex tactu certè non agnoſco: erravit populus cum in illo ſigno putavit lædi potuiſſe principem ſuum, ego magis ſi crediderim: non ita ſervio opinioni, ut ex illius arbitrio miſer fiam & plagas accepiſſe me exiſtimem, quibus ſolum marmor affectum eſt. Proinde remiſit injuriam, nec pro ſaxo doluit, licet ex arte Majeſtatem adumbraret.

Multas irarum cauſas amputat qui ab opinione liber eſt. Adeò nos delicatos præſtat, ut remota ſentiamus; ut cum noſtri iuris eſſe poſſimus, pendeamus ab altero, & precariâ quiete fruamur, dum in argumentum doloris illud omne convertitur quod contra nos loquuta eſt aut tentavit invidia.

Stultius eſt tamen mediis in opibus ſe egenum arbitrari, eo quod aliqua deſunt quibus celſior fortuna ab aliis ambitiosè diſtinguitur: ſic enim opinione paupertas fit, ubi non eſt, & vocatur inopia, menſam tuam non extrui Principum cibis: ad ea te cogi quæ nec peregrina, nec cara ſunt: plures ſervos te non habere quàm quos noſſe queas, aut in villis multiplices domos inutili luxu ornatas, quæ dominum ſemper expectent & nunquam excipiant. Quid opinione crudelius? Illud agit ut tenuitate laboret cui nihil deeſt præter ea

ut tenuitate laboret cui nihil deest præter ea quæ majorem tumultum efficiunt.

Quod de viris amplissimis scripsisse æquè jucundum ac verum est, neque miror tuæ Reginæ placuisse fatuos istos, qui vento distenti, tanquam cæteris augustiores, seipsos suspiciunt, totasque vias, velut phalerati quidam equi, suo fastu complent, ne aliis locus sit. Nisi latos effecissent sui utres, non curarent adeò spatiosas domos sibi construi, ut inspectâ fabricâ quisque facillimè possit de dominorum rumore judicare.

Quæ sit aliorum insania, dicam breviter; neque enim librum scribo, sed epistolam. Imperante opinione, in dies vestium forma mutatur: qui ad coxendicum initia penè descenderant thoraces, mox velut pœnitentia erroris revocantur ad humeros: Byssina quæ circa collum tantummodò luserant, hodie tibiarum quoque ornamenta sunt, ocreis miscentur, ut jam nemo nisi ad crura linteatus, equitet. Lunatos aliquando calceos vidimus qui mensuram pedum enormiter excederent: aliàs, quadratos contractosque quibus premerentur ungues, & dolor fieret incedenti: sed nefas est, indecorum aut incommodum ducere quodcumque jusserit opinio.

Pauca hæc de amictu dicta sint, ad corpora ipsa veniam. Hodie sylvas æmulantur virorum capilli; veniet tempus quo asperos calamis agros adumbrent, postquam alta & matura seges messorum manu præcisa est. Quæ nunc venustatem capitis commendat opinio, suadebit utilissimè deponi quod sine sudore,

aliisq;

aliisq; incommodis sordidioribus foveri non potest; ita tamen ut iterum velit sylvescere quod ut superfluum noxiumque damnaverit.

Durius est in fœminas istius Reginæ imperium. Frontem expilant cum opinio sua suasit formam augeri eo cutis supplicio, nec eleganter comas emergere, nisi multum recesserint. Posteà labor est ut à superciliis modico intervallo separentur & melle ac unguentis solicitatur capillus ubi primum noluerant. Nunc compresso corpore pene eviscerantur ut graciliores appareant, si exilitati pretium fecit opinio: nunc spissis, duplicatisque vestibus, etiam æstate, se contegunt, cum primum placuit; quę prius contempta fuerat, corporis forma crassior.

Quam Palladam vocas è cerebro Jovis natam, ad cujus accessum opinio fugam adornat, ego rationem dixero sive sapientiam: sola hæc enim ab opinionis tyrannide miseros mortales eripit, ostenditque quid sentiendum & quid agendum, ut homo nihil leviter credat, aut inepte moliatur.

Illud tamen non egerit ratio nisi armata; nam debilis non habet unde Reginam Opinionem è solio suo deturbet. Etiam infantes comprehendit hominis definitio. Sed quia in illis organorum defectu ratio involvitur, illóque humore laborat quem ad corporis augmentum copiosè ministrat sagacis naturæ providentia, vix aliud præter animal in infantibus deprehendes: nam quod rationale vocamus, sensim quidem emergit; sed quot nugis impeditum! in illis plures anni insi-

pienter effluunt; & septimus nondùm benè crepundia amovet ut aliis ineptiis detineatur, donec tempus illud venerit qno pateat quàm laboriosè quamque tardè homines sumus.

Illa tamen mora, quia lex naturæ est, nec ab ea mortalium ullus absolvitur, nemo mihi jure exprobrare potest, quod antequam in me pueritia adolevisset, ligneos equos conscenderim, & rudi simplicitate crediderim illa omnia quibus pueri luduntur à majoribus: necesse est enim ut debilis & inerudita ratio tam falsis quàm veris assentiatur, si facili nec suspiciosæ ætati jocosus aliquis aniles fabulas exposuerit.

Sed pudor est, provectæ ætatis homines adeò puerascere ut mirentur quidquid suspiciendum proposuit opinio: piscium putamina, verrucas concharum, sic enim gemmas vocat Tertullianus, illudque omne quod ad evacuanda marsupia tantis periculis quæritur.

Adamas qui hominum æstimatione cæteros lapillos longè superat, vitrum est, sed solidius: ut tam carè emeretur firmitas ista, suasit opinio, voluitque urbium pretia in pellucido saxo sæpè contineri, ut uno lapide dives mulier, tanquam de orbe devicto triumphans circumferret provincias.

Ut ista negligat aliquis, necesse est discedat à puero: idemque censendum de honoribus qui multum appetuntur, quia fulgent, nec minore stultitiâ comparantur quàm gemmæ & adamas quoties ingenti pecuniâ splendor iste emendus est. Tecum sentio, Hermia, nisi potens ratio sit, opinionem non detrudet, tot

tot annos assuetam imperio, tot acceptam suffragiis.

SEPTIMUM SOMNIUM.

CHAOS.

Illud optimè Lucanus his versibus descripsit:

Omnia mixtis:
Sydera syderibus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi, totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

Isto carmine factum est ut Hermias qui recens Poëtam legerat, eandem concussę naturæ depravationem insomnis conspiceret: nec alia nobis proposuit præter illud, an scilicet in res humanas aliquando caderet ejusmodi perturbatio; ad quem ego sic, invitatus à cęteris.

Quid sit nox non concipio nisi priùs noverim quid sit dies, neque puto cæcos ipsos qui ad tenebras à natura damnati sunt, de illis rectè sentire: ea enim notitia, qualiscumque sit, ipsa luce formatur, quam si non expertus est oculus, frustrà nitar pulcherrimæ ac jucundissimæ qualitatis absentiam comprehendere. Similiter, quid sit Chaos intelligam, si capiam quid ordo sit: quia verò definitur; suum cuique rei locum tribuentes dispositio; ubicumque justissimus ille rerum situs turbabitur, necessariò admittetur Chaos, quo nihil tetrius aut deformius.

Quatuor disparis naturæ liquores in vitreo globo aliquando miratus sum, ea corporum positione & varietate colorum ut referrent elementa. Qui enim in summo constiterat tanquam levior, ruber erat, nitidusque, nec ab igne dissentiens: sequebatur alter eximio candore pellucidus: huic tertius subjacebat eâ prorsùs viriditate quam videmus in pelago; & qui obscurior cæteris turbidusque, suo pondere ad ima descenderat. Ordo hic impermiste servabatur, & quia in eo videbam imaginem universi, recordatus sum Claudiani illius,

Iupiter, in parvo cum cerneret omnia vitro,
Risit.

Conversusque ad amicum cujus industria fecerat ut in tantillo tanta conspicerem: certè, inquio, etsi tuus ille labor nondum à Poëtis celebratus sit; tamen, quod ad gloriam multum est, Archimedem æquavisti: tum ille concusso globo, diversissimorum humorum concordiam, ait, justissimamque collocationem miratus es, ô Firmiane! vide nunc quid sit rerum Chaos & quàm malè natura habeat si misceantur universa. Motus ille ita subverterat ordinem ut jam non varii liquores viderentur; sed ex eis pravum aliquid & oculis injucundum, donec quiete concessa, sibi quique sensim restitueretur, seque ab aliis expediret qui permixtum corruperant.

Commodè sedem suam servant elementa: ignis sub concavo lunæ se ipso nutritur: aër spatium illud omne occupat quod ab inferiore superficie ignis ad nos usque interjacet: a-

qua

qua super terram extenditur: illa, tanquam fundamentum orbis, immota manet, ceteris circum pro varia cujusque sorte, perenne fluentibus: ignis enim ad proximi cœli legem volvitur, labitur aër, & aqua non genio minùs quàm ventorum quos admittit & sequitur, instabilis est. Chaos erit si descendant leviora: si cum suo elemento arbores ad Cœlum se transferant & novâ tempestate actum pelagus ripis suis non patiatur contineri. Confusionem augebit syderum casus & lites, non ut nunc fit; nam & occidunt & pugnant: sed si in pontum, ut canit Poëta, se tanquam novi pisces præcipitaverint,& Luna non ferat ipsum Solem, à quo habet ut luceat,suo cursu definire dies & annos, ut illa mutabili vultu menses solet nuntiare.

Jam ad tuam quæstionem venio, Hermia: petis an in res humanas aliquando cadat ejusmodi perturbatio? Ita est: nam id in regnis non rarò videtur, in familiis sæpè, in personis frequentius. Triplex ergo Chaos datur, politicum, domesticum & singulare. Ut faciliùs enodaretur ista materia, debuit præcedere distinctio, nunc ordine & viritim, ut dicunt, agendum est de singulis.

Optimus Regni status is est, cum inferiora subduntur superioribus & quæ cæterorum sortem excellitate sua superant, inter se consentiunt: sic enim elementaris natura suis continetur finibus, & astra concordiam servant, qualitatibus eâ ratione sociatis,ut si quid in uno vehementius sit & ardentius, aliorum amicitiâ ac nexu salubriter temperetur. Aequis-

quiſſimus ille rerum ordo, cum is cui commiſſum eſt imperium, legem dat, non accipit ab alio: ſuæque dignitatis memor; id eſt, ſe Solem ſciens, Zodiaco non digreditur, neque ſinit ſuas domos, ex quarum ſitu & conditione in ſubjectum orbem varius eſt, ab aliis ſyderibus uſurpari.

Nullum unquam turbatius Chaos fuiſſe arbitror quàm quod temporibus Caroli Sexti in Galliis viſum eſt. Dum in Britanniam Rex, ſuas ulturus injurias, cum ingenti exercitu proficiſcitur, repentè occurſu phantaſmatis ita demens effectus eſt ut mox in ſubditos ſuam videretur inſaniam effudiſſe. Solem tum habebat Gallia; ſed qui non moveretur neque diem ſuis daret: ingens malum, dignitas manſerat, radii defecerant: hinc cæterorum ſiderum concertatio, dum ſingula vicem Solis implere ambiunt, nec ſuſtinent, lucem, quæ novo ordine in terras effundenda erat, ſimul ab omnibus proficiſci.

Atrox prorſus luminum pugna, qua factum eſt ut ex pręcipuis unum, quod Soli vicinius erat, non modò aliquid ſplendoris amitteret; ſed valentioris impetu penitus extingueretur. Major tamen perturbatio fuit, cum illud cui maximé Cœlum debebatur, ipſo Sole & Luna authoribus, exturbatum eſt, ut expulſo ſuccederet Gallicis rebus infeſta lux, ſuoque aſpectu eam vaſtitatem inferens quæ niſi virginea manu, ſtupendiſque miraculis amoveri non poſſet.

Dum ſic decertant ſydera, haud quietior tellus aſſurgit, locumque poſtulat indebitum ſibi,

ſibi, neque luminibus ipſis ſubdi patitur, quæ prius, dum ſtaret adhuc rerum ordo atque felicitas, immobilem rexerant. Nullis legibus coërcebantur elementa, & ut licentius furerent, terminos omnes abſtulerat dirum Chaos, ſuas metas mare faſtidiebat jam rupibus altius & cœlo minabatur tempeſtates.

Hæc in Galliis aliquando geſta ſunt. Et quoties miſcentur officia; diſcordant inter ſe Principes, amplioris poteſtatis deſiderio, vel perverſa cupiditate volunt Majeſtatem experiri; rebellat plebs, ad conſueta onera ſe adigi non ferens, ambitq; timeri quæ priùs tranquillè jacuerat; Chaos eſt, illi prorſus ſimile quod Lucanus deſcripſit, Hermia, & tu vidiſti per ſomnium.

Ideò qui prudentiſſimi Reges fuerunt, ne mala hæc in publicum admitterentur, ſubditos Principes non ſiverunt nimium erigi, neque conceſſerunt jam copioſis opulenta matrimonia; ne tot rivis in unum alveum confluentibus, regno timeretur illa vaſtitas quam latè jacentibus agris inferunt ſtagnantes aquæ nec riparum patientes. Curaverunt etiam ne tot arcibus in eadem Provincia, totque civitatibus præeſſent, haberentur ex affinibus rectores urbium qui noxia charitate ducti, ubi poſtularet ſanguinis neceſſitas, ſpreta fide quæ debetur Regibus, iniqua molirentur. Eadem regnandi ſolertia ſtrenuos viros habuerunt in Provinciis, qui Proregum cœptis invigilarent, & dignitatum concurſu frangerent eam poteſtatem quæ cohiberi vix poteſt, niſi habeat æmulum.

Ita coactis ad officium Principibus viris ſi quando populus vel ſponte, vel ſollicitatus in-

surrexerat, sub ipsa seditionum initia jubebatur miles diligenti sævitia furentem comprimere: faciliùs enim impeditur Chaos quàm expellitur, & aquâ modicâ perit citò modicus ignis quem frustra toto puteorum haustu velis extinguere, cùm sylvam corripuit.

Quid aliud bellum civile quàm publica confusio? Non gloriæ stimulis aut æquitate geritur; sed insania. Quicumq; homo est, nullo discrimine miles fit, judex, patronus, agricola, sacerdos: unumquemq; enim ad arma cogit necessitas & circumstans periculum. Vario sacramento cives fidem suam alligant: urbes urbibus infestæ: timenda vicinia: patriam in ipsa patria nullus invenit, cùm ubique malè sit.

Quot templa, tot, expulsis sacris, castra sunt. In illis jàm nihil audias prèter armatorum strepitum: impia dejerantium verba, potantium raucas voces, si nihil urget & otium concedat vel dubia securitas: ovium balatus, mugitus boum humanis miscentur clamoribus, indicantq; quid suum miles illic custodiat aut vicinis rapuerit. Tuta sunt ubiq; scelera: tribunalia silent: justitia tremit: furor imperat: separantur ab invicem fratres ut in suum sanguinem pugnent: nullæ sine hostibus viæ, & ne securus lateas, insidias, ignem, impetum timet solitudo, cui te tuaque commisisti, cùm egredi non liceat: musis ipsis sua collegia bellum claudit: jubet arma: cessant artes, nisi quæ paci infestæ sunt: inopia fit omnibus ut pauci crudeliter ditescant: & prædones adeo multiplicat publica paupertas, ut egeni, quos ad novam audaciam nova fames incitat, non minùs viatoribus timendi sint, quàm milites. Pu-

Puto vobis exhibuisse bellicum in republica Chaos: suum tamen & pax habet: nam si ad munera non assumuntur, præclariora ingenia; nec merito dignitates, sed favori vel pecuniis dantur: Si quod natura jacere voluit, eminet: si sacerdos laicorum mores sibi adsciscat, sibi sacerdotum bona Laicus: si fortunis ingentibus non præfigantur limites quibus tollatur potestas invadendi quæcumque placuerant, & sic indomitus ignis totum aëre quem infrà se habet, totas mare terras absumat: profectò etiam in pace Chaos erit. Sed avertat Deus ut ista videamus quæ maiores nostri variis temporibus ad satietatem experti sunt.

Bellicos tumultus Rex noster; impubes adhuc, æquitate causæ suaque felicitate dissolvit: frustrà in virum insurgent, qui puero cessere. Majore vi radios spargit sol jam altior: quod præstitit oriens Majestas, fortiùs aget, si quid amovendum erit quod lucem impediat, cùm jam pervenit ad meridiem. Heroum arma quandiù pro illo pugnavere, victoria sequuta est. Nullus ab eo mihi profligandus defecit; cadunt vires quas ille fato suo non roborat. Quæcumqne in Regno adversus publicam quietem tentavit factiosorum perversitas, antequam noceret, solo Principis nomine compressa sunt. Pacem dabit felicissimam, quem sic bella reformidant. Nunc quid sit domesticum Chaos videamus.

Quælibet familia velut quoddam in angusto Regnum est; habet enim Principem suum, magnates quos commendat sua dignitas; ple-

bem

bem quoque, ab eo quidem fastigio longè remotam; verum cujus opera fit quodcumque Princeps jubet, postulatque communis utilitas. De familia illa loquor quam absolutam dixerunt veteres, cùm in ea nulla pars desideretur, & viro uxorem dederit legitimus amor, utrique natura liberos, fortuna servos qui accipiant imperia.

Regat vir; Sol enim est & injuste sibi potestatem Luna deposcit, nisi jus ad illam habeat præcipui syderis absentiâ. Magnum familiæ Chaos, uxor præsente marito volens, disponens, jubens, tanquam secundus haberetur quem natura primum voluit, & caput ipsa costa esset inferius ex qua mulier sumpta est.

Absentia certè mariti non solo funere æstimatur, sed etiam defectu ingenii; nam si ita natus est ut hebes sit aut levis, non indecorè videtur uxor id in familiæ bonum agere quod aliàs marito competeret: nam Luna facta est ut quoties abscedit Sol, vicario lumine mundum regat, eò facilius debilem vim dimissura in terras, quò illis vicinior.

Nil magis appetit mulier, quam imperium; quod si semel maritus permiserit, potestatem illam nisi cum vita non exuet; aut si contingat virum novis animis in neglectam dignitatem suum sexum asserere, nunquam bene subditam habebit uxorem quæ regnum amiserit. Ideo maturè curandum est ut agnoscat se sociam quidem esse; sed ut Reginæ consortes Regum sunt: ita enim ex communione tori supremos honores cum illis partiuntur, ut cum illis non imperent. Milites legendi sunt?

pro-

procuranda pax? ſublevandus populus? concedenda ſupplicibus gratia? id omne Regis non Reginæ negotium eſt: ſi quid illa optaverit, ut ſe ſubditam intelligat, precibus obtinet non imperio.

Simplices maritos quàm conſtanter dominari debeant ſuo malo Ninus admonet. Formæ illecebris captus uxorem habuerat Semiramidem, abjectiſſimæ ſtirpis ſed ſagaciſſimi ingenii fœminam. Illa ut ſe Reginam ſenſit, aliquid altius meditata eſt: ſecundi gradus impatiens, aliquando tanquam jocans oravit facillimum Regem ut per aliquot dies uxori liceret ſumma poteſtate uti: velle enim videre ſe quàm decenter manu mulieris adminiſtraretur: ille interim à negotiis omninò quieſceret, & mox ad ſceptrum rediturus, breviſſimo regnantis conjugis ſpectaculo frueretur. Annuit petenti ſtolidus Rex & ad ludum illum quinque dies electi ſunt. Sedentem in ſolio Magnates primùm novo cultu ſalutavere, deinde miles, ad id omne paratus quod armatis imperaret. Quam libenter in arduis obſequerentur, levioribus juſſis agnovit ſubtiliſſima mulier, ſed & donis ſollicitandi erant animi, quos jam blanditiis ſuos propemodum fecerat, nec laborioſum id aſſequi, cum tota ærarii poteſtas penderet à fœminâ. Per illos dies adeò ſe beneficam omnibus præſtitit, ut timerent reditum Regis, nec obſcurè dicerent non amovendam à ſolio quæ tanta æquitate, tantaque prudentia creditam ſibi dignitatem gereret. Ergo, inquit, ſi mea fortuna, veſtra eſt, ſinite me ſolam regnare, nec ſexum cogita-

te

te cives; ſed virtutem & ingenium. Paruit populus: ſerò agnoſcentem quid peccaverat Regem, poſcentemque ut ſaltem ſuæ uxoris comes eſſet ad imperium, conjicit in vincula: magno certè maritorum exemplo, qui virilis fortitudinis obliti, uxorem agunt officio, cum vultum & veſtem non habeant.

Eſt etiam magna domus confuſio, prępoſtera liberorum authoritas & ſervorum maximè qui ad humilia ſumuntur: inde enim fit ut plures dominos familia habeat & diſtrahatur obſequium. Paternæ ſucceſſionis pars eſt imperium illud quod maturè nimis aliqui ſibi vendicant: exſpectantur bona parentum, expectetur & poteſtas.

Olim magnorum fluminum capita religiosè colebantur, neque ſine aris fuerunt, & abdita vaſti amnis irruptio & aquarum calentium fontes: ſanctiùs honoratur in patre, familiæ principium. Quàm diſtet à rivis origo tunc non agnoſcitur cum æquali dignitate fluunt, & ita inflantur liberi, ut ſe ſibi debere autument, non parentibus, cum tamen nihil habeant niſi quod ab illis accepere.

Verum ſæpe patrum culpa eſt iſta filiorum ab honore, rectoque ordine defectio. Solent illis omnia concedere: hinc petendi audacia, quam ſi aliquando non audiant, ira fit & querelis familiam implet, tanquam non daretur quod pari jure pertineret ad ſingulos. Sapienter aliqua conſultò denegabit pater ut videatur ſuarum facultatum dominus: neque unquam ſe omnibus bonis abdicabit in gratiam filiorum, ne ſævos habeat in quos profusè nimis

nis beneficus fuerit: tunc enim velut mortuus omputatur qui nihil eorum possidet quæ anè tenuerat, & iis qui tam celeriter hæredes ūnt, durum est, toties redire defunctos qui tralitas opes, ad quamlibet occasionem, importuiâ prece repetant. Certa est bonorum abdicaio: incerta filiorum misericordia: & quam nulti qui dantes parentes coluerunt; petitores ion tulere?

Sed quid si servi dominos suos regant, non stud erit ingens familiæ perturbatio? Et hoc amen patiuntur plurimi. Famulis primùm è plus justo faciles præbent: deinde gravioibus negotiis tanquam necessarios insipienter ræficiunt: habent secretorum omnium conortes, & quod sæpè celatur uxori ac liberis, nercenarii norunt.

Ubi sic promoverunt res suas, dedignantur tplurimum domini sui prolem; ambiunt ab lla rogari: quidquid agunt ex debito, videntur ratiose concedere immeritis: dominantium ultus ac mores induunt ut esse plusquam seros existimes qui familię præsunt, neque tinent ejici: obstat enim negotiorum communiatio, metusque, ne si durè habeantur, propaent quidquid illis revelavit incauta dominoum simplicitas.

Totidem esse hostes quot servos aliqui puiverunt, quia moribus nostris verbisque maigni censores imminent, mox delatores futu prout impulerit levitas, aut innata servis aderſus jubentes dominos iracundia. Multis ocuit, non inermis quidem famulorum maus, sed os armatum; & sæpè vindictæ gran-

de

de genus censetur, illud loqui quod scimus. Est in domino quod servus metuat, potestas: est in servo quod metuat dominus, lingua: & ideò in utroque non rarò, ferè hostilis animus: adversatur enim charitati jugis timor & necessarius ille vivendi modus qui libertatẽ adimit.

Vis scire quis servus vere hostis sit? Ille qui in familiam receptus ut vilibus officiis fungeretur tanquam in suo herilem potestatem exercet: dominum suum malignis artibus, tanquam ferreis catenis, alligat, ut non possit quod vult aut debet agere: dominam suam despicit: premit liberos; nam quid ab inimico gravius? Et tamen hoc plerumq; fit, nec satis ingenii dominus habet ut se mancipium agnoscat, licet sub honesta veste ad illud dedecus compulsus sit quod omnes agnoscunt.

Nullus miserior eo qui servorum suorum servus est, nec hoc à fortuna habet, sed à sua insania. Dominos feras, quos mercede conduxeris? Quid fuerint cùm ad te primùm accesserunt, recordare: chaos est, si plus audeant & possint quàm sortem suam deceat: ordo, si benè, si humaniter imperes & illi fideliter obsequantur.

Invenitur etiam in quolibet homine, si inordinate vivit ea rerum permistio quam in regnis & in familiis observavimus? Quid anima sublimius? Quid abjectius carne? Et tamen quàm sæpe subjicitur pars nobilior ut alteri serviat? Cœlum & terram nos esse Cyprianus existimavit, cùm spiritum posside-

amus

amus è cœlo, corpus è terra, & una pars non corrumpatur, alia subjaceat elementis, nec se possit ab interitu tueri. Cœlum & terra miscentur, quoties confunditur utriusque partis operatio: corpus jubet, obedit animus, suamque lucem conteri patitur à voluptatibus illis quæ infra illum sunt, nec aliquid habent quod spiritualis natura possit honeste appetere. In luxuriosis, si bene advertas, omnia turbata sunt. Non procedit ab animo lex, sed à sensibus: & ipsa ratio, caro fit: & caro vicem rationis explet, quia ducit non ducitur.

CIRCÆA DOMUS.

OCTAVUM SOMNIUM.

FRustrà nunc in Campania domum istam quæsiveris: tempus absumpsit: neque enim oportebat illas ædes tandiu stare, & Sybillæ (cujus adhuc inviolata specus manet in illis regionibus) injuria fuisset, si eodem fato frueretur veneficæ palatium,

Proxima Circææ raduntur littora terræ,
Dives inaccessos ubi solis filia lucos
Assiduo resonat cantu.

Hoc quomodo apud nos inventum sit, referre placet: quo scilicet carmine, quibus herbis nova Circe incautos homines in bestias commutarit.

Aliquis narraverat de muliere cujus ingenium dicebatur suo sexu grandius: ætas media: forma vulgaris; sed amœnus sermo,

nec aculeorum expers & ſeſe in leves animos ſuaviſſime penetrans. Nullius Religionis erat, ut de omnibus liberius loqueretur: hanc plurimi inviſebant, aut perdendi, niſi citò recederent, aut jam perditi; nam in ea virorum frequentia magiſtram agebat: diſſolvebat Theologorum argumenta ut impietatem, quam à libris quibuſdam hauſerat, ſtatueret, & tanquam ſole genita, tenebricoſis mentibus infundebat ſuum lumen. Illâ ſuadente, in multis omnino defecerat Chriſtiana religio, & fide perdita, nihil fœdiſſimæ voluptatis ſubtrahebatur, ubi clam aut cum nefariis ſcelus admittere conſtituerat.

Cum hæc omnes non ſine horrore audiviſſent, quid Circæa domus ſignificet, quæ nuper mihi per ſoporem oſtenſa eſt, jam video, inquit Hermias: ô quam fugienda domus iſta! Quam potens veneficiis mulier, cujus arte tot viri commutantur in pecudes!

Sapientiſſimè prohibuit Apoſtolus mulieres docere in Eccleſia, & acutè Chryſoſtomus in memoriam revocans quid Adamo ſuaſiſſet uxor ſua, his verbis explicuit apoſtolicam ſententiam: ſemel docuit mulier & omnia pervertit: idcirco, ait Paulus, ultrà non doceat: & hæc tamen viros inſtruit: ſed non miror audaciam: nec Paulum, nec Chriſtum agnoſcit iſta mulier, & omnibus qui religionem abiecerunt, familiaris eſt impudentia.

Nobiſcum aderat Ceſernius qui mulierem hanc non ſemel ex occaſione viderat: & certè inquit, non omnes qui apud illam ſunt diverſati, ſuam formam amiſerunt: ſum qui fui,

Hermia,

Hermia, multique alii eadem mentis constantia usque adhuc homines manent, ut scias non solum Ulyssem, quod in sceleratas ædes intulit, sua felicitate servavisse. Fateor plurimos prorsus amisisse suam figuram: sit (ut apud Plutarchum Gryllus ille qui à Circe mutatus in porcum, eadem jubente, narrat brutorum delicias) hi, inquam, nihil præter sordidissimas voluptates sapiunt: in venerem & in escas proni, vel mulierum formam assiduè laudant, vel famosiorum helluonum pingues mensas: nullam vitæ partem ratio in illis obtinet aut divini cultus sollicitudo, cum totam inter se dispartiant salacitas & abdominis cura. Sic abjecto homine, mirantur tamen felicitatem suam: despiciunt cæteros quos commendat morum integritas & studium pietatis: dolent quòd tam tarde mutati sunt in bestias, nec aliquid magis curæ est, quàm convertendos alios in illud stabulum intromittere ubi tot bruta quotidie conveniunt.

In quibusdam tamen aliquid hominis restat, ut de Actæone dicunt, cui crura humana sub cervino capite manserant, cùm à suis canibus distraheretur. Nondum enim isti religionis sensum omnem amisere, ut in nefarias cupiditates se penitùs immergant: ne ultra peccent, prohibet invitos abditus timor: sed quàm modicum illud, quod si adsit, nihil deerit ad bestiam? Nondum quidem grunniunt, sed mox grunnient, nisi Circæam domum deserant; nam inter tot veneficia, vox hominis in hunc cantum facillimè vertitur.

Cesernii discursus hic Asterium impulit ut

non solùm de mulieris istius, sed de aliarum quoq; periculoso consortio sic dissereret. Magna locorum vis, ex quâ sæpe fit ut homo vel formetur, vel pereat. Quòd in lapidibus aliquando videmus humani corporis effigiem, solâ delineante natura, id non casu, sed sydérum charitate effici subtiliter observavit Albertus Magnus.

Quædam enim cœli partes sunt generi nostro amicissimæ: sub his propria materia semper ritè procedit humana generatio & in aliena non rarò veluti inchoatur: nam ubi singulares causas non invenit ista cœli dispositio, quæ secum consentiant, saltem ostendit in saxis quid intenderit, tantumque socios parentes defuisse ut generaretur homo quem sola sydera non efficiunt.

Hoc naturæ ingenio novem musas præferebat famosus ille & omnibus penè historicis notus Achates, quem inter regales gemmas pretiosissimum Pyrrhus habuit, & chalcedonius lapis tanquam cæteris humanior, eas sibi sine arte imagines imprimi gaudet, prout influxu virili vel femineo tactus est, viros reddens aut fœminas.

Sub aliis quibusdam cœli partibus ita laborat humana generatio, ut inefficaci materia vel omninò impediatur, vel à recto aberret, sive defectu, sive turpi partium accessione, & matrimonia probrosa sint iis qui suscipiendæ proli sedes aptas non elegere.

Ignota plerisque Philosophis opinio, verùm ad rem propositam quid pertineat, audite. Quædam loca sunt ita rationi congruentia,

entia, & hoc de ſchola Platonis aliquando dictum eſt, ut quiſquis in illa admittitur, ex conſortio ſapientum fiat ſapiens: ſecus ſi in eas domos ſe recipiat, ubi contemnitur religio, vel prohibita voluptas familiaris eſt: nam contagione loci citò inſanit, & in vitia labitur: Quod de corporibus humanis Albertus docuit, de animis rectè cenſeam: & quia in pleriſque locis comparatur ratio, quæ verè hominem conſtituit, in aliis deperditur, fidenter conclude, quaſdam dari partes in orbe quarum influxu homines fiunt; quaſdam verò quæ ab eo inſtituto prorſus averſæ, in id tantum laborant, ut extinctis hominibus ex illorum veluti funere naſcantur vel monſtra, vel pecudes.

Permanere vis homo? Circæas domos devita, nec te fortunatiorem crede pluribus aliis qui priuſquam ad illas accederent, ſapientes habebantur & poſt in bruta converſi ſunt.

Stupenda refert Joſephus de valle quæ non procul Ptolemaidem viſitur. Quidquid arenæ gignit, vitrum eſt: ſed inſuper ea loci poteſtas ut quam aliunde comportaveris arenam, brevi temporis intervallo convertat in vitrum, quod poſtea ſi & extrahas, rurſus ad ſuam naturam ſponte redit, nec aliquid reſtat quo videatur vallis hujus, occulta vi nativam formam aliquando perdidiſſe.

Majora finxit de locorum poteſtate Theophraſtus, cùm docuit animam humanam varia corpora mutuari ab elementis, cùm exuta carne hinc abit & ad ſuum principium revertitur.

titur. Quandiu remanet in terrâ, contingit illi non melius, inquit, suo elemento corpus: subtilius est quod ascendenti ministrat obvius aër: sed lucidum planè ac flammeum quo induitur dum per ignis regionem pergit ad Deum: donec & illo excusso jam sublimiorem omnibus elementis animam involvat, nunquam deponenda, nec multùm spiritibus dispar, substantia cœlestis.

Si de moribus agitur, eaque facilitate qua mutatur homo juxta locorum naturam quibus insidet, æqualiter hæc omnia vera sunt: impius enim fit si frequenter in eas domos divertat ubi docetur impietas: cum epulonibus, terreus: aëreus, cum vanis: cum libidinosis ac mulieribus, igneus: nec spes ulla datur honoris aut continentiæ, nisi locum mutaverit.

Aliquis mihi dicebat formosa quædam esse pericula à quibus vix libenter abducimur; sed hoc, jocus est; & ludebat sine dubio Seneca, cùm scripsit, non maximum ex suppliciis fulmen esse; sed speciosissimum: ineptè enim misero dicitur, adhiberi ipsi à tortoribus formosissimum ignem, ut venustè pereat. Quid interest fulgente gladio cadam, an eo qui rubiginem contraxit?

Fatuus omnino habetur ille Imperator qui spontaneum interitum meditatus, ne à furente populo trucidaretur, sibi fieri curaverat ensem aureum, quo, necessitate compulsus, antequàm hostes accederent, seipsum conficeret. Nihil ad pereuntis solatium confert pulchritudo aut pretium rei qua tollitur: Serico liga-

ri

ri vel cannabe, par eſt jactura libertatis : neque diſſimilis caſus, ſive nos præcipites vile ſaxum ſive jaſpis, aut Parium marmor exceperit.

Placet oculis mulier; apud quam tota dies impenditur; ſed interit illius forma caſtitas, ut cetera pericula, vitanda eſt, quibus nemo ſe lubens implicat, licet ſpecioſa ſint.

Ubi hæc Aſterius expoſuit, expectabat quid dicerem : & hæc difficultas, inquam, Aſteri velle fugere cum ſuaviter tenearis, & eo faſcino te ludat amor, ut putes illos omnes inſanire qui te non ſanum credunt. Aegrotos vidimus imminenre morte jucundiſſimos, ſibique gratulantes valetudinem ſuam. Affecto ſic cerebro, non tantum averſabantur remedia, verum & moleſtè ferebant medicorum conſpectum, ſollicitæ familiæ curas, & in amicorum fletus ſæpè acerbi, querebantur quod inepta miſeratione, firmiſſimo alias viro, veram ægritudinem facerent.

Ita cardiacus morbus amor eſt ut ſit & cerebri vitium, ideoque incantatorem appellavit Socrates quòd rationem alliget, ludat ſenſus, fanaticum reddat quemcunque corripuit. Arreptitiis amator ſimillimus eſt, niſi quòd furit decentius, nec exorciſmis vexatur aut pellitur dæmon, qui pectus ejus inſedit : toto animo, toto ſæpe & corpore jactatur miſer, nunc aureo colore; nunc cinereo, & interdum laborantis Lunæ triſtiſſimam ſpeciem referens, cum vel pallida pluit, vel à Magis infeſtatur.

Sic habentibus fruſtrà proponas Circæis domibus exire; carminis enim cujus poten-

tia tenentur, maxima vis hæc eſt, ut carere nolint injuriâ; timeantque aut etiam oderint eos omnes qui ſuo conſilio volunt miſerandos, neque tamen ſibi notos, in optimum ſtatum reſtituere. Quid igitur? nemo ſuccurret ſic perire volentibus? quieſcet amicorum ſolertia? ſocietatem diſſolve, tu qui damnoſam arbitraris: ita tamen ut quem voles ſalubriter ab illis domibus avertere, ubi ſalus periclitatur, non ſentiat ſe avelli; tua enim induſtria peribit, niſi lateat.

Alias propone delicias: itinera, quæ ſpectaculorum varietate curioſum animum oblectent: viatores non diu comitatur Cupido; citò laſſantur pueriles alæ, nec æquant properantium greſſus. Hac arte deſiit in plurimis amor, & licet dictum ſit à Poeta,

Hæret lateri lethalis arundo.

Sæpe tamen curſus ipſe telum excuſſit omni dictamo potentior.

Verùm regiones peragrare neque vult, neque poteſt amicus tuus; in ipſa patria fac, ſi pote, ut non quieſcat: negotiis illum implica, donec advertas morbum illum remiſiſſe quem contraxerit otio: cura vocari à multis qui eodem conſilio neſcientem impediant. Interim, ut opportunitas aderit, mulieris, cujus aſpectu atque colloquiis tenetur, ineptias expone; ſatis invenies ſi videre placuerit. Ore dicaci, meditatiſque ſalibus minue formam quâ raptus eſt: pudebit amare & mirari quod temnetur à cæteris, maximè ſi ſuadeas plures alios mulieris animum felicius occupaviſſe,

viſſe, nec ipſum verè redamari quem tot viris poſthabeat.

Ars quidem illa tentata eſt, inquies; ſed minime proceſſit; hac igitur utere. Nocturna lumina ſol opprimit radiorum majeſtate; ſic & tota formæ muliebris evaneſcet exiſtimatio ſi præſtantiorem oſtendas; hoc autem quomodo Chriſtianè fiat, explicabo: iſtos namque haud probaverim qui morbo morbum curant, & juſtè Italiâ pulſus eſt libidinis ille miniſter qui in remedium amoris novos ignes, nova philtra propoſuit. Ex peſſimo genere ne catulus quidem relinquendus: tyrannorum timentur hæredes, & fruſtrà moritur noxius amor, ſi ſucceſſorem habeat ſimilem ſibi: Salus non eſt, præcipitium aliquod devitaſſe ut in alterum incidas.

Itaque non honeſtè amanti forma illa proponatur quam ſanctè depereat: Virtutem profer: hujus amore capti ſapientes deſpexerunt venuſtatem illam corporum quæ vulgares animos allicit; & ne viderentur aliquid amare præter dilectam, ſpretis honoribus ac divitiis, ſpretis & voluptatibus cun illa ſucceſſerunt; ſed & aliquid pulchrius ob oculos pone, Deum ipſum. Quàm formoſa ſit artificis idea, videtur ex opere, licet totam ſuæ cauſæ ſpeciem effectus non capiat: ſed, ut poteſt, adumbret. Quanta Dei pulchritudo, à quo eſt, quidquid pulchrum eſt! Hanc mihi quotidie demonſtrant ſpecioſiſſima ſydera: ſuſpenſæ ac mobiles nubium picturæ: ſylvarum amœnitas: aquarum inter lapillos, herbaſque ludentium limpidi curſus: varia florum, ſe-

gerumque dignitas, totos agros convestiens: gemmarum splendor, avium plumæ quibus & nos delectant & ipsæ superbiunt. His omnibus, cæterisque non dispari decore nitentibus, tanquam rivis, ad fontem perrenio, cujus formositas tanta est, ut illam per speculum & in ænigmate vidisse, sit etiam quodammodò viatorum consummata felicitas. Qui sic Deum intuetur, diligit, & vultuum illorum pertæsus quos ante perspexerat, jam receptis oculis, miratur ac luget cæcitatem mortalium.

Forma mulieris æstuat amicus tuus? contemnet; si, te ostendente, Deum viderit. Verum urge constans orator, nam tempore opus est, & multo sermone plerumque fit tam grandis, & humana omnia superans apparitio. Quod unus dies non aget, præstabit alter: sæpè de his loquere, etiam invito: varius est animæ status, Circæis poculis infatuatæ; nunc divinum amorem respuit, veniet hora qua recipiat.

Quod olim tanto ardore Christum mundus diligeret, ut non dubitanter pro eo pateretur quoscumque cruciatus, teste Augustino, opus Petri existimaverunt gentiles: aiebant enim Apostolum veneficum fuisse & cum incendiariis jure plectendum, qui noxiis carminibus totum orbem cremaverat. Magna Petri laus ista magia, qua factum est ut dæmonum fascinationes omnino solverentur: incantationem abstulit incantamentum potentius: homines quos antea cupiditas, malus ignis corripuerat, divinus ussit. O te magum

gum desiderabilem! si sanctum imitatus tot ore scintillas emiseris quot verba, cogasque amicum melioribus flammis aduri, quàm quas in Circæis ædibus obscœna voluptas accenderat.

METEORA.

NONUM SOMNIUM.

QUies melius hanc Philosophiæ partem tractasset, quam μετεωρολογίαν vocant, Aristoteles an Seneca, non conveniebat inter nos; placebat aliquibus Aristotelis erudita brevitas; laudabatur ab aliis ubertas Senecę & intexta naturalibus quæstionibus moralis eloquentia.

Controversiæ finem imposuit jucundissimo commento Hermias, asserens se somnio admonitum fuisse ut de ea materia scriberet: nec mirari debere cæteros quòd huic consilio tam libenter obsequeretur, cum & Socrates nocturna visione jussus ne migraret ex humanis, antequam versus condidisset, serò notus Appollini & sub docentibus musis elementarius senex ad Poëseos studium Philosophiam suam transtulit.

Quęrenti mihi postea, Aristotelem imitaretur an Senecam, respondit, neutrum se magistrum velle: sibi enim in mentem venisse aliquid utroque genere utilius: deinde subridentibus nobis, lætus ipse, ut solebat, sic exposuit instituti novitatem:

Homines si Meteora quædam vocavero,

quia dignitate sui ortus elati, citò pereunt, nemo vestrum non probabit; nam quid aliud homo? Aspirante sole sursum trahitur, modicum fulget, datoque orbi spectaculo, transit non reversurus. Hoc ad omnes pertinet, erigi, lucere, & breviter videri.

Aliâ tamen ratione magna est inter meteora ista distinctio. quædam enim ignita, cœloque vicina siderum speciem exhibent: quædam, licet accendantur, in ea tamen regione fiunt quæ est inter cœlum & inferum orbem media; alia denique terris insident, quod ignem male conceperint, & defectu caloris deprimantur. In cæteris aqua dominatur, vel aër, & hæc variè res humanas afficiunt, prout à supernis causis moventur, nunc leniùs, nunc turbidiùs.

Inter homines inveniri cometas qui cæteris altiores non sine pavore spectantium fulgeant, notum est. Ex his quidam caudati sunt, quidam criniti, omnes tamen, sive tonsi caudam trahant, sive sub breviore figura proferant comas, aliquid ingens minantur mortalibus. Neque unus illis color: aliqui pallido lumine terribiles sunt, aliqui sanguineo; Quandiù durant, tandiu mundus non sydera; sed novos ignes stupens intuetur, & quid portendant, quidve efficiant, sollicitus, hoc unum scit imminere bella, stragem parari, vel, quod aliud gravissimæ pœnæ genus est, miseram pacem.

Quam cursum teneant, incertum adhuc, utut de cometis docent Philosophi: crediderim ego quemque illorum peculiarem motum ha-

be-

bere & suo genio duci, licet sæpiùs in septentrionem vergant, tanquam magis placeat illa pars orbis de quâ dicitur, ab aquilone aurum venit. *Iob.* 37.

Omnibus non æquale tempus concessum est: quosdam vidimus qui celeriter defecerunt; alios qui majoribus nutrimentis foti plures annos fulsere & tandem consumptâ materiâ, desierunt videri: sed licet breviter splenduerint longa tamen semper fuit malorum series quibus orbem vexarunt: nam hoc habet cometes omnis ut qui (dum perstaret) nocuit, noceat adhuc postquam extinctus est.

Ab his ignibus ad alios veniam qui in eminenti quidem illa regione micant, sed remissius: nec ardentes Principum lanceas silebo, nec scuta flagrantia. Suus etiam stellis cadentibus locus erit; quas ideò nullus timet, quia & suis viribus destitutæ sunt & fere illarum est, ut per æstatem sit quotidianum spectaculum.

De fulmine postea dicam quod injuria succenditur & nubium pugnâ. Quid in Regnis sit propriè fulguratio, futura fulmen si vires habuerit. Quid tonitru, quod lumine tardius tunc admonet cùm clades inflicta est. An etiam sine fulgure prævio feriri nocentiores aliquando debeant & magis timendus ignis qui terebrat, an qui dissipat aut solvit in cineres. Quo concussi aëris motu, quibus latebris, denique qua regione plurimi fulminis ictum declinarint, & an sua dignitate quædam stirpes hujus ignis immunes sint, ut de lauro & de aquilis dicitur, an potius justissi-

mus omnium ſit timor, ubi omnes deliquerunt, & fragore poteſtas intonuit.

De Meteoris ignitis ne aliquid prætermiſiſſe videar, illos etiam ignes perſtringam quos fatuos vocant: quam ſint ad omnem auram & aëris quoſcumque meatus, ire faciles, exiguâ & fallaci luce ſplendidi, ut ſi quis illis ducibus utatur, neceſſariò pereat. Iucundum quoque erit ſcire quomodo pingues terras incolant, circa patibula videantur, cadaverum capitibus nonnunquam inſidentes, tamquam ſua luce coronent, ut ab Eccleſiâ malè damnatos vulgus exiſtimet quos ſic viderit poſt mortem à fatuis ignibus coronari. Flamma lambens ad eos pertinebit qui cum debeant in altum tendere, jacent & terrena ſapiunt.

Ampliori diſcurſu tractabitur meteororum illorum natura in quibus aqua vel aër principem locum tenet. Quid ſit Iris, arcus ille ſine ſagittâ, qui pulcherrimis coloribus, imbres tamen prænuntiat; qui depreſſo ſole, altus, quoties ſydus aſſurgit, deprimitur. Quid roridæ virgæ, quæ cœlo demiſſæ caſtigant quod feriri meruit, non dilacerant. Quid Coronæ quæ multum diſtantes à ſyderibus, illis tamen ornamento ſunt: & an poteſtas contemnere debeat humiliorum benevolentiam, atque gratulationes, unde publica laus efficitur.

Quid ſit fœcundus imber: grando dilapidans: nix conſtringens: mel cœlo delapſum: fluens manna, fuse dicam, ut qui ſcripta mea legerit, ſi princeps eſt, diſcat quid conferre de-

beat

beat inferioribus: si subditus, quid ab illo sperare vel timere æquum sit.

Unde venti ducant ortum; ut flent, ut incumbant pelago, vel propitii navigantibus, vel insana tempestate turbidi: terras ut inclusi concutiant, subvertant urbes, ita demonstrabo ut pateat me sub meteororum involucris ea omnia tractasse quæ ad rerum nostrarum seu publicum statum, seu privatos mores pertinent.

Probaverunt omnes Hermiæ novam meteororum contemplationem; monui tamen caute ageret, ne si liberius animi sensa proderentur, illico jurgiosi clamarent, scribenti prudentiam vel charitatem defuisse: eo enim sæculo vivimus ut si quis pictor non consulto, sed casu ignoti hominis vultum vel leviter exprimat, cui sua figura haud placet, non habeatur innocens. Promisit Hermias ea ratione scripturum se qua nemo læderetur, nisi qui sponte rixas quæreret, & in epto furore vellet coloribus irasci.

TERMINALIA.

DECIMUM SOMNIUM.

SEd hæc (inquit Hermias) non prius exequar quàm à negotiis, quibus invitus detineor, me penitus absolvero. Otium postulant istæ meteororum observationes, & nisi me toto fruar, nec tentabo laborem; plus enim mihi ingenii dabunt solitudo ac quies, quàm libri suffecerint.

Cùm

Cùm iſta loqueretur, adfuit amicorum unus, cui ſuperfluas curas neque ſibi ſatis convenientes non ſemel objeceram. Is, data ſalute, viciſſimque acceptis honoribus, urbane rogavit ne ipſius intuitu cæteri omnes ſermones abrumperent. Noverat illum Hermias & ratus opportunum tempus adeſſe quo moneri ſalubriter poſſet, finxit quæſtionem ſe nobis propoſuiſſe; an ſcilicet erudite ſomniaſſet Philophus cui per noctem viſa eſt natura formas omnes quibuſdam circulis involvere, ne ultra procederent?

Intellexit Aſterius ſolertis viri conſilium, eademque ſagacitate, accepto mox argumento: Doctum plane ſomnium iſtud, inquit; Inertem eſſe materiam atque otioſam ſchola docet; in ultimo enim rerum gradu conſiſtit, propè nihil & ad patientiam nata; eo ſolo non ignobilis quòd nec generatur, nec interit, ut ſucceſſivis formarum mutationibus conſtanter ſubjaceat. Cum igitur ignava ſit ac virium expers materia, non illi, quæ ſe ipſâ ceſſat & conſtringitur; ſed formis, ad quas verè pertinet actio, datę ſunt quædam à natura leges quas præterire nequeant: & quia vis illa formarum quodam circuitu in omnes æqualiter partes (ſi nihil obſtet) ſe explicat, quod definitum agendi ſpatium ſimpliciter dicas, ſphæra, vocatum eſt Philoſophis, qua unaquæque res poteſtatis metas accepit, juxta dignitatem ſuę formę vel anguſtiores, vel latiores; neq; enim decebat diſpares formas paribus ſphæris includi.

Feliciter ac probè homines agent ſi ex ratio-

tionis præſcripto unuſquiſque intra ſuam ſphæram ſe contineri patiatur. Propterea cuſtodes artium inſtituti ſunt, ne aliqua conceſſos terminos tranſiliens, alterius occuparet officia; utinam poſtremi ſæculi compeſcuiſſet grammaticos. Nam quemadmodum magno languentium malo imperiti pharmacopolæ medicos agunt, ita iſti literatores cum videri voluerunt Theologi, & in fortiorem diſciplinam, divinorum rudes, ſemetipſos intruſerunt, novis circa fidem Chriſtianam erroribus laboraverit orbis, veterum placitis adhæſurus niſi verſuum conditores, cenſoreſque ſyllabarum, ac (quod claſſicæ laudis culmen eſt) Ciceronis alumnos pro Doctoribus habuiſſet.

Cuilibet ſua ſphæra ſervanda eſt: nam quid deformius aut injuſtius, ut de cæteris loquar, quàm ſi Clerum regat ex armorum Ducibus aliquis, aut ſi bello Sacerdos præficiatur? Enſiferos tamen aliquando vidimus, perceptis Eccleſiarum bonis excepto charactere, quaſi Epiſcopos, ſacræ dignitatis larvam ita deſumpſiſſe; ut toto cultu, quem tiara ſibi meritò vendicat, inique potirentur. Gemebant ſub equeſtri antiſtite cum jure canonico, Canonici: neque fas erat ſacerdotibus ſolo titulo paſtores & ſuarum ſedium, non defectione; ſed metu profugos invocare vel cupere.

In majore Britannia ubi Reges pulſo Petro, ne quid Majeſtati deeſſet, duplex ſolium occuparunt, immanior fuit uſurpatio Pontificiæ dignitatis: Non ſola plebs, ſed & Principes olim celebrabant Terminalia, & quod a-

iunt ipſum Terminum Jove deorum maximo non ceſſiſſe, ſatis innuit nunquam violandos limites, neque ullam poteſtatem dari quæ in eos jus habeat.

Id tamen auſi Britannici Principes: etenim metas tulure quæ Pontificum ac Regum diſterminabant imperia, & ut duplex hæreditas in unum dominum caderet, tota ſigna deleta ſunt. Contineri ſuis finibus non paſſa eſt amplitudo Regia; irritavit majora appetentem ea terræ portio quæ thus gignit, ut haberet unde ſua manu, nolenti Deo ſuffitus adoleret. Alia eſt ſphæræ transgreſſio, cum quis Deo conſecratus, ſæcularibus armis militat, ut de illo referunt qui non enſe quidem, ſed clava ferox, ne cruentus cenſeretur revertiſſe à prælio, ut aiebat ipſe, & ſic miniſtraſſe altaribus, ea religione, ea que induſtria mactabat hoſtes ut non eliceret ſanguinem. Pugnaces etiam epiſcopos habuit Francorum ille exercitus Sarracenis primum timendus, nec dubia victoria recuperaturus Salvatoris natale ſolum, niſi morbus jam provectis copiis & pæana mature canentibus, triumphum invidiſſet.

Non ſine ſacræ dignitatis injuria inter armatos armatus alter ut obſeſſam ab Anglis civitatem, cujus erat Epiſcopus, teneretur, magno militum ludibrio & quaſi dedignante fortuna vetitis contectum ſervare; cum ſua civium manu poſt imbelles aliquot irritoſque conatus, in hoſtium poteſtatem delapſus eſt: de quo & lepidum legimus, quod cum, deprecante per epiſtolam Cœleſtino tertio Ro-

mano

mano Pontifice, de reſtituendâ viro libertate ageretur, pro reſponſo Richardus Rex Angliæ loricam, quam vir ſacer induerat, Romam miſit, ne putaret Pontifex aliquid auſum ſe in Eccleſiam, additâ brevi ſententia: vide, tunica filii tui ſit, an non?

Sapientiorem putas alium, qui patrum noſtrorum memoria, maritimis copiis præfectus nihil aliud cogitare videbatur præter naves, & ventos, & fluctus, & vulnera? Quantas tempeſtates in animo paſſus eſt iſte vix ſola flante cupiditate quæ illum ab decentiſſimo otio in tot curas coniecerat! Quoties Deum quaſi furtim precabatur, toties turbabat orantem vel fortior aura, vel undarum nimia quies, vel tardior votis operariorum induſtria, cum tempus urgeret & ab altiore poteſtate, quæ pelagi leges ſuis conſiliis aptari propemodum volebat, feſtinatio juberetur: ſed pudebat nobilem Clericum inter ſuam ſphæram degere & operari, & quo diffuſior eſſet actio, conſtitutum ſibi à Deo & ab Eccleſia circulum ut carcerem refugit. Paucos annos vixiſſe virum illum hiſtorici tradunt & inter pictores non conveniſſe cum de funeris ornamentis ageretur, an rectius familiæ ſymbolis atque coloribus galeam quam galerum ſuperponerent.

In judiciis quoque non rarò videtur exceſſus ille ſollicitudinum ſuas ſphæras dedignantium ac officiorum in vicinos ſtatus exundatio, dum tribunalia ſuos fines longiùs amovent, neque patienter ferunt ſe Pontificum Decretis, Regumque ſtatutis ita coërceri, ut

inter civile forum & episcopale servetur modus, & æquali reverentiâ, quoties mutatione judicis legum sævitiam declinare volunt versutissimi homines, utrique vitetur alienæ potestatis usurpatio. Sed arduum, certis limitibus concludi, & meritò laudatur augustissimus ille Senatus Parisiensis qui Canonum, suorumque Principum mentem sequutus, ejusmodi appellationes quibus insolescentium Clericorum fovetur impunitas, adeò frequenter repulit, conscidit, multavit quoque, ut quòd Episcopi jam timentur à subditis, dici possit effectus moderationis illius quæ malè confugientibus ad se reis, ne sphæram suam videretur deseruisse, toties asylum denegavit.

Vexabat Ecclesiam Donatus; obstinatum damnavit Melchiades; sed qui sententiâ corrigi debuerat, deterior factus, nulla habita juris ratione, appellavit ad purpuram. Putavit schismaticus homo Constantinum illicò discessurum ab ea reverentia quæ debetur Pontifici, probaturumque quòd ad componendas Ecclesiæ lites, non ut auxiliaris (quod justissime fit) verùm ut ipso Melchiade major & supremus sacrorum Judex, à partibus invocaretur. Sed assentatorem reum non tulit jam voto Christianus Imperator, formulam Donati dignis titulis inurens, ita scripsit ad Episcopos: *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Quippe jam noverat Religiosus Princeps, non aquis tantummodò impositum à Deo terminum fuisse quem non trans-

transgrederentur; ſed & Regibus: illudque non minus politicæ poteſtati ſignificari quàm pelago: hucuſque venies & hic confringes tumentes fluctus tuos.

Magnum quidem quòd Catechumenus adhuc Conſtantinus Eccleſiam nondum matrem ſic coluit; ſed ſtupendum planè quod longe antè Aurelianus & Ethnicus in ſimili cauſa eadem modeſtia uſus eſt, ut ab infideli Principe Fideles diſcerent, etiam in ſummo imperio, ubi de ſacris agitur, judiciorum abſtinentiam.

Non montibus tantum aut ingentibus fluviis ſeparantur Regna; ſed & aliquando lineis quas vix non admonitus viator adverterit. Tam facilè ſuperandos fines quiſque tamen Principum reveretur, niſi bellum cum vicinis inſtituat: ſatis enim ad diſſolvenda fœdera, deſtinato impetu, terminorum religioſas leges vel leviter violaviſſe. Suas metas habet ſtatus omnis, quibus ſi non continetur, neceſſariò bellandum eſt; nam uſurpari ſua quis ferat? Et ingenioſè profectò, licet non Ciceronianè, dixit aliquis, tunc omnia turbari cum Curia ſæcularis officialiſat; Epiſcopus papaliſat, Parochus epiſcopiſat.

Hæc omnia dicebantur ad Aſterio ut ille vir qui noſtro colloquio ſupervenerat, ſciret quàm noxiè quàmque humiliter negotiis non ſuis, neque ſacræ veſti congruentibus, ad cujuſdam Principis ſervile propè obſequium, neglectis ſtudiis, & modicum de ſua eccleſia cogitans, totos dies impediretur. Nec ignoravit ipſe, quidquid dictum fuerat in ſuum caput

put cecidisse: placidè tamen tulit ingeniosam amicorum correptionem, quæ consultò in mores alios invehens, suos illi ostenderat.

PIETAS FUGITIVA.

UNDECIMUM SOMNUM.

REdeuntem solem populus ille dulcissimè intuetur, qui semestri nocte didicit quantum sit mortalium bonum, quanta orbis voluptas, diurnum sydus: & jucundiorem amicorum reditum facit, quæ ingens amicitiæ maceratio est, ad longum tempus protracta absentia.

Annos fermè duos impleverat Flavii in Italiam me suasore profectio. Quàm mihi malè consuluerim illo clarissimi viri discessu, vix referam. Eloquentem me fuisse sæpè dolui: illud serò advertens, mœrori quem ex amicorum desiderio conceperis, non benè mederi literarum solatium. Per tot spatia ab invicem distractis hoc unum restabat, cogitationum partem chartæ, quæ persæpè aut scribenti infida est, aut gestantis incuriâ perit, credere, & eâ utrimque timidissimo calamo loqui, quæ sciri ab aliis non expediret.

Post amicissimas querelas quibus remorantem per tabellarios lacessere solitus eram, tandem expectatus venit, subito gaudio avidum pectus adeò permulcens, ut protinùs quæ peccaverat ignoscerem. Quid valuisset,

quâ patientiâ æstus Italos, quâ etiam ingenia & mores vaferrimæ gentis, ad diversissima natus excepisset, rogantibus amicis non semel retulit: cùm ad singulorum adventum res sæpè eadem, post plurima mutuæ salutationis officia, suavissimosque amplexus, repetitâ quæstione proponeretur.

Amicorum hic fluctus cum tres fermè dies domum implesset, locum fecit deliciis tranquillioribus, ut jam utrique liceret altero frui. Melioribus oculis quàm quos turba habet, Romam viderat Flavius, & profectionis scopus fuerat, non statuas illas intueri, quæ dignitate operis suos artifices commendant, sed mores. Multa ergò petebam, sapientissimo viro facilius adhæsurus, quàm illis authoribus qui ex aliorum fide scribunt, aut ex vario affectu ita veritatem adulterant, ut certò nosse non liceat, quid exteri benè agant, quid peccent.

Flavius respondebat ad singula, & interdùm illius gentis mores mire attollebat, interdumque dolebat, quod rectius sinceriusque habere videtur Gallia nostra, illam regionem non imitari. Quæ verò apud illam gentem pietas, inquio, ô Flavi? Certe solent Itali Gallos tanquam de Religione minus sollicitos vituperare; puto, quòd hæresis in Galliis, Principum edictis secura, libere agit, templa sua habet, suos ritus in quos animadvertere nullus judex permittitur, ne suo errore excæcatis deesse videatur publica fides, cujus auspiciis freti, se ad civilia obsequentes, ac pacatos promisere: nam quia modicum fermenti

totam massam corrumpit, quidquid etiam Catholicorum est in Galliis, ea secta inquinari aliquæ gentes autumant, quæ nos haud satis novere; & pessimâ famâ laboramus apud multos, quorum Religio, huic pesti licet non admixta, vix tamem nostra sacra æquaverit.

Italiam non perfunctoriè, aut more viatorum lustravisti; quid in ea pietatis agnoveris, refer; Nam quod plures sanctorum reliquias tenet, quàm nos; quòd in ea totius orbis Christiani Princeps degit, purpuratis circumseptus & inde sanctissima decreta exeunt, quibus illustratur fides, errorque confunditur; profectò parùm est, si cætera absint, quæ verè pios ac religiosos constituunt. Ad hæc ita noster Flavius.

Magnum quidem Italis summo Pontifice frui; Majestatem illam Ecclesiæ propiùs intueri, cujus splendor tanto regionum interjectu venit ad nos; & si dicere licet, capitis ipsius vicinitate in eam dignitatem extolli, quæ cæteris altior, etiam, ubi opus est, egentibus membris subministrat promptiora subsidia. Magnum etiam, tot Divorum reliquiis ditari; tot Martyrum, quos olim persecutionis immanitas sustulit, ossa continere; tot cineres, ut pluribus in locis propè sanctum sit, quidquid calcaveris. Hinc omnibus sacer horror, qui meminere quot præliis, quotque triumphis sanctorum nobilitata sit tellus illa, quę Religionis ergo (cùm aliter fieri haud possit) adventantium vestigiis terenda est.

Sed de istis non procedit quæstio: petis ergo Firmiane, qualis sit pietas gentis illius, quæ

tot

tot prærogativis supra nos eminet : quamque nulla sui parte hæresis depravat, & adeo laudabili cura, ab omnibus sectis quæ à veritate alienæ sunt, sui Principes vindicant.

Non advertisti Firmiane, quibuscumque nationibus, ex suo Genio pietatem conflari? Eo modo, mihi crede, pii sunt Itali, quo nati sunt : licet enim pietatis origine sit cœlestis (à Deo nempè mortalibus infunditur) tanta nihilominus illi impingimus, tot adventitiis qualitatibus illam deformamus omnes, ut pro regionum diversitate, diversa sit; Italis Itala; Galla Gallis; & climatis sui, hominumque qui sub illo degunt, conditiones ut plurimùm adumbret.

Ut noris quæ sit apud Italos pietas, satis est scivisse nationis illius ingenium, ac mores; etenim nullibi gentium naturalem suæ regionis statum fidelius exprimit. Ardentes sunt; sed & obscuri, ut cum velint suus ille ignis omnino lateat; ubi vero placuit, in promendis affectibus diserti, ac solertes, ut nec pueruli inter illos sine arte, quod certè mireris, suos sensus significent : Si quid à fortuna perpeti contigerit, miris verborum figuris miserationem movent; longa suspiria ducunt; suos casus, suos dolores ea veritatis imagine pingunt; dilatant, ut qui illos non noverit, putet atrocissimam calamitatum eam esse, quæ forsitan leviter pungit, nec digna est, quam plangat vel mediocris patientia.

Nihil parum significant Itali; quidquid laudant aut convitiantur, quidquid gemunt, hyperbole est; omnis apud illos passio se ipsam supe-

ſuperant, ubi ad os pervenerit: verùm præcipuè amor, ut ſi verboſo credas, illico exiſtimes ipſum Aethnam æſtuare minore incendio.

In his habes, Firmiane, Italiæ pietatis fideliſſimam iconem, multa in ſignis eſt, conſpici vult, ita ſine arte nihil agens, niſi ſuæ gentis genium omninò exuerit, ut etiam dum videtur ſimplicior, apud ſagaces ſuſpicione non careat. Candidiſſimæ virtutis viros in ea quoque regione inveniri haud diffiteor; ſed frequentior omninò ille actionum, verborumque circuitus, quo luduntur qui flexuoſam gentem, neque rectè incedere ſolitam, haud ſatis cognovere.

Vehementiſſimos plerumque habet concionatores, etiam ubi non decet, acres, ſuſpenſos, & tumultu actionum, ac vocis intemperantiâ, illum planè excedentes modum, cui fides adhibetur. Raró in ſuggeſtu ſine cruce illos videas; frequenter quoque eruta ſepulchris oſſa in publicum deferunt, ut ad conſpectum funeris, auditores altiùs tremant: dumque crucifigentes dominum Judæos, longo ſermonum ambitu deſcribunt, perforantes carnem clavos, ictuſque terribiles, curant ſimul in templis malleos audiri, qui fortius mentes revocent ad infandæ crudelitatis, patientiæque dominicæ memoriam. Si de judicio extremo ſermo habendus eſt, aliquando latentes tubas in fornicum eminentiori faſtigio diſponunt, quæ improviſo clangore, cœtum terreant, & futuri metu, quaſi jam inſtaret, omnem aliam cogitationem excutiant

ab

ab animis. Sonitum hunc ſequitur populi clamor; diceres captâ urbe ſub victoris ſævitia deſperatos vociferari, licet ex more potius, quàm ex illo pietatis ſenſu hæc omnia fieri, multumque ad fabulam accedere certum ſit. Hęc ſi agerentur in Gallia, aut riſum profectò aut indignationem cierent: ſincerior enim apud nos omnimodis, nec ad ſpectaculum facta Religio.

Illud certè ſuprà nos habent Itali, quod in propoſito pietatis, ubi in illam conſenſere, ſint conſtantiores, magiſque ſerverioribus illis diſciplinis addicti, quæ corpus diſcruciant. Naturale eſt Gallis ſæpè mutari; quemadmodum enim apud illos toto anno tempeſtates adeò inſtabiles ſunt, ut nunquam vel æqualiter ferveat æſtas, vel rigeat hyems; & viciſſitudinibus continuis, nunc immodici imbres terras mergant, nunc haud expectata ſiccitas in arenæ modum ſolvat: Ita unius habitus impatientiſſimi ſunt ut plurimum Galli; ſua nempe elementa ſequuntur, ſuas ſtellas: nec diu pii ſunt, nec impii niſi ſuprà naturæ genium, aut illos omnino firmaverit gratia, aut corruperit pravitas. Semel probatis Itali tenacius adhærent, neque verſatili illa morum alternatione communiter ſinunt famam ſuam contaminari. Mollior denique nobis eſt & corpori amicior pietas, longo jejunio macerari vix ſuſtinens leguminibus crudis, aut limacum flaccida carne ſarciri, qui apud Italos inter egregias dapes, ſuorumque Antiſtitum palato digniſſimas ambitiosè numerantur. Cernis ut pietas utriuſque gentis alteri com-

 poſita

posita, & laudabilior sit, & deterior? Malim tamen sincerè pius esse, licet in me aliquid firmitatis desideres, quam sub theatrica illa Religionis larva constantissimè perseverare, ac diu, tanquam in divini cultus parte essent, eos motus significare quos in animo non habeam.

Cùm ita de pietate loqueremur, commodissimè supervenit cum Asterio Hermias. Illum jam à reditu suo viderat Flavius, jamque ex me audiverat quàm jucundè, ac sapienter somniaret; itaque ut illum est intuitus, quid tu, inquit, ô Hermia! quid & tua nox? ipse risu modesto, nihil. Sed data utrique salute, petiit quid & ipsi valeremus, & an sanis illuxisset dies, quem nobis optimum desideraret?

Flavio deinde breviter renunciante quid inter nos fuisset colloquii, Asterius in Hermiam respiciens, ab isto argumento, inquit, certè non multùm dissentit somnium tuum. Placet referre, Hermia, quæ jam tu mihi etiam non requisitus, solita humanitate narravisti? Nobis hoc ipsum enixè poscentibus, ita suam de pietate philosophiam explicuit Hermias, ut admixtas luci tenebras de industria audientibus proponeret. Sic enim ille.

In densissimæ proceritatis sylva putabam me esse, altique silentii; neque enim in ipsis arborum fastigiis vel levis aura ludebat; aves nullæ quæ suis vocibus, aut fontes qui implacido murmure illam quietem perturbarent. Ipse trepidus (namque illa opacitas, ac silentii horror aliquid pavidæ menti subjecerant) inter pacatas umbras pergebam, cùm subitò ad

aures improvisi gemitus pervenere. Illico gradum compressi, ut hos audirem facilius; videbantur calamitosæ mulieris & quæ à loco unde illos exceperam, non multum recesserat. Ad hęc suspiria, quibus & jam concutiebar, sapienti quantum potui vestigio, ne admoneretur aliquem adesse, quæcumque sic solitudini ac sylvis concredebat dolorem suum, profundius in saltum me penetro; & mox inter frondes matronam adverto miserabili specie, lachrymisque in ora ubertim fluentibus. Procubuerat in humum; crucem manu gestabat; aspera vestis, confecti inedia vultus, sed qui emitterent splendorem, quosque sine charitate, & observantia nemo posset intueri. In atrocissima sorte mulier plura suspiria promebat, quam verba; Istud tamen, aggemente me, sibi multo cum planctu loquuta est.

Infœlix ego pietas, quam tot exilia versant tot circumdant ubique pericula, tot mortales cogunt latere! quod crimen, ut sic agar? ut sic patiar? Immeritam expulere ab aula, à foro, à templis. Ipsa claustra jam metuo, umbras, specus; O miseram! quis me locus excipiet? omnia tentavi, scrutata sum; adhuc tamen incerta ubi possim secura consistere. An & hęc forsitan sylva hostes dabit, qui me in fugam convertant, & more latronum insectentur? nunquam tibi benè consulueris; ærumnosa pietas, nisi cœlum, unde tibi ortus, repetas.

Hæc cum audivissem, quasi matronam sublevaturus illico me prodidi: Et fidum homi-

nem inveniſti, inquio, qui te conſtanter colat; quandiù tibi placebit hæc ſylvarum opacitas, ſi me libenter feres, tecum hærebo. Illa inſidias arbitrata, ut me vidit, celeri pede in profundiora ſaltus ſe contulit, graviter dolente me, quod tam fauſtè inventam in eo receſſu tàm citò perdidiſſem. Et fruſtrà ex veſtigiis agnoſcere volui, quâ parte fugam adornaſſet; Nulla quippe in molli humo ſigna extabant, quæ ad recedentem meos greſſus dirigerent, ut inde certiſſimè concluderem, haud illi ponderoſum corpus eſſe, ut contingit mortalibus.

Neque propterea quievit inquirendi deſiderium; lachrymis madens, quo me ferebat impetus, migro ubique inclamans (ut mea jam voce tota ſylva perſonaret) Pietas, pietas. Feſtinanter ſaltu confecto (nam urgebat ingens amor) in aliam ſolitudinem inſcius pervenio, ubi in orbem poſitæ à natura rupes ita vocem excipiebant, ut non ſemel, & ad veritatem redderent. Et hìc quoque vociferante me, pietas, pietas, viſus eſt aliquis non diſpari niſu reſpondiſſe; ut certius ad me quoque officioſa vox perveniret, pietas, pietas. Igitur ſpe jam alacris, in eam partem me flecto, nec de fide illius dubius qui monuerat in illis rupibus poſſe pietatem inveniri, diu inter ſaxa, quæ variâ aſperitate vel tumebant in murices, vel in antra receſſerant, matronam quæro; ſed minimè aderat: demùm, improbo labore fatigatus, fraudem intellexi qua mihi illuſerat Echo, ut eam pro pietate acciperem. Tum ipſe me increpans, quid agis? ô Hermia! inquio,

sola vox cautes has incolit : pietatem nosti, nil aliud certè quàm sonus est.

Non multum viæ confeceram, cùm in urbanissimum virum incidi, à quo cùm gemens percontarer, vidissetne pietatem ? respondit non longè abesse, familiarem sibi, ac si loquentis opera uti vellem ; se quoque ad illius sedes ocyus me deducturum : faceret ergò, oravi ; Verùm officiosissimi hominis reliquus sermo haud placuit ; nam de pietate tanquam de ignota loquebatur ; florentem dicebat, molliculam, illamque nescio quâ veste exornabat, quam utique non videram. Silui tamen, jam me deceptum intelligens, eoque duce in amplissimas ædes devenio.

Hîc ingentis specie matrona habitabat, plurimo cultu, nam nec metalla sericis vestibus deerant, nec auribus margaritæ ; sed distortas manus habebat, licet suis etiam lapillis fulgerent, & ad vitæ usus haud idoneas. Et hæc est, inquam, bone vir, quam pietatem vocas? reverere si lubet, tu, aliam quæro, quæ & manus habeat faciles, & meretritio amictu non superbiat.

Ita demigro iratus, & mox in aliam domum, somno rapiente, me confero. Stabat illic altare quidem pietatis, ut patebat ex titulo ; verùm ipsa pietas haud videbatur. Circùm plurimi cultores, quorum pars suffimentis adolebant ; ast cum, ubi illa esset quam tantoperè colerent, curiosius inquirerem, respondit adoratorum unus ; Pietatis naturam eam esse, quæ sub sensu omninò non caderet, & ineptos eos haberi, qui aliquid in illa præter spiritum

ritum crederent. Miratus ſubtiliorem inſaniam, ego quoque receſſi iratior. Poſteà tandiu quæſitam pietatem in apice montis deprehendi, dumis obſito; & quia per tot incommoda ad illam perveneram, promiſit paſſuram ſe, ne ab illa unquam divellerer, in præmium laborum. Et hic eſt ſomnii mei finis.

Flavium ſumma voluptate affecere dicentis Hermiæ ſapientiſſima commenta; Verum eſt, inquit ille, ô Hermia! nobilis ſcilicet exul pietas, extra culpam calamitoſa, paucorum ſuffragio digna eſt, quæ fido lare excipiatur; rarò enim inveniuntur qui non aut publicè infeſti ſint, aut privatim hoſtes, ut dubium ſit minorne ei ab inſinceris cultoribus pernicies, an ab iis qui audaciori amentia, non remotis (quod ſuadet certè pudor) arbitris, immeritam abjiciunt.

O quàm fugax bonum Pietas! quàm tardè admiſſum, quam celeriter ſui nauſeam facit, ruborem, pœnitentiam! nulla re frequentius luditur, nulla leviùs: pilam credas, quam nemo niſi repulſurus excipit.

Pro miraculo eſt, aliquem in complexu ejus abſque rixa, aut frequenti etiam divortio, conſenuiſſe. Non diù mortalibus placet, & hæc maxima cenſetur in illam gratia, ſi ad arbitrium voluptatis exul, reducenda expellitur. Duriſſimæ ſortis cauſæ in promptu ſunt, Hermia. Cupiditatibus humanis inimica eſt; Vix aptatur negotiis: ignara fraudum, quas nec texere poteſt, nec effugere; etiam ubi inſidiæ urgent, de alieno ſcelere ſemper dubitans ac timidè inſpicioſa: delicias odit, juſtiſſi-

mum quoque sui præmium, laudem : ita in futurum prospiciens, ut misellæ elabatur quidquid in hujus vitæ solatia præsens tempus obtulerit.

Extorrem igitur pietatem esse haud miror; Verum quid sit, illa tua Echo, quæ ad se incautos accersit, imponitque pietatem vocantibus, certè haud scio; Ipse ænigma hoc explana: quis enim rectius, aut subtilius revolvat somnium tuum?

Non arduæ inquisitionis res est, refert Hermias; plurimi sunt quorum pietas vox est, & præterea nihil. De Chrysippo non audivisti? In commendanda virtute nullus illo eloquentior, legum ipsarum mens, ac patronus habebatur, dignus quem frequenter in senatu Trajanus ipse de jure dicentem, per tres horas non ferret modò, sed etiam suspiceret. Ille tamen vir, perditissimus erat, solo ore virtuti amicus, & tanquam luscinia esset, præter symphoniam nihil habens.

Nescis ergò, Flavi, plures ideò tantum verba sacra ex Bibliis, aut Theologis excipere, ut reddant? satis est illis, didicisse, ut loquantur; in solo referendæ vocis nisu, & verbosa quadam imitatione invenias quodcumque perceperunt. Pietas illorum, mera Echo : ad quam tamen sæpius festinat muliercularum, ac imperiti vulgi simplicitas. Ex studiis, ac doctorum hominum contubernio loquaces, gaudent audiri ac vocari magistri, & propriæ salutis incuriosi, quam non habent pietatem, dare posse existimant. Ab illis recedere, ut ad meliores te conferas, qui vitâ, &

ſermone te erudiant, ſumma prudentia, ac morum ſecuritas. Illud mihi per ſomnium, linguax Echo, & quæ me tandiu inter ſcopulos fruſtrà inquirentem detinuit, niſi fallor, adumbrabat.

Quid tu autem, Aſteri, de Marrona illa ſuſpicaris, quæ mollibus ac pretioſis induta, uſu tamen manuum caret, inerſque miratur cultus ſuos? Minus mihi negotii quàm tua Echo, faceſſet iſta mulier; compta ſimul, & otioſa, inquit Aſterius. Aliqui ſunt qui pro pietate religioſam deſidiam colunt; neque enim neceſſaria, etiam cum præcipiuntur, ſatis curant; vitant quodcumque feriatos turbat, Iudæo illi perſimiles, qui ſæviente pelago, cum remos agere juberetur, abnuit, ne religionem Sabbathi illo motu violaret, & fuſtibus cædi maluit, quàm læſa quiete periclitanti navigio ſuccurrere.

Angelos qui præter vultum, ac pennas nihil haberent, apud pictores ſæpè vidimus; pii iſti, ad illorum formam ſe accedere certiſſime credunt, ſi manibus trunci, nihil agant, & toti ſint in oculis, ac volatu. Hanc Angelis injuriam fecere pictores, ut ſuo labori parcerent, nam quia operoſius eſt integra corpora delineare, quàm partem; artis ſolertia nititur in ſolo capite ac plumis, mutilatam licet ſpeciem haud oſtenderint Angeli quoties hominibus apparuere in aſſumptis corporibus. Pietatis tamen ſummam in hoc jam plurimi conſtituunt, ut cerebrum, & alas habeat, ſpretis illis officiis quæ ex charitate utiliter deſcendunt ad proximos, tanquam Chriſtiano ſatis eſſet, meditari, ac in-

ſub-

ſublime erigi. Suam tamen inertiam magnificis vocibus contegunt, ut ſi ex veſte pietas æſtimanda eſt, non dubites eam eſſe, quæ illo verborum apparatu venit in conſpectum mortalium.

Nec de ſolitariis illis loquor, qui robuſtum vitæ genus amplexati, ita quoque ſe divinis dedere, ut nullam deſidiæ ſuſpicionem faciat illa animi quies, quę tanto labori, tantiſque vigiliis, extrà omnes ſæculi curas pulcherrimè conjungitur.

Illos carpo, qui ex ſegnitie quandam pietatem ſectantur, quæ ſenſibus amica, eoſdem non ſinit in arduis impediri, & corporis fideliſſimam curam agit, dum videtur ſublimior.

Illos etiam improbo, qui ſic molliſſimæ pietati vacant, ut in egenos duri ſint: ſpeculativè, & quaſi præciſis manibus, religioſi: divites ſunt, nihil ad veſtium pompam deeſt, nihil quod palatum oblectet pingui menſæ ſubtrahitur, nec aliquid interea pauper, aut incarceratus accipit, quo ab eſurie, aut ab ergaſtulo ſe expediat. Et tamen pro piis haberi volunt, quia ſæpe loquuntur de Deo, & cæteris, frequentius ad ſacra videntur accedere. Pietatem non voco, Hermia, niſi agat, ubi facultas eſt; niſi etiam laboret, & deponat ſuperbiam. Ecce tuæ Matronæ explicationem, quam nec dormiens probaviſti, & quę nec cæteros fallat, ſi benè vigilent.

Quod dixiſti de illo pietatis altari, unde aberat ipſa Pietas, ad illos refero, qui relligionem merè in animo habere ſe jactitant: neque credunt

dunt multùm curare Deum, si in exemplar prodit, & ad signa perveniat. Aliquos enim vidi, qui ad illam insaniam devenerant, ut totum pietatis opus referrent ad animum. Interna quidem est pietas, motus habet absconditos; sed nisi suâ motione agat & corpus, deficit non modicâ sui parte Religio, quæ totum hominem debet illi mancipare à quo totus est homo, ut duplici cultu agnoscatur diversissimas naturas idem Principium sortiri, unoque quasi consilio uni creatori persolvere reverentiam.

Est etiam sua corpori pietas, quæ si abjicitur, citò & ipse animus sentiet extingui suos ignes; vix enim fervebit in languido. In fontem suum recurrit illa membrorum, si dici potest, Religio, namque animam, cujus imperio priùs incitata est, & ipsa incitat; quod ita stupuit Augustinus, ut sincerè fateretur se nescire, quomodò ille motus animi, qui ut fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit. Verùm ita oportuit, ut sic anima corporeo illo in Deum cultu ad suos profectus indigens, meminerit quoties supplicabit Numini, & ipsam carnem trahere in commune obsequium.

Pietatem aliqui volunt sine corpore, aliqui sine animo; cùm tamen secluso altero, non constet, quandiu terrenæ huic substantiæ copulata est pars illa subtilior quæ angelorum dignitatem accedit. Pius esse vis? nec solo spiritu tenta illud opus, nec solo etiam corpore, ne evanescat in meram speculationem pietas tua, vel ita sensibus deprimatur ut non possit assurgere.

Providentissimè Ecclesia, fidelium animos pro-

propositâ veritate sic instruit, ut & sensuum curam agat, dum illos vo cum symphoniâ, ac facum splendore oblectat, cæterisque ceremoniis, quibus apud mortales adhuc carne implicatos, augustior fit Religio. Nihil boni in illis suspicor, qui pietatem ita in animo posuere, ut cætera negligant, aut despiciant. Vis dicam quid sentio? Non obsequio, sed prædæ amore, tollit viatori onus suum, latro, suas vestes; & qui pietatem nudam vult, tanquam superfluis illam exoneret, non amicus est, sed prædator convincitur.

Ubi hæc dixit Asterius, jam tuum est, inquit, Firmiane, de hodierno somnio loqui; An placet quod retulit Hermias, scilicet pietatem in ipsis claustris, ac speluncis pavere? Religiosi secessus certè probrum est, ista pietatis fuga, omnisque solitudo jure damnabitur, si in illa quoque pericula advertat. Cùm ego diutiùs silerem, ac cæteri subriderent, non imprudens, inquio, Asteri, in hanc somnii partem me compulisti; Illam agam, nec tacebo quàm malè sit aliquando pietati, ubicreditur securiùs degere.

Quid cœlo sublimius, aut sanctius? in illo tamen dimicatum est, in illo superbia se extulit, ambivit honores, nefarie tentavit id assequi, quod soli Deo conceditur: Quosdam veluti Cœlos esse claustra illa non abnues, quæ tanto spacio distrahuntur à terris, ut qui illa incolunt, sæpè non cadant sub aspectu mortalium. Ita sublevati, ea concinnitate quæ silentio suos motus peragunt, ut infe- o rbis (quasi quiescerent) suprà se illos

rior orbis (quasi quiescerent) suprà se illos agitari vix sentiat. Hic, naturæ quidem unius, verùm disparis potentiæ lumina, suos ignes, pulcherrimè miscent, & ordine quodam justitiæ, ne unum scilcet sydus, cæteris depressis, nunquam non emineat, alternis oriuntur, & cadunt. Jam cogita quod dixi, ab ipso mundi exordio cœli incolas superbiam turbavisse, inde enim fiet, ut non mireris claustra illa, quæ cœlos suâ celsitate, ignium concordiâ, ac denique regulari motu æmulantur, etiam procellas honoris admittere, cùm fatale esse videatur, ut ejusmodi præliis pateat aliquando syderum locus; sed longè diuturnior est illis tranquillitas, eâ animorum pugnâ quæ procedit ex ambitu, cujus & causas breviter expediam.

Ubi omnes uno voto egestatem professi sunt, nulla de opibus rixa est, & hæc profectò facultatum jurgia, quæ tot mortales, ac tandiu exercent, excludit eorum hominum solitudo, qui ut pacatius vivant, abdicatis fortunis, earum litium veluti radices amputavere, quibus divexantur qui aliquid suum habent, unde concitetur aliena cupiditas, & controversiæ exurgant. Quia tamen sine ordine nulla dari potest societas quæ diu ac fœliciter stet, & hoc ipsum ordo est ut aliqui imperent, aliqui mandata excipiant, ne tumultu, & concursantium potestatum variis opinionibus, negotia, ipsique homines laborent, si ad omnes unum dominium pertineat. Solitariis illis omninò necesse fuit aliquos suorum communibus suffragiis in eas dignita-

res

tes evehere quibus committitur imperium. Nam inter illos cuncta miscueris si æqualitatem serves, quam, uno Platone excepto, Philosophi omnes in optima republica damnavere.

Sed vide aliquando quid accidat: nisi multa suavitate mitigetur ea potestas, citò aversos habet eos qui illam creavere; nam grave censetur, beneficium non agnosci; & oblivionis justa videtur retributio, si quisque, ubi datur facultas, opus suum destruat. At deponi non expleto dignitatis cursu, & quasi in mulctam injuriæ, magnus dolor. Hinc questus, & restituendi honoris nimia sollicitudo, ad quam si plurimi ex vario affectu accedant, tanquam in oppressæ virtutis partes, jurisque descenderent, animorum fit scissura, tantò pejor, quantò major est in eo hominum statu cæterarum rerum despectio; nam ubi in unum honorem aspiratur, ardentiori studio mens flagrat, quàm si illum æstum variæ cupiditates, ut pecuniarum aviditas, ac voluptatum libido, inter se dispartiant.

Prætereà, dùm singuli, datis suffragiis, spontè sibi dominos creant, desiderium aliquando subit gradus illius quem alteri contulerunt, ut vertente imperio, ad illos etiam perveniat potestas, cui tandiù & ad unum sunt obsequuti. Scis homini naturale esse, velle extolli suprà cæteros, maxime ubi æquum putat, & se quoque eas dignitates quasi per ordinem carpere, quarum aliis gustum fecit. Credis, facilè à vino abstinet, qui odorem illius haurit, & expetitum ministrâ manu propinat sumentibus?

bus? toties dedisse dignitatem alteri, quam nunquam acceperis, tandem molestum est, nisi cupiditatem illam castiget altioris disciplinæ sanctitas, & religiosi cœpti memoria, quò citrà omnem honoris sollicitudinem, & ambitum, ad illud vitæ genus modestissimi homines accessere.

Fateor ab suffragiorum appetitu inter illos posse tempestates exoriri, & reverà aliquando exortæ sunt; verùm raró accidit immodicâ dignitatum cupiditate ita claustra turbari, ut propterea exulet pietas, quàm semper multò plures inveniantur, qui sui status modestiam servant, quàm qui sic ab illâ recesserunt ut velint imperare. Sed his tumultibus quandoque claustra concussa sint, certè longo temporum decursu familiaris est illis ea tranquillitas, quam cæteri, quia adipisci inter civiles molestias nequeunt, demirantur. An ideo terram instabilem dixeris, nec statuendis ædificiis commodam, quia olim tremuisse historici referunt, & improviso motu terruisse, qui per tot secula quietè egerant, incolas suos?

Infrequens est, crede mihi, dignitatum contestatio, ubi qui eminet, cæteris miserior est; & ipso gradu cogitur ad infima plerumque descendere, quorum cura, ingens est delati honoris cruciamentum: qui apud illos insigniorem locum est adeptus, ante cæteros quoque abstinet, vigilat, pedes it, ut sit, & in pœnis, omnium primus; ac, ut gratiose præsit quidquid grave injungit aliis, sibi prius imperat: Inde verò concludas velim, pie-

pietatem commodas ſedes habere, ubi pax ita colitur, & tam rarò violatur animorum concordia.

Quid ſi autem otio torpent ſolitarii iſti, ſi vitiis eâ hominum ac negotiorum declinatione, acceſſus fiat, & hæc ſuſtinebit pietas? in hoc maximè plurimi decipiuntur, quod vacare illos putant, qui tranquillam vitam ducunt. Actuoſos ſcies, ſi memineris quibus ſtudiis fatigent, oblectentque animos illi vanitatum contemptores. Modico ſomno refecti, antè ſtratis exiliunt, quàm cæteri mortales nimium ſoporem excuſſerint; ut diei primitias ille habeat, qui diem conceſſit, longo cultu Deo ſupplicant; abſolutiſque tandem ſacris ad lectionem ſe conferunt, qui in egregios labores ingenium accepere, ſcrutantur quidquid erudita antiquitas poſterioribus ſæculis reliquit, ut omnium ætatum ſtudia, in majus diſcentium lumen miſcerentur, & à mortuis, tanquam perenni inter doctos viros commercio, viventes beneficium acciperent. Ubi libros conſtantiſſimo labore ita diù pervolutarint, & ipſi ſæpè libros conficiunt, conciones habent ad populum, optimis conſiliis conſternatas mentes ſolantur, ſublevant: inviſunt ægrotos, proſunt cunctis; nec ante ſuas ſedes repetunt, quàm virtutum odore, pietatiſque officiis, quotquot illos beneficos ſenſere, demeriti ſint.

Cæteri quibus abjectior, vel in litteris haud exculta mens, illis operibus implicantur, quæ cùm neceſſaria ac perpetua ſint, ita deſidiam fugant, ut fractis labore artubus, nullum

lum plane otium supersit, quod in vitia impendant.

Itaque, Hermia, paululum à veritate declinavit somnium tuum, dum in claustris pavidam pietatem facis, quæ nusquam securior est, aut fidelius colitur.

Neque etiam satis probo quod dixisti absolutè, aulâ, ac foro pietatem expelli. Stat in illis sæpissimè secura pietas, fovetur egregiè; suos habet qui illam & colant ipsi, & tutentur ab hostibus. Itaque modestioris criminationis erit, si generis humani benignior interpres, asseras pluribus in locis pietatem consistere, quam tamen ob frequentes injurias ingeniosè fugitivam vocavisti.

Quid verò in Templis tantoperè pietati adversaretur, ut ab illis quoque recederet, postulavit Flavius; ea enim loca ita religionem admittere ajebat, ut vitia excludant: nam quis audeat in illis Dei cultum abjicere, scelusque profiteri? ad hæc ita Hermias in sui somnii defensionem.

Eximiæ virtutis tuæ argumentum est ô Flavi! ista de templorum reverentia opinio: Ex te, de cæteris censes: nam quia unusquisque nostrûm se intermedio omnia videt, omniumque colorem suum esse facillimè arbitratur, ideò & tu quam habes in animo pietatem, in aliis mortalibus conspicis.

Non ergo advertisti quo vestium fastu, quâ cervicum levitate ut plurimùm fœminæ nobiles Sacris nostris intersint? quàm anxiâ venustatis suæ sollicitudine teneantur, quamque videri gestiant, unâ licet religionis causâ ad

ſacras ædes videantur accedere?

Inter tot concinnos, quibus diſponendis tantum tempus abſumptum eſt, arbitraris pietatem inveniri? Caput iſtud, tam prolixâ arte ad naturæ injuriam fictum, meditari aliud poterit quam nugas, ſuam formam ſuos annulos, ſuos denique amatores, ſive jam irretitos regat, ſive comparandos, novo cœpto placebit aucupari. Chriſti ſpinas cogitabit, adeò molliter ornata cervix? & conceſſum ineptiſſimis curis, aut etiam minus verecundis animum, myſteria ſubibunt? Quid cum iſtâ venuſtate Chriſtianæ pietati? Quomodò ante aras ſua deflebit peccata mulier, cujus quoque ſtudium eſt, ore jucundo, oculiſque extrà omnem mœſtitiam compoſitis veniam precari, ne quid de formâ detrahat imperatus à Deo dolor, & muliebre conſilium turbet tantæ concinnitatis inimica pœnitentia?

Quale, heu, Religionis ſpectaculum, tantam ſuperbiam profiteri in veſtibus, quæ licet ponderoſæ non ſint, ſine adjutore tamen non geſtantur, & ideò tantùm laxiores fiunt, ut neceſſitatis imagine adhæreat incedenti puer, qui fluentes colligat manu, ne vel in ſubjectum pulverem, vel ſcreantium ſputa neglectæ dilabantur.

Quid vero de pulvinis iſtis cenſes, qui & auro fulgent & molles ſunt, ut genua dominarum magnificè ſuaviterque excipiant, & nihil in templo duriùs quàm in ſuo ſtrato delicatiſſima mulier inveniat? Eo in ſtatu, ante Chriſti in cruce pendentis imaginem arroganter orat ſibi culpas condonari, & tanquam patro-

patronâ vanitate citiùs gratiam promeritura, judicanti Deo cultus ſui pompam oſtendit: Interim adſtantes viri divagantur animis, inquietis motibus aguntur & inſana vota concipientes frequentius venuſtiſſimam ſupplicem quàm altare conſpiciunt.

Si pietas in templis ſtabile ſibi domicilium ſtatuit, ô Flavi! cur ergo Chriſtianos non avocat à ſæcularibus curis, ut divina cogitent, nec caſtigat garrientes? Unde fit ut quæ frequentiſſima ſunt & etiam ſuperflua apud divites, in templis ornamenta non fulgeant? ut ignobiles aræ mappis contegantur, quas apponi ſibi in menſa vix ſineret fortuna mediocris; & ſacra ipſa (ſi dicere licet) ruſtica ſint, dum qui ad illa convenere, in urbano cultu conſpiciuntur: Si in templis degeret pietas, certè ex locorum munditia agnoſceres diligentiam illius; frequenter abeſſe ſacerdotes haud pateretur, & immodeſtè pſallentes cogeret ſapienter officio ſuo defungi; illa enim regit oculos, componit vultus, ſi entium imperat, ubicumque invenitur, nec temere de leviculo clero judicabis ſi expulſam exiſtimes.

Quantos concionatores vidiſti, qui verè ſtudeant pietatis ſenſu ſuos auditores afficere, & inſciæ plebis tenebras diſcutere illis ſermonibus, quos capere queat innata vilibus perſonis ſimplicitas? ut plurimum ſacri oratores deprimi ſe exiſtimant, ſi alta, ſi ſubtilia non loquantur, pudet ad ſingularia deſcendere, rudiores ſolari, monere ſalutaribus conſiliis, tanquam ad ſolos nobilium uſus ſuam

lucem

lucem acceperint. Invenerunt isti oratores, quomodo superbiam addant Evangelio : ne sordeat ad aulicorum conspectum Paulus, calamistratum effecere; quis ab ejusmodi hominibus fructum speraverit, cùm de ipso Christo verissimè scripserit aliquis, operationis suæ munus amiserat, nisi illud humilitas recepisset ?

Vides jam ô Flavi ! etiam in templis sæpissimè pietatem non admitti. Plura dicerem nisi prohiberet pudor ea referre, quæ omninò premenda sunt. Tuum illud silentium ô Hermia ! inquit Flavius, ars dicendi est omni sermone eloquentior. Sic Paulus affirmans majora esse beatorum gaudia quàm quæ ipse effari aut mortalium mens capere posset, in amplissimæ conjecturæ libertatem animos dedit, egitque peritus cœlestium orator, ut grandiori fœlicitatis imagine spes nostra reficeretur quàm sit definitum aliquid ac sensibus notum explicuisset. Quidquid ita siluit, ut ait quidam, prodidit non prodendo: & sæpe efficacior pars orationis est, reticentia, ingensque rerum pondus, profiteri, aut nolle præ verecundia, aut pro imbecillitate non posse illas attingere eloquentiam. Non audes, inquis, referre quod in templis agitur: cùm nihil sic dicas, totum dicis Hermia: sed placet ad singularia venire ut eorum quæ cogitas ac censes, major nobis fides fiat ?

Ita provocatus Hermias, aliquandiu pallio vultum obduxit, & mirantibus cæteris, quod contectus loqui vellet, respondit ipsum Socratem quoties de turpi cupidine tractare cogeretur,

retur, sic suo pudori consuluisse, ut extrà conspectum audientium liberiùs erubesceret. Sed non tulit Flavius religiosum virum qui virtutis partes agebat sub eo velo philosophari. Lateant, inquit, qui sectantur scelera, non qui odere, & ut hostes in illa severius invehuntur. Ad ægrotantium fœtorem qui refugit medicus, arte suâ dignus non est; etiam audacter contrectet quæcumque horrentem naturam ad vomitum provocant, nec demittat officium suum, quia illo bene fungi nisi commotus non potest.

Audivisti ergo, Hermia, aliquid agi in templis quod adversetur castitati? Breviter dicam quæ nimis, heu, vera sunt, inquit ille. Scitis ipsum montem quem suo cruore sacraverat dominus, ex nefandis impurissimorum hominum ritibus, & erecto in crucis locum Veneris simulachro, dictum posteà fuisse montem Venereum: neq; vos etiam latet, quod divus Paulinus lugens scripsit, in ipso Christi præsepio gentilium superstitionem profanos hominum amores, mortesq; coluisse. Major nostrorum injuria temporum, cum ad illa Christiani pergunt, ut de committendo flagitio, & de temporis opportunitate, extrà omnem suspicionem commodius inter se conveniant; istud enim fit, neque securius credunt de sceleris ordine, ac pretio quærere, quàm ubi solet Religio fusis lachrymis, aut à propitio Deo ampliora petere beneficia, aut veniam ab irato.

Adest in altari Christus, tremendam majestatem circundant undique paventes Angeli, & sub

& sub eorum conspectu quam facilè, quàm utiliter peccent, adulteri deliberant. Ante Christum eo consilio sisti, mysteriis nostris insultare est; & quicumque sic despicit dominum, novo modo reus est corporis & sanguinis ipsius, licet ore non recipiat: neque enim dijudicat corpus domini, cujus sanctitatem atque præsentiam nec reveretur, nec tremit.

Aptam fœdissimis colloquiis horam eligunt cùm aut nox ingruens, aut à fidelibus solitudo fiduciam timidis videtur efferre sceleribus. Quod horreas, velut asylum sit nequitiæ. Iudicis domus; hîc se turpitudo nullo pudore profitetur, quæ cæteris in locis infamiam caute devitans, quasi ad partes castitatis accesserit, seipsam verecundè negaverat. Sed pauci sunt qui eo animo templum petant, in eoque velint agere quod ubique scelestum est. Utut sit, ô Flavi! sed inveniri plurimos haud certè negabis, quos ad sacras ædes non religionis conscientia, aut aliquis divinorum sensus, sed forma mulierum trahit, & fœde placendi sollicitudo. Quid autem istos cogitare existimas, qui se muliebris pietatis comites dedere, ut eam, cum minus adverterit, flagitiosis amoribus disperdant?

Post hæc in id argumentum multa dicta sunt, quæ privatim audiri possunt utilius, atque honestius, quam publico credi, ut jam nullus adstantium dubitaret, in propriis sedibus tam sæpe violari pietatem, ut de exilio lubens cogitet, ad quod tot injuriis totque calamitatibus ærumnosa compellitur.

Absol-

Absolvebam hoc somnium, cum improviso adventu Pontanus adfuit, eruditissimus medicus. Et hæc est, inquit, Firmiane, imbecillimæ sanitatis cura? hic consiliorum meorum fructus? perdet te obstinatus iste labor: omninò oculis orbari vis qui tam pertinaciter scriptioni indulges? vis & noxiis humoribus opprimi jam fractum pectus? Multi te vegetiores, quod eâ studiorum incontinentiâ solvi se in dies paterentur, crescente tandem naufragio suffocati sunt. Peream! nisi te Hippocratis judicio sisto, qui ejus alumnos scholam ipsius, per tot annos remediorum præpostero usu, aut negligentiâ infamavisti. Quid enim dici de nobis autumas, qui tandiù nullo successu, curam tui suscepimus? Ad hæc: rides simul & minaris, inquio, charissime Pontane! sed verumne his lucubrationibus jam non sufficere vires meas, ætatem meam, si hęc seriò loqueris, spondeo laborem hunc ultimum fore. Et non satis putas (retulit) edidisse te vernaculâ tuâ Philosophiam Christianam: de Monarchia Verbi incarnati tomos duos: Romana verò linguâ Genium sæculi: denique tuum Gygen? quid rursus occuparis in somniis? fallor, aut tuam quietem non modicè perturbant. Cum ego illud quidem negarem; sed nec ultrà amicissimi viri consiliis vellem obsistere, Hermianis somniis finem feci, quæ si aliquis non malevolo aut critico animo leget, forsitan haud improbabit quòd posteris reliquerim.

INDEX.

C.

E.

G.

I.

L

M.

Q.

R.

S.

Supersti-

FINIS.

SÆCULI GENIUS.

PETRO FIRMIANO

AUTHORE.

NOBILISSIMO VIRO,

PHILIPPO COLANGIO, REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS, & in Regiarum Rationum Camera Parisiensi, Magistro.

PETRVS FIRMIANVS,

SALVTEM.

TUa mihi virtus pridem nota est, vir clarissime, & in dignoscendis libris summa æquitas. Nullus te judice damnatur, si vel pietati utilis, vel regno; nullus absolvitur, si aut quieti publicæ noxius, aut moribus Christianis.

Non paucos cèrtè invenias, quos decipit sub eloquentiæ larvâ error latens, porrectumque in auro dulce venenum: plurimos movet ac delectat, argumenti insolentia. Te, neque comptissimæ eruditionis diserta fraus lusit; neque occœcavit illa nouitas, quæ toties facilioribus ingeniis, & ad quælibet ignota spontè vergentibus, maligno splendore lumen ademit. Solidis-

diſſimæ virtutis non vulgare exemplum eſt, ipſum exemplum non ſequi; maximè ubi imitationis verecundiam tollit peccantium turba, ipſiusque erroris celebritas. Iſtas tamen circa te ſępè vidiſti, nec pelſus es ſagaciſſimum animum ab illâ pietate recedere, cuius in offenſa Eccęſia ſuſpicio eſſe non poteſt.

Mirum equidem, te omnibus gratum, (ea morum comitate, quam tibi virtutum hæredi, inter domeſticas opes reliquit ſuauiſſimns Pater) tot viris dignitate conſpicuis, tot etiam amicis, recèns natas opiniones cum tanto ambitu amplexantibus, in cauſa novitatis diſplicere voluiſſe.

Cùm te laudari æquum ſit, vir nobiliſſime, diſce veritatem pati, ubi te tibi illa exhibet; aſſueſce vultibus tuis; & qui optima quæq; ſcire beſideras, noli diutius ignorare rem præclariſſimã, meritum tuum. Nihil tibi vita tua pulchrius poteſt oſtendi; verùm neq; utilius; nam ut agendorum rationem optimè noſcas, ante actam, ſumma cum laude,

ætatem, prudentissime consules, proderitq; aspexisse quid feceris. Hoc exẽplum tutus sequere, nec dubita te cum sapiente versari, si à te, quem omnes suspiciunt, non discedes. Quid tua familia ordinatius? quid dignius homine Christiano? te rectore is est mundissimæ domus decor, ea sanctitas, ut pro Templo possit haberi, & ne sacerdos deesset, fratrem optimum, Ecclesiastici ordinis eximium lumen, à te avelli passus non es; ut cognati luminis accessione, quæ tua jam luce, domus clarebat, redderetur illustrior.

Omnibus placere, etsi viro probo vix contingat; illud tamen effecisti virtute tua, ut te, nec amantiorem Maritum Castissima uxor, nec Patrem meliorem liberi, nec suaviorem Dominum servi desiderent. Sed quid? ea omnia superat inuictissimum robur animi, & in iis quæ à te eligi meruerunt, quæque tua semel virtus probavit, constantia. In maximis publicorum negotiorum motibus, tu semper Regiæ Majestati officiosus, neque minus Religioni,

quæ

quæ confecto in apertos hostes bello & defunctis periculis grandior, astutiori jam marte, consiliisque secretioribus, lacessitur à plurimis. Hæc ab isto libro ne metue, Religiosissime Colangi, totus pro Rege est, & avita quam profiteris pietate. Lege igitur, si non præclarum, at innocens opus, & hoc saltem titulo, virtute tua, & proborum suffragiis dignum. Quid autem vetat, & te illud cogitare, ut ardentiori studio librum euoluas, brevem esse, & ab amico. Vale.



MARCELLINUS LECTORI.

Quod sol repetito toties cursu, novos identidem dies creat, beneficium est illius orbis, cuius motus cæterorum lex; & quod liber iste, invito prope Firmiano, emergit, meæ debes diligentiæ. Omnino absolvi vetuit scriptoris ægra jam diu, neque laboris patiens valetudo, infectumq; edi author nolebat; verùm amico urgenti, negare quod petit, res ardua: tandem obtinui ut non lateret. Tibi me aliquid præstitisse, lector, agnosces, si librum agnoscas. Sed non semel, oro, legeris: evolutus namq; habebit quod ostendat revisenti. At pusillus, inquis, & manualis. Esto. Stagni tamen in modum, grande speculum est, plura exhibens, quàm, aut expectes, aut forsitan velint, quibus imago sua displicet. Sæculum s. quale omnino est, ob oculos ponit egregiis coloribus, pari distantia remotus ab adulatione, & injuria; ubicunq; perditissimum Genium invenit, damnat. Cave ergo, & tu, lector optime, ne in reos ipse quæsiturus, eâ, quæ generi nostro innata est, ad alienos errores acerbitate, etiam tibi aliquando inter plurimos occurras, quis enim sponsor, quod te liber iste præteribit prorsus intactum? ex prudentia tamen

men

men non feceris, si te perstrictum ducas, pateatque tuis questibus ea tibi convenire, quæ animadversione digna sunt. Te ipsum vidisti? abi & sile, speculorum hæc natura ut omnia ostendant. Varii argumenti Dissertationes opus continet. Scribendi rationem probabis, si humanus lector, nec ad scholæ austerioris gustum contrahi optas, quicquid inter urbanè doctos, placidis sermonibus, ore libero, latinus, venustiusque tractatur. Difficilioris es animi? etjam sic lege; averso quoque, & nolenti, opus placebit. Nihil quippe in eo languidum, ne te oscitantem author habeat; nihil severum, quòd non mitescat admistione materiæ jucundioris. Læta ubique & tædium arcens eruditio, quam nec festivus Mecænas, nec rigidus Cato damnare velit. Fallor, aut ipsos sermonis non tibi ingratos excursus, ad rem pertinere judicabis, & ita quæstiones agi, ut quæ velut fortuitò intercurrit rerum varietas, nunquam tamen sit ab argumento absentia. Si authori benignius cœlum raptam sanitatem restituet, non cunctanter habebis partem alteram, interim hâc fruere, & vale.

SÆCU-

SÆCULI GENIUS.

FRONS OPERIS.

Æstate media, ſub veſperam, & ad primæ noctis confinium liberius auris ſpirantibus; ego Firmianus, Marcellino comite, quem mihi ab multis annis familiariſſimum conciliaverat literarum ingens amor, & ſumma morum ſuavitas, domo proceſſeram, ut ſimul optimâ parte diei, remiſſa calore diurno corpora, non ſine voluptate reficeremus.

Placebat in illo ſereno, variis ſermonibus agitare noſtram philoſophiam, & quaſi ludentes, ita paſci ſeriis, ut mens noſtra ſtudere ſe, imbuique grandibus non adverteret, ipſa enim quandoque ſtudia fallunt animos, nec facilè ſentiuntur inſinuantia ſeſe mortalium ingeniis, ſi non labore, ſed otio intrent, rigidamque veritatis perceptionem, leniat quædam libertatis imitatio.

Cœlum tunc omnino absque nubibus, niſi quâ parte cadebat ſol, ut non ſine pompâ abſcederet, & inter vapores purpureos pulcherrime occumbens, oculos intuentium ſolaretur nobiliſſimo ſpectaculo. In illa voluptate hærebamus, incerti, an ſplendor meridianus potior eſſet tam venuſta lucis defectione, noctisque præludiis. Cum ſubito è montibus, qui non procul eminebant, auditur fragor, qualis eſt rotarum in ſubiecta ſaxa

concitatis equis incurrentium, terramque prementium pondere suo; procellam instare, audito licet ex alto strepitu, neuter credidit. Nulla enim in apertissimo aëre tempestatis præsagia, quibus ædmoneremur aliquid sinistrum parari, & quærentibus invicem repentini tumultus causam, nihil occurrebat quod placeret curiosis.

Dum sic suspensis animis expectamus donec se natura explicuerit, dumque errantibus oculis cœlum vestigamus si quà parte concipit iras; nubem cernimus, longo volumine porrectam, sensim emergentem è montibus, atro colore, & proximum imbrem daturam, stipatarum frigore aquarum, nec jam loci superioris patientium cogente gravitate. Ea erat quæ concepto igne jam cum illo luctabatur, vimque suam quasi tentabat, obscuræ adhuc, timidæque pugnæ primordiis. Mox velut toto cœlo convenisset scenam mutare, aliæ & aliæ nubes ita diem eripiunt, ut vix in gravido aëre se proderet jam furtiva lux, & per nubium commissuras cum pallore erumpens.

Forte fuit in illo nubilo, ut aliquot passibus remota arbor fugientes nos exceperit densis foliis, & trunco tam commodè hianti ut esse posset pro tecto, nubium torrentes, æstumve diei in apertâ planitie declinantibus.

Opportunè nacti agreste domicilium, Dei qui sic affulsisset laudamus providentiam, & dum gratiâ beneficę arboris fruimur, fulmen geminatis ictibus, & inter coactos vapores viam quærens, tam immani tumultu replet aëra,

aëra, ut terroris magnitudine penè redderemur exanimes, arborque ipſa, concuſſis latè ramis, moveretur à radicibus.

Interea ſolvuntur nubes, dumque ingenti ſonitu in fluentem humum præcipitant, victor ignis per ſuſpenſi carceris rimas jaculatur proximæ libertatis ſigna, cervicibus noſtris imminens, & qua cecidiſſet injurias incendio vindicaturus. Silebamus pavidi, vitæque potius noſtræ finem, quàm tempeſtatis expectantes, tamen Deum precabamur, & in cruce Domini Ieſu, ſignatis frontibus, totoque ſæpius pectore, quærebamus auxilium. Nec fruſtra, iterato enim fragore, & etiam aucto, tam placidâ mente fuimus, ut vix moveret nos nubium murmur, accenſus ſupra caput aër, penequc in oculos fulgur impactum.

Tanta ſecuritas tamque ſubita animum movit, ut crederet verum eſſe quod ajunt, dæmones ſcilicet turbinibus iſtis miſceri, & multa patrari in aëre, non ſolius naturæ genio, ſed & nefandorum ſpirituum ſolertè malitia, qui rebus humanis nocituri, potentioribus cauſis vim ſuam jungunt, ut certius perdant. Mecum ſentiebat Marcellinus, & prodigioſa referebat, quæ absque dæmonis opera poſſe fieri credibile vix eſt, fugatumque timorem crucis auxilio, trahebat in opinionis argumentum. Quis credat quod nunc referam? tandem ultimo impetu ſciſſis nubibus erupit ignis, ſparſusque in diverſa, paſtores aliquot, tactis etiam gregibus ita afflavit, ut vitalibus conſumptis, corde, jecore, viſcerumque multiplici flexura, totum circa cor-

pus nihil læderet. Somno dejectos putasses, nisi quod in extincto vultu aberat color, qui dormientibus superest, & fœde prostrati, non consilio jacere, sed casu, satis ostendebant intuentibus.

Nobis quidem pepercit ignis, nec propius quinquaginta passus arbori qua tegebamur, advolutus est. Sed pro flamma nobis fuit portentum ingens; inassuetæ quippe magnitudinis, ut videbatur, homo, tam subita præsentia nostris obtutibus objectus est, ut penè videretur ex Cadmeis militibus unus, quos olim repentino ortu genuit terra, serpentem seminanti. Spectro dubia vestis, inter virilem fœmineamque media, & tot colorum quot in iride miramur, ut si cætera abessent quibus metus incutiebatur, ad aspectum stolæ variantis esse posset voluptas. Vultus audax sed inquietus, qui adolescentem referret fronte vivida, nisi quod genis aspersa canities, dubitantes oculos prohibebat certum de ætate, inter tam varia temporum signa, ferre judicium. Dextra facem tenebat, sinistra librum sacrorum, in cujus fronte grandibus literis exaratum, hoc verbum legebatur OMNIBUS. Non ingratis catenis onerabatur, erant enim ex auro, & velut placeret captivitas, pretiosis vinculis ita corpus impedierat, ut quamvis motu vario satis libertatem ostenderet; illam tamen videretur aspernari.

Obstupui fateor ad conspectum immanis figuræ: sed mox utcumque mihi redditus, rogavi ignotum, quis esset, peteretve? Tum ille clamore valido: Ego sum, inquit, sæculi

Genius

Genius: & ne in poſterum dubites, frequentiſſimè geniorum ductu graſſari ſævas tempeſtates, quæ armenta depopulantur, ſegetes necant, hominesque, ego hanc quam videtis exciui. Me authore ſolutus aër, infœlicis ſpem coloni, proſtratis hodie jam flaveſcentibus ſpicis, hauſit inexpectato naufragio; noxii ignis ego materiam ſubminiſtravi frigidis vaporibus ut accenſâ hoſtili tumultu flammâ, ſtragem hanc ederem, quam ſola potuit à vobis avertere pietas, in Deumq; reverentia. Ego ſum, qui in Belgio, totas aliquando ovium caulas cum paſtoribus tuli, fruſtra clamantibus ex adverſo cæteris, ut vitarent incendium. Sed quid vos tandem ô Galli? non diu licebit vobis, intacta fœlicitate, alienos caſus dolere ad vos quoque perveniet calamitas. Sævior leone fortiorque, in vos tandem invadam; nec talis ſum, qui Gallico cantu poſſim fugari. Hæc tacentibus nobis cum dixiſſet, non viſus eſt abire, ſed in partes ſcindi, tamque latè diffundi, ut velut fumus ex anguſto erumpens, nec diu ſtringi ſe paſſus, totam momento temporis impleret regionem.

Spectro diſſoluto, quid animi nobis fuerit enarrare difficillimum eſt; admiratio quippe, timor, mœrorque æquali impetu, in fractis mentibus implebant partes ſuas: & ſtatim ut vox ſtupentibus reddita; Quid hoc eſt inquio, Marcelline, vigilamus an ſomniamus? Et verè ſopore non opprimor, te video, mi Marcelline, veſtes tuas teneo manu, tango arborem quæ orta tempeſtate tam commodum nobis domicilium præbuit; & heus, quam ti-

meo, ne Genius iſte ſæculi totam Galliam invadat, novitatum æque ac periculorum avidam! Quam ſubito ſparſus, quantum loci occupavit turbulentus ille Genius, qui ubique procellas movet & fulmina accendit. Sed de his melius domi quàm ſub frondibus, & ſedem opportuniorem poſtulat, præſentium malorum, imminentiumque longa ſeries.

His dictis, in lubrica humo ponimus greſſus, incertiſque veſtigiis domum redimus, ubi nos ex amicis duo, non ſine metu iamdudum operiebantur de noſtra ſalute ſolliciti; velox enim fama (& maximè in malis) ubique ſparſerat, cœleſtis ignis tactu quatuor viros interiiſſe, & jam penè, nos quos ea parte conſtabat poſt ſerotinas epulas inambulaſſe, defleverat neceſſariorum pia facilitas; Non diu ſuſpenſus dolor, amantes trementesque vexavit, viſis enim quibus tam prolixè timuerant, quievit domeſtica tempeſtas, illâ quæ nos in periculum miſerat ferè horridior.

CUIQUE SÆCULO SUUS GENIUS.

DISSERTATIO PRIMA.

SErmo multus omnibus fuit de fulminibus, nemine dubitante illis miram ineſſe ſubtilemque potentiam. Quiſque ſuo ordine, quod ſive legerat, ſive audierat, retulit, loculis integris ac illæſis argentum conflari

flari : manente vagina liquefcere gladium: inviolato ligno circa pila ferrum omne diftillare : fracto dolio ftare vinum, quod, foluto rigore, fi bibatur ab improvidis, aut dementes facit aut exanimat.

Inter hæc quæfitum eft, an dæmones tantæ poteftatis fint, ut ad jubentium nutum moveantur ea omnia, quæ conficiendis tempeftatibus ideo natura providit, ut effet, quod fupra fe timerent nocentes; & quo fœlix nimis fortuna admoneretur, è cœlo gravia quandoque imminere pericula, cùm ab hominibus, terrave ipfa, nil cenfetur metuendum cur nefariis fpiritibus tanta permiffa fint, cum fit providentia : nec juftæ adminiftrationis videatur effe, fceleratis committere illud velut fuperne ultionis armamentarium, illam dico partem aëris, procellis natam fulminibusque, ex qua deinde dæmones poffint expromere cum libuerit arma publica, quibus res humanas affligant, & mortales infeftent?

Ad hæc fimiliaque fapienter Marcellinus, nihil indignum Deo fieri, fi in ejus Regno fpiritus nequam affumantur in Carnifices. Et hoc fæpe in Republica videri, ut conceffâ vitâ quidam ferventur ex nocentibus, alios ultimo fupplicio interempturi, quoties judex pro officio fuo rigidus, lexque juftiffimè fæviens imperaverit, neminem invidere tortoribus infimem æque, ac formidandam potentiam : nec dæmones iftâ à deo conceffa vi, qua noxii funt, magis gloriari debere, quàm bufones, ferpentesque, quibus ineft mortife-

ra quædam potestas, & in exiguo corpore valida pestis, quæ nec regum purpuram nec ipsam virtutem vereeatur.

Major fuit quæstio de dœmone qui flammę admixtus, formidabili tumultu pavidas concusserat mentes, & cum illa ceciderat. Primusque Agatho, unus erat è duobus, qui nos domi cum cæteris operientes, aliorum metum sua formidine geminaverant; sed quid Firmiane censes de isto Genio, ait, cujus tu spectator non otiosus, exactissimâ descriptione nobis imaginem exhibuisti? permitte amico non de fide tua quidem dubitare, sed tibi tanquam Christiano & Philosopho loqui. Num putas aliquos esse Genios, qui regant mortalium mentes definitis imperii sui temporibus; quique elapso sæculo tradant aliis hæreditaria quadam serie, quod illis dederat sæculum nascens, mundique vertenda post centum æstates constitutio? Angelorum nutui parere cœlestes orbes non negaverim, circulosque suos implere, illo planè cursu, quem vel concitatum, vel simillimum quieti dederit, seu quadam regentium movens virtus, ut aliqui existimant, seu voluntas imperiosa ex aliorum opinione, ad tantum opus abunde sufficiens. Et illud concesserim, ipsum oceanum, motu vario tot disputationum materiam, formæ intelligentis ministerio, vel in se statutis horis recedere, vel in terras effundi.

Sed quis ferat asserentem, Genios esse, non ex iis, quos humano generi custodes adhibuit providentia, sed ex nefandorum numero, qui alternis imperiis sæcula regant, suosque

mos

mores non repugnantibus mortalibus inspirent? Certè cùm omnia regna, eodem sæculo, ingeniorum morumq; similitudine non conveniant, fatendum erit cuique provinciæ, suum assignari Genium, qui diversos à cæteris affectus, singularemque vitæ rationem suæ genti communicet: & ita, non erit sæculi Genius, quisquis ille sit, qui inani titulo se nostræ ætatis principem finxit, ut eminentissimæ potestatis opinione, vel admirationem sui, timidis mentibus insinuaret, vel etiam, quod peius est, reverentiam. Non ita malè agitur cum rebus humanis, ô Firmiane, ut generi nostro ab hostibus quasi leges dicantur, eorumque malitiæ subjiciamur, qui numquam ad sana, laudandaque provocabunt subditorum mentes, si pro arbitrio nocentes sint, & quò volunt, inflectant.

Hæc ille. Sed jam silenti, & levi risu quasi postulanti, mene offensum vellem, quod Genium exagitasset, responsum debebatur, & hæc à me libens accepit. Nec ego malis geniis existimo orbem esse commissum, o Agatho, tenebrarum quidem dominos, ex sacra pagina novimus, sed quis nesciat nefarios homines noctis appellatione designari, in qua astra non luceant? Ibi enim obscuritas est, ubi sol Christus suum non effundit splendorem, nec virtutes irradiant. Sed nec istius noctis principes sunt mali Genii, nisi ipsamet anima, tædio lucis, volentes advocet, sub libertatis titulo posteà crudeliter imperaturos. Certum tamen est, Agatho Charissime, sibi succedentia sæcula, diversissimis ut

plurimùm agitari Geniis, nec eosdem pati Manes, hoc verbum liceat à Poëta mutuari, quot ex genere nostro, variis temporum conversionibus orbem implent, prioris ævi ruinas, sua præsentia reparaturi. Quid sint autem isti Genii scire desideras, ô Agatho, explicandæ rei causa mutabo nomen. Dicamus, si lubet, hominum ingenia, singulis ferè sæculis mutari non Genios, quos eo sensu admitti æquum non est, quo olim delusa antiquitas, inferum orbem geniorum potestate regi ineptissimè existimavit. Quomodo autem ais, diuersa sæcula, studiis moribusque tam distantibus subsunt? & hoc à te peterem, Agatho, cur singuli procedente ætate variis exercemur cupiditatibus, adeoque discrepantibus curis, ut quæ olim fuerant negotiosa adolescentum oblectamenta apud viros proscriptæ sint: succedentibus scilicet aliis curis, quæ sæpè non ideò laudantur, quia sapientiùs animum humanum discruciant; sed quia frigidius utiliusque insaniunt. Neque verò studia tantùm aut mores pro etatum diversitate diversa sunt, cum & sensus quadam temporum leve à seipsis quoque dissentire videantur, priorumque voluptatum non obscuram pœnitentiam profiteri. Pueros etenim non illi colores delectant quibus libentissimè utitur provectior ætas, in ipsa vestium pompa ædiumque ornatu jam amans delicias tristiores. Bellaria, mel, saccarum, & si quid aliud sua dulcedine commendatur, infantium palato maximè placent, non senum, quos vini recre-

at potus, & amara voluptas? Quædam, ut vides, non tam ipforum hominum, quàm annorum paſſiones ſunt, quas amouet, non ſibi diu conſtans natura, temporumque curriculum. Volventibus annis non corpus tantùm, ſed & animus mutatur, omnia penè quæ elegit, amavitque, novo judicio, nec firmo tamen, certiſſimè improbaturus. Audiſti, Agatho? ea quæ cuilibet homini non obſcure eveniunt, puta ſæculis etiam convenire, & ita poſt certas ſyderum motiones velut communi lege hominum ingenia trahi, ut vix abducantur ab illarum rerum ſtudiis, ad quæ naturæ ipſius ſecreta vis, ſæpè etiam neſcientes impellit.

Meminiſti qualis fuerit ante ducentos annos ingeniorum conſtitutio? ex ſcriptoribus liquet, non ſolum non floruiſſe eloquentiam, ſed conculcatam ab imperitis, ad juſtius ſæculum provocaviſſe. Tamdiu jacuit eloquentia, donec illam ſatis à barbaris contemptam, laceratamque, revocavit fœlicior ſyderum nexus, atque ſocietas; Iam in honore eſt, iam viget, & publico ſuffragio fulta, ſæculum aliud tremens expectat. Quid? non ex hiſtoria didiciſti, quanta fuerit quibusdam ſæculis doctorum hominum indigentia, artiumque, quæ anteà in pretio fuerant, penuries? Nullo indicante, ruditate ipsa agnoſcuntur, ætatis non ingenioſæ, ſcriptores, ædificia, ſtatuæ in hoc uſque tempus ſervatæ, ut etiam ſua ſit ridiculis operibus immortalitas. At forte, ais, bellis orbem infeſtantibus, exulauerant artes, fœliciori ævo cum ipſa pace rediturae.

Longè aliter res eſt, ô Agatho, tam latæ ſtupiditatis altior cauſa, quàm quæ ab armis petitur, principumque diſcordia.

Verùm ſit quaſdam artes otio nutriri atque deliciis, quales in ſobriis gentibus publico judicio damnatas crimen fuit colere, qualeſque Sparta optimis moribus conſulens, prohibuit ſuis civibus. At numquid fabricandorum armorum peritia, inter tumultus bellicos langueſcet, neceſſitatemque operum illorum, ſine quibus bellum, nec commodè geritur, nec quid habet metuendum? Et tamen ſæculis illis, ſub infauſto cœlo inſcitiâ laborantibus, miles armorum gravitate vires ſuas ante prælium debilitari ſæpè dolebat, ſolertiâ illâ prorſus extinctâ, quæ aliis temporibus, ita ferrum aptat militaturis, ut ſe metallo indutos, ex irritis potiùs hoſtium ictibus quàm ex pondere agnoſcant. Quis inde non videat aliquam eſſe cauſam ſuperiorem, cujus vi hominum ingenia, vel vigent, vel inepta redduntur, ad eaſdam artes, quæ aliis tempeſtatibus florent, nec multo etiam conſtant labore cùm ſub aſtris mitioribus ſagacior ætas, eadem voluit, quæ non fortunatè tentaverat, ſub agreſti cœlo, neceſſaria ruſticitas. Adhuc apud nos videntur incommoda illa militantiũ ſubſidia; haſtæ ad ſtuporem intuentium graves: Clypei, quos ex craſſitudine granditateque Gygantum credas, niſi corpuſcula fuiſſe, quæ hæc gererent, admoneret ipſa natura, quæ nos majoribus noſtris æquavit, ut nemo illam poſterioribus ſæculis, aliquid de humanorum corporum mole reſcidiſſe quereretur.

Manent

Manent ad noſtram uſque ætatem variæ ſupellectilis opera, quæ prioris ævi inconditam artem ingratoſque labores, ingeniis ad ſummam ſubtilitatem adductis, ita demonſtrant, ut nos etiam pudeat, aliquando genus humanum, tàm incommodè tàmque inconcinnè ſeu neceſſitatibus, ſeu deliciis ſuis conſuluiſſe.

Plurimorum Principum nummos vidiſti, Agatho, ſed fortè hæc ingeniorum monumenta, mutamque, & fidelem variæ ætatis hiſtoriam in his operibus non advertiſti. Sub Auguſto artifices etiam auguſti, expreſſerunt in ære non indignos tanto Principe vultus. Nec citò periit induſtria; aliqui etiam ex Cæſaribus, quos in ſupplicium generis humani, ultor Deus mundo præfecerat, pari gratia videntur in nummis, regnum ſuum apud iratos poſteros; etiam aliquo modo commendantes venuſtate artificii. Sub Conſtantino artes, non neglectæ quidem, ſed infœliciter laborioſæ, humaniſſimum Principem, barbara manu, ita poſteris exhibuerunt, ut honor ipſe, qui meritiſſimo Principi, ab imperitis delatus eſt, haberi poſſit pro injuria majeſtatis. Nec mitius cum aliis principibus actum eſt, qui poſt illum regnaverunt. Iulianus in eos artifices incidit, quos meruerat; truces oculos, vultum horrida barba rigentem; ipsa artis malignitate effecerunt horridiores; ut Tyrannus, qui doloris compendio è vivis exceſſerat, longa Tyrannorum iſtorum quaſi ſævitie, etiam apud poſteros puniretur in nummis.

Putas, ô Agatho, quicquid una ætas patitur, cæteris etiam convenire, æquali ſemper re-

regnantis cœli, charitate vel invidia? Diversis omnino modis in nos sæviunt astra, placanturque mortalibus. Novo indignantium stellarum influxu morbi quotidie creantur quos vetus medicina non novit. Illudque certe admiratione dignum est, mare jam metuendum esse iis qui in portu consistunt; hominesque, quos propitia navigatio fluctibus eripuit, habere aliquid ultra naufragium, quod ab oceano timeant. Constat enim experientia, à centum annis, maritimas oras longè aliter quam prioribus; sæculis, insalubres esse humanis corporibus; pravitate aëris sæpè fauces corrumpi, cadere dentes; & vincinitate maris aliquando peius affici terræ incolas, quàm si tempestate sæviente fluctus ipsos subirent. Ortum ex Dania malum, non multò post totius orbis luem fuisse, notavit celeberrimus inter nostros medicus, causam novæ cladis aliam non agnoscens peritus morborum perscrutator, præter siderum iras.

Referam, si placet, inauditam ante quinquaginta annos, humanorum corporum afflictationem, Polonia gemente quod sola inter omnes orbis regiones, electa sit in theatrum calamitatis. Quotquot nova tabe erant afflati, poëtarum Medusam in historiam vertebant; noxii humanoris acerbitate capillis ita flexuosè arrectis, ut serpentes viderentur merso capite, in putida carne, caudisque in altum ludentibus. Cerebri laborantis, cujus injuria hunc in cute horrorem faciebat, nullum remedium: miseris crines amputare aut avellere, mors erat, vel desperationi proximus dolor, ipsa morte atrocior.

Scio

Scio hominum mores non eadem servitute damnari, qua corpora sub imperantibus stellis, nec improbo cælo in nobis virtutes interire necessaria defectione: sæpiùs tamen accidit, ut animus, prono ad vitia corporis temperamento, ipse quoque legem sequatur, quam sensibus, non rationi datam esse, quisquis hominis dignitatem novit, ignorare non potest. Hinc est quod variè in venis accenso sanguine, prout cœlum ardens nos aspexerit, homines vel ad venerem procliues sint, vel ad iram, sub frigidiori climate numquam sine incendio. Amota superstitione, quam Religio, ratioque justissime damnat, crediderim novam aliquam cœli constitutionem, nova studia, novos mores, non obsistentibus animis ingenerare, & veluti sigillo quodam, in voluntaria cera, imaginem imprimere habitus illius, quem astra patiuntur. Age nunc, Agatho Charissime, & si quid in contrarium habes, prome citiùs mihi, cui jam multa ætas, & studiis exhausta valetudo, à juniori discere, non verecundia erit, sed voluptas.

Ad hęc jam modestior Agatho, dixit se de diversis Geniis doctrinam libentissime amplecti, quæ nec dæmonibus, nec cœlo, potestatem aliam in liberas mentes concederet, quàm illam cui ex arbitrio seruiunt. Sed si diversus à cæteris sæculi nostri Genius, ait, peto, Firmiane, quæ sit illa tam insolens novitas, & in tetro phantasmate quid ipse animadvertisti, quod ingeniorum nostri temporis habitus, & vitia adumbret? Sapienter utiliterque curioso sic mihi visum est respondere.

Spectri

Spectri exitialis formam, veſtes, ſermonem denique, qualia à me audiviſti, Agatho, in mentem revoca, & quî conveniant, miſerrimo certè ſæculo facillimè agnoſces.

Ex ſæculi noſtri Genio, eſt legitimam poteſtatem, in politicis æquè ac in ſacris, ferre non poſſe: ardua, & humanam facultatem ſuperantia, periculosè ſcrutari: inquieta ſcientia turbare orbem Chriſtianum: quæ in ſchola ſecretiora ſunt palam facere, ut nihil tam ſanctum, tam purum noverit doctor, quod plebs, & fœminæ, inſcitia ſua, & temeritate diſputationis non polluant.

Ejuſdem Genii eſt, novitatem antiquitate conveſtire, ut ad inſignia vetuſtatis, major illi cultus adhibeatur, major fides. Veritatem obnubilat idem Genius lippis oculis parcens: de cætero loquax, & ad faſtidium noſtræ ætatis infinitos quotidie calamos aptans, quibus poſteritas, ni tempus obſtet, aut fortius illo, incendium, non mediocriter cruciabitur; Ipſomet Genio authore, Religio, dignitate abjecta, fortunæ ſervit: pietas olim actuoſa, otio torpet, inertiæ etiam ſuæ mercedem ſperans: ambitio novis honorum figmentis ineptiſſimè intumeſcit: Egeſtas pecunia comparatur, & qui ad eam pervenit, aurea via, inter lilia, applauſore & mirante populo, ſedens, fruitur inopia fœlici: abdicatur denique ut, major ſit morum licentia, ipſa libertas.

Ex his, ô Agatho, licet aliqua obſcura ſint, & explicatione indigeant, jam quaſi ad primam auroram dubie vides, cur Genius in Coloſſi altitudinem creſcat, artuum vaſtitate terri-

terribilis; cur myſteriorum volumen, non quibusdam tantùm aperiat, ſed omnibus. Quid portendat inturbato vultu audacia: quo animo ſenectutem inſerat adoleſcentiæ, & confuſis utriuſque ſexus veſtibus, ea minimè ediſcernat, quæ fœminas, ab iis, quæ viros decent.

Cætera ad eamdem facem referuntur quâ orbi ignem ſubjicit iſte Genius; ubi enim verecunda aut tremens veritas ſilet, licentiùs furit vitiorum incendium. Aliis quoque ex cauſis mundus igneſcit. Quæ ſint, petis? libri multi odiorum, plures voluptatum incentiva ſunt; ſacro igne conſumitur juventus illa, quam templo miſerrimi parentes devovent, non ut fiat ſanctior, ſed ut fulgeat. Ardet plurimorum zelus, ſed non ignis à Domino. Nobilitas, novam lucem ſibi creans, in cineres abit; & quæſitus domeſticarum opum effuſione, honor, fit pluribus pyra funebris.

Quod de vinculorum pretio oſtendit Genius, verum eſt, Agatho, multi enim ligari optant, & pro hoſtibus habent eos omnes, qui loquuntur de libertate. Cur autem terribili Genio multicolor, & jucunda veſtis? quia in illo multa etiam invenies quæ lacrymas exſiccant, riſum movent. In Belgio paſtores aliquot ſtravit, nec minora noſtris minatur, quis ignorat hiſtoriam?

Sedet animo, niſi vos amici aliud conſilium datis, ea omnia ſcriptis mandare, nova enim ſunt, & utiliſſimè edentur. Quem verò ordinem ſervabis; ait Agatho, in diverſiſſima

mate-

materia? Eum planè, inquio, quem audivistis; neque enim fortuito impetu, aut alia animo versans, de Genio locutus sum. Sic ergò erit.

Consueti Regiminis impatientia.

Novæ cujusdam Theologiæ periculosa sublimitas.

Turbulenta eruditio.

Gynomachia, sive mulierum cum Theologis conflictus.

Virorum fortium nova species, quibus pro virtute impietas.

Veritas togata.

Scribendi libido.

Ambitiosæ ars fortunæ sacra.

Pietas sine manibus.

Inanes nobilitatis tituli.

Paupertas empta.

In Gratiam libertatis detruncata libertas.

Prægustato opere, toto illo frui mihi maxima sitis oritur, ait Marcellinus; sed nunquid Gallico idiomate vulgarem te facies? absit, inquio, mi Marcelline. Quid hæc ad populum? eruditis cupio loqui, hi soli admittantur in sacrarium, plebs arcenda est. Placet autem, ô Amici, impræsentiarum inquirere de illo Genio, quem ante nos nulla ætas agnovit? Cùm annuissent, gratum fuit omnibus ab illâ insaniâ sermonem ordiri, quæ latius patet. Hæc autem est.

CON-

CONSVETI REGIMINIS IMPATIENTIA.

DISSERTATIO SECUNDA.

MOx ego altiùs, ut oportebat, in me deductus, & vastissimam diversarum rerum quasi tabulam unâ mentis acie lustrans, publicas, & in iis privatas omnium fortunas non obscurè animadverti istius Genii agitari furoribus; deprimi Reges; nutare, quæ ipsâ temporum serie, & Religione, sacra est, vetustissimam authoritatem; & quia vox ad diras tot malorum, tot seditionum imagines, interclusa videbatur, Marcellinus decenter monuit ea à me expectari, quæ de grandi materiâ, & Regnorum miserrimo statu, mente conceperam; subitòque ad amicissimum signum tanquam evigilans; Nolo mihi fidem habeas, inquio, Marcelline, oculis crede; Europam vides? ostende illâ principem, cujus authoritas non fuerit, vel sublata in totum; vel delibata; vel saltem, quòd injuriæ perfidiosissimum genus est, à supplicibus ipsis, inter abjectissimi cultus obsequia, salutationes, vota, cautè tentata; novi Regiminis desiderio.

Non illud quidem mirum est, utilem humano generi principatum, temporum lapsu in odium venisse, cùm singulis mortalibus natura-

turale sit diuturno bonô lassari. Delicata planè res homo, qui etiam opiatis cruciari potest, jucundisque, & ipsis irasci voluptatibus! Quæris quomodo? expertum te consule, & quàm non mentiar videbis. Voluptatis, ad quam tantus ardor, tantus impetus, si duraverit, vix datur patientia. Primùm oblatam, attonitus, raptusque, in assuetâ dulcedine sensus, admittit, commendante, quæ omnium penè rerum conciliatrix est, novitate; sæpiùs redeuntem, jamque nimis notam, despicit, veterem non fert: Non ergò mira res antiquissimum principatum fastidium sui fecisse, cum ipsemet deliciæ productæ sapidæ non sint, nec nisi recentes æstimatorem inveniant. Sed novum omninò & mirabile, ô Amici, simul omnes orbis regiones, consueti Regiminis gustum amisisse, eodem simul agi motu; ubiq; principes dignitatis injuriam pati, nec usu ipso dominii tolerabiles, nec suâ majestate securos; unde ista populorum rebellantium velut consensio; nexusque, & in Reges audacia?

Laboriosum esset per singula regna errantem animum circumducere, ut adductis undecumque exemplis probaretur luculentiùs totius orbis fatum esse hanc pestem, licet non pari horrore sævierit, ubicumque recepta est. Quid in suos principes peccent remotissimi à nobis populi, quotidie famâ spargente audimus; quid viciniores audeant, sentimus propè. Quis enim neget atrocissimi incendii scintillas, spirantibus ventis in proxima Regna allatas, jam spontè ardentes populos, acriùs in Reges inflammavisse? ubi Æthna

solito-

ſolito violentius fervet, & quid poſſit, oſtendit, ingentium lapidum jactu, ignitisque torrentibus terræ, cui imminet horridus vertex, nulla ſecuritas; & ſi qua urbs in viciniâ nec liquato ſulphure, nec ſaxis præcipitantibus perit, admonetur tamen terræ mugitu, ipſisque cineribus quos ſimul cum flamma mons evomit, perire potuiſſe: & hinc nobis juſtiſſimus timor, quod proxima regna flagrant, ſuumque minantur incendium.

Cùm hæc ego dixiſſem voce flebili, illâque quam dolor efficit verborum nutantium inflexione, audio murmur; Marcellinus quippe ac Fœlix, nam & aderat, timorem averſati, quo tangi me, non obſcurè ſignificaveram, inter ſe muſſabant, querebanturque Gallorum in ſuos Reges Reverentiam, quâ nulla major eſt, conſtantiorque, in dubium vocari. Et abſit à nobis, inquit Fœlix, timor ille ominoſus indignuſque quem admiſeris. Fateor, queſtibus chariſſimæ patriæ non injurioſis, magnopere ſum delectatus; ſed placandi animi erant, & timoris, qui nimius videretur, avertenda ſuſpicio. Ergo ſic.

Galliæ noſtræ adverſus principes ſuos charitatem, inquio, pietatemque, tot ſæculis intemeratam, nemo niſi rudis, & illiteratus ignorat, ô amici. Si qua apud nos bella exarſere, non excutiendi causa principatus, nec propriè in Reges concepta ſunt, quorum ſemper fuit apud nos, etiam cùm malè imperarent, Reverentia.

In maxima rerum mutatione, ſemper illud conſtantiſſimè placuit quod ſemel Gallis pla-

placuerat, unius arbitrio regi; neque unquam ita desipuit sagacissima gens, ut sub Reipublicæ nomine, plures dominos concupierit, aliorum edocta calamitatibus, quid deberet optare. Nihil Monarchia salubrius institutum est ad fœlicitatem mortalium: Nihil planè suavius, quàm in illa parendi necessitate, quæ omnium penè fortuna est, unum dominum habere; illudque imperium pati, cujus exemplum Deus est, universi rector, à quo justi nocentesque, vel sperant, vel timent, quod meriti sunt. Hoc majores nostri censuere, cùm nepotibus suis retrò nascituris, æque ac sibi leges darent; libertatemque, cujus usum concessit natura, ita coërcerent sub regibus, ut quandam servitutis imaginem, utiliter licet fœliciterque, induisse videretur: Et nos, antecessorum vestigiis inhærentes, idem putamus stirpibus, quibus parendum est ex decreto majorum, summus honor: qui ex iis imperaturus nascitur, pro communi habetur parente, nec à subditis, minori colitur reverentia, quàm si omnes genuisset. Hoc ab ipsis cunis discimus, nec aliquid priùs viri nobiles, generosæ soboli insusurrant, quàm uni Regi adhærere, & pro illo, si opus est, ponere vitam. Quia tamen diximus consueti Regiminis impatientiam ex sæculi Genio esse, neque ullum hac tempestate regnum inveniri, in quo illa tragædiam aliquam non excitarit; etiam perscrutanda esset Gallia nostra, ut si quid in ea tale gestum est curiosos non lateret; sed obstat patriæ amor, atque existimatio, quæ in tantum crevit apud vos, ut etiam si factioso-

rum

rum consiliis, plebisque non obscurâ defectione, primaria pulsaretur authoritas, ignorare tamen publica mala, satius duceretis, quàm fateri.

Itaque in gratiam vestri, quid nuper in Galliâ actum sit, hostibus in spes maximas arrectis; quid populus, quid Magnates peccaverint, optaverintve; quæ fuerit illorum, quos fundibularios vocant, causa; justane, an à pluribus probè damnata, non disputabo. Et prudenter, ait Agatho subridens; nemo quippe vulnera sua libenter videt; & plerisque suum sanguinem aspexisse, scaturientibus venis, satis fuit ad spirituum defectionem. Illud addam, inhumanum prorsus esse, infœlicibus, nimia sanandi erroris charitate, anferre, opinionem fœlicitatis, qua sibi blandiuntur, & placent; calamitatis enim, ô Firmiane, maximum mollimentum est, ipsiusmet ignoratio; nec medentium manibus habetur gratia, quarum ope ad sensum amissi doloris natura revocatur.

Non igitur, inquio, malorum nostrorum ingrata narratione aures vestras conficiam; totus ero in externis doloribus: & commodus orator, quando sic placet, præteribo Regiæ potestatis culibet probo deflendam inclinationem; tribunalia, inter acerrimos negotiorum motus, raptis prope imperii habenis, ad speciem regalis fastigii accedentia; ubique, non inscio tantùm Principe, sed & cernente, nec volente tamen, militum delectum; instructas acies: publici æris solvendi, sine præfectura leges datas: urbes sine hoste armis ferventes:

medita,

meditata, invocata, empta, fœdiſſimis conditionibus exterorum auxilia; tumultuariam denique ineptæ plebis, nec ſe à primoribus ludi ſentientis audaciam, cujus vel recordatio revocat metus, atque iram accendit. Et fortè jam plura dixi quàm velletis audire: ſed hæc ſaltem obiter, & tanquam ex nube fulgura, cito tranſitura luce oculos veſtros perſtringere debuerunt, ut quid nolim merito ſermone proſequi; & quam vobis parcam non ignoretis; ad cætera regna tranſeo, nobis patent, & in his, ubi nullius offenſam timeas, non trepidabit inquiſitura prudentia, neque alienæ calamitatis moleſta erit contemplatio.

Anglia ſuos olim Reges non ſolùm tulit, ſed & ferè habuit pro numinibus, horum enim arbitrio vel ſtetit Religio, vel abjecta eſt. Nota loquor, & ex temporum ſerie ſi vacaret, facillime comprobanda. Colendi Regis in illa inſula, modus ſine modo, ſi ab Henrico octavo, ad Carolum uſque hujus nominis primum, quid ſacrilega in ſuos Reges obſervantia, peccaverint Angli æſtimare volueris. Idem Eccleſiæ caput, proindeque oraculum fidei, Chriſti Vicarius, primus ſacerdos, qui Rex, & in politicis arbiter ſummus; &, quod nefas apud nos habetur, ab uno tamdiu pependit humanorum adminiſtratio, & ratio divinorum. Ubi nunc illa regii culminis Reverentia, ubi honor nimia adulatione ad impietatem vergens, & ſedenti Petro injurioſus? jam apud Anglos Regis juſtiſſimum nomen tyrannum ſonat, plebem movet, proſcriptum eſt, illudque, vel invocare perditis in rebus,

vel professo dolore suspirare, satis est ad supplicium. Iam fugiendum ab insula (quasi Cyclopum altera) non Romanæ tantum Ecclesiæ assertoribus, sed & Monarchiæ studiosis, ut uno exilio duplex authoritas damnata, moneat incautos Reges, suæque dignitatis incuriosos, ibi thronos non stare diu, ubi hæresis in dies semper audacior, subtiliorque, sceptrum fastidiens, de libertate cogitat, seipsam quoquo modo stabilitura.

Angliam vidi, dum adhuc sub clementissimo Rege suas leges patiebatur, nec prudentiam majorum in judicium vocabat, ut post tot sæcula periculosissimè decerneret, illudne melius quod servandum statuissent tum summa pax regno principem suum colenti; ærarium ad vicinorum invidiam, metumque; portus commercio graves; tanta denique securitas, ut nihil illa terra videretur auspicatius. Aquis ingentibus vallata, mirum est quàm placidè ab illo naturę propugnaculo nostra incendia viderit, quàm nostros tumultus imperturbata riserit, auxeritq;aliquando, utilissima negotiis suis iniquitate; ut cæteris terræ partibus bello occupatis, sola nutriret illas artes, quibus fovetur fœlicitas publica, evocanturque à remotissimis gentibus opes, numquam certius ad nos perventuræ, quàm labore, & ingenio. In illâ pace nulla penè famosa navigia nisi quæ regni illius insigniis micarent, toto visebantur oceano: illis fulgentibus, plurimæ classes ad principum suorum dedecus, timidè errantes, furto tentabant, quæ publico iure omnibus licent: quodque solet aggre-

di, Patentibus undis, audax & virilis innocentia, vix moliebantur post inhonestas prudentię suæ cunctationes.

Non placuit sub Rege tanta prosperitas, quid novum regimen optabilius haberet, fœliciusque, experiri voluit Anglia, jam ipsa potestatis mutatione calamitosâ, jam civilis odii thearum exitiale, & latronum, sub specie boni publici, præda communis. Non apertâ primum aut subitâ defectione seditio peccavit in Regem? secretis machinis, lento gradu sceleratum opus adorta est, querelis etenim quæ innocentiæ miserabilis speciem præ se ferrent, vi malorum sub crudelissimo regno ad desperationem adactæ; perplexis deinde sermonibus, nec explicatis; & tandem, crescente audaciâ, privatis colloquiis ora liberiùs solvens, tentavit quid posset, quid vellet exequi incertum vulgus; quos in aula apud Regem gratiosos vidit, aptosque negotiis, hos tanquam hirudines publicas, multo satiatas sanguine, infamavit; compositis in rem suam mendacibus scriptis, quibus in eos facillimæ plebis odium accenderetur.

Actum est de potestate regia, ubi Principis amor crimen est virorum illorum, quos in partem sollicitudinis vocat, non plus honoribus auctos quàm curis & invidia; & hic certè ingratissimus est fructus, seu laboris, seu meriti, non posse impunè assumi ad eminentissimos dignitatum gradus, quibus parem te fecit natura, nec Principis gratia frui.

Inter plures quibus non licuit amari à Rege, aliqui fuerunt ex potentioribus eximiè

fideli

fidelitate illustres, quidam consilio & prudentia. Quamdiu hæ steterunt Columnæ, nusquam Reges Anglici, qui his innitererur, concussa est authoritas, sæpè licet arietata, turbidis temporibus; ubi non obscure quærebatur, an populus liberrimis suffragiis Regum artifex, opus suum destruere minimè posset, quæve esset illa parendi necessitas, quam tempus, omnia terminis suis concludens, nullis finibus circumscriberet? qualis denique, majorum in jure jurando Religio, quæ post tot sæcula invitos nepotes cogeret ad Principis patientiam? Sed hæc, stantibus viris, quibus chara Regis dignitas, innoxie jactabantur, & nisi perirent, standum erat Regni legibus, nec spes ulla mutationis. Quid ad hæc ingeniosa seditio? Regem palàm reverita, ministros impetitur fideliores, rata se victricem, si occumberent. Ergò capti, & antequam audirentur, certi perire, trahuntur ad tribunal: Rex ipse, variis suorum afflictationibus jam tumultibus impar, non profutura reis majestate, adesse sustinuit. Crimen in promptu, perversa pecuniarum administratio, sanguis patriæ fusus, si non manu, saltem consilio, quo Rex usus, & in populares suos non necessario bello sæviens, nec ipse incruentus haberetur. Non diu forum tenuit causa fatalis: capite plectuntur, dolente Rege se illos à furentium manibus eripere non potuisse. Et hic expirantis Monarchiæ articulus, quæ jam publice invalida, subditisque inferior, totam qua fulgebat priùs claritatem amisit.

Contempta res Princeps, qui suos ab in-

juria vindicare non poteſt, & rarus, qui ſuæ fortunæ periculo, velit tueri juſtiſſimam cauſam caſuræ Majeſtatis: quotquot regiarum partium erant, tunc timidius Principem colere, à quo nihi ſperaretur præſidii, illoq; neglecto ad tutiora reſpicere, & temporum ſorte regi.

Quid plura? Rex ipſe, non multo poſt, quod in miniſtris ſuis doluerat, funeſtiùs expertus eſt. Primo honorarios milites, & ad imaginem Reverentiæ habuit pro cuſtodia: hæ adhuc reliquiæ erant extinctæ poteſtatis; hæc publicæ audaciæ, ſeipſam callidiſſimè regentis, quaſi fræna, ut lentius quod ſtatueret opportuno tempore exequeretur. Tandem Rex arctius habitus, & locorum frequenti mutatione laſſatus, privatæ fortunæ injurias penè omnes æquiſſimo animo tulit; nec abjectâ tamen dignitate, ſe Regem à ſuis non agnoſci, conſtanter ſæpè apud non audientes queſtus eſt. Sed coronata debebatur inſanienti populo victima, nec ignobiliori ſanguine litandum erat Reipublicæ, quæ jam concepta, nec nata, docuit, non ſolas viperas crudeles eſſe antequam edantur in lucem, & nefandam quoque apud populos, ad quam pervenitur parricidio, libertatem inveniri.

Cæſo Rege, omnes qui in illum proni, ſeu manus, ſeu facultates pereunti commodaverant, quæſiti ſunt, & in plures ultimo ſupplicio ſævitum, ut cæteri deterrimis exemplis admoniti, quanto conſtaret in Regem pietas, ab inutili jam audaciâ abſtinerent, & timore coërcerentur: nec infœlix crudelitas; animos hucuſq; tenet, ne prorumpant in juſtiſſimum faci-

nus; ne ultores se exhibeant augustissimi sanguinis, & Principis manes placent recentis Reipublicæ eversione. Ecce quid in viciniâ sæculi Genius, exempla vultis remotiora? adducam.

Lusitania, Regum dignitatem non respuit quidem, sed familiam non tulit, quæ reges dare à plurimis annis solita erat, hanc nostro ævo celebrem in Principes Austriacos defectionem, excitavit consueti regiminis impatientia, jam commune gentium malum: grave quidem est ab extero Principe regi, quem numquam videas, quem tibi inamabilem facit, hereditaria populorum, etiam sine bello diffidentium, discordia, expertæque seueritatis, tenax, & maligna recordatio. Hoc tamen jugum ferebant Lusitani, & fluminis instar, cui agger insuperabilis pro lege est, solo fremitu se invisæ potestatis imperio teneri, gementes testabantur. Sed tandem fœlici nec cruentâ calliditate, populus stirpi, quæ apud se nata, redditus, illi Domino libens subigitur, quem secretis tamdiu votis exoptarat, putatque meliorem. Ecce coronam ex Genio sæculi in caput alterum conjectam, expectantemque, donec vel fortunæ levitate cadat iterum, vel constantiâ, novæ fronti aptetur tenacius. Legitimo enim hæredi restitui regnum frustra optasset æquitas; nisi querulæ, & timenti, recens excitata à secretioribus causis, ista populorum, de quâ agimus, impatientia audaciam dedisset.

Quid autem Neapolis? an Regem habeat, nescitur, nisi suppliciis; quæ in rebel-

lantes atrocia, frequentiaque, penè tyrannidis notam terribili Regno inussere, & ex subditis acerrimos hostes effecerunt, quotquot æquitatem imperii, metiuntur suavitate, & clementia.

Quis, oro, Gallicis copiis in Catalonia viam fecit, nisi sæculi Genius; bellorum incentor, & in quoslibet Dominos atrox? Eo in statu certe est illa Provincia, ut nisi subdatur alteri ex Regibus quorum viciniâ premitur omninò fulciri non possit. Amplissimi Imperii pars effecta modica tellus, non multo servatur labore; illam enim protegit ipsa cui accessit vastitas: sibi relicta, non potis est illatas injurias propulsare, guttæ similis quæ fluvio admixta, nihil à ferventiori sole metuit, sola siccatur.

Comparandæ libertatis in illa regione summus ardor, & etiam frequentibus bellis famosus; sed cathenis impar, nec sufficiens ad excutiendam potestatem: & in ea jugum patiendi necessitate, hoc tantum à benigniori fortuna accipit, posse experiri novum Principem, novas leges alternisque velut sortibus, suam, quando sui juris esse non conceditur, servitutem solari.

In illo tamen mutandi Priucipis consilio diu hæsit Catalonia: & lentissimis, inter tot variæ prudentiæ rationes, civibus, tandem arma non placuissent, nisi Genius ille sæculi, timentes cunctantesque exstimulasset; suasissetque, Gallico exercitu & imperio, suam quam amisisse sub Rege Hispano arbitrantur, felicitatem recuperare.

Nec ſe à communi peſte defendit poteſtas Ottomanica; dum ſedem Imperij Princeps, vel transferre cogitat inconſultis civibus, vel cogitaſſe creditur à furentibus oppreſſus eſt, frequens, jam in illis partidus audacia: aliis enim titulis in Imperatores ſæviens, oſtendit ſæpius injuria majeſtatis, carcere, funere ipſo, numquam ſic attolli reges ut deprimi non poſſint.

Similibus immorantem dies me potius deficiet quam materies, ſed abuti patientia veſtra non eſt æquum, & nota referre injucundum ſcientibus. Et, ne time, intercepit Agatho, nos optimis ſermonibus in tædium adduci, nam & placent quæ proſunt; & gaudet animus ad ea revocari quibus inſpiciendis una contemplatio non ſufficit.

Vera eſſe quæ dixiſti, ô Firmiane, quis neget, niſi velut Archimedes Syracuſius, armorum ſtrepitu non excitatur nec circa ſe videt orbis laborantis publica mala? ſed ex notis calamitatibus pauci ſunt qui deducant argumentum philoſophiæ, defactuque utiliſſimæ meditationis ignoratur à pluribus iſte ſæculi Genius, quibus tamen infeſtus eſt. Sequor igitur, inquio. Jam eò deducta res eſt, ô amici, ut quisquis cæteros antecellit dignitate, timeat quos infra ſe habet, omnisque prorſus dominii ſit poſſeſſio litigioſa. Ideo plurimis poteſtas ſua viluit, & tot telis impetitus honor, pro tormento eſt. Quid miramur in ſingulis hominibus ignobile corpus imperanti animo non obſequi? datur etiam corporis politici quædam concupiſcentia,

quæ dominum nescit, & peccatorum veluti fomes est quo regna vitiantur.

Salus nulla, ubi potior pars alteri paret, nec ad dignitatem suam compellitur atrocitate injuriæ. Proceras riparum arbores, fallax unda mersas, inversasque spectantibus ostendit: sed hoc ipsum quod natura ludit in aquis, veriori spectaculo terra exhibet, regiæ celsitudinis depressione. In quos invehar? quos accusem? populus certè in culpa est; sed neque in totum innocens Majestas, cujus nimia quandoque patientia subditorum nutrit audaciam, locumque dat nusquam ferendæ, vero in Regno, æqualitati.

Stellæ non sunt quæ cadere videntur æstivo tempore, verùm flammæ ignobiles, quæ vix prius micant quam extinguantur, & locum facilè mutant. Ille, ille Rex, qui fastigio suo prodest singulis, &, etiam dum clementior est, ita beneficiis allicit subditorum animos, ut timeri mereatur. Ille Rex, qui ad optanda non cogitur, sed accedit, suorum miseratione permotus, & publica sentit mala, promptâ manu, liberâ tamen, statim ut poterit, sublevaturus.

Sic ego; sed plura dicturum turbavit dissonus populi clamor; ad quem suspensus Agatho, sed quis iste, ait, tumultus, inæquali murmure aures feriens? plebis videtur concitatæ; nam & passim curritur, & ad arma clamatur. Scire juvat, ô Amici, quæ tam subiti motus causa, in iram miserit insanientes, sed hinc exire intutum, & dum loquor, jam densior turba plus audet quam incœperat.

Ado-

Adoleſcens erat in familiâ, ingenioſus, & maturus ſupra ætatem: is egredi juſſus, & cauſas inſoliti motus ab obviis ſciſcitari, ſtatim ut illis admixtus eſt, quæſivit unde exorta tempeſtas, quisve hoſtis, odio, armis, tumultu, peteretur? ſed nemini ita compoſitus animus, ut pacatè reſponderet; multumque fuit, ab iratis turbatè accepiſſe: non paſſuram civitatem illuſtres captivos diutiùs teneri, quorum libertas, jam plus anno, tot fruſtra votis expetita, haberetur publica ſalus. Quidquid eſſet in Regno ſpei, ad ſublevandas afflictæ plebis calamitates, contineri in arce, quâ viri Principes, ſolâ ſuſpicioſæ poteſtatis opinione, & virium famâ rei, detinebantur. Interim creſcebat tumultus, & quacumque aſpiceres, arma feruebant; ferebaturque, plures civitates non manſuras in officio, niſi Rex mitioribus conſiliis utens, pateretur eripi ſibi, quos ſub Majeſtatis invidiâ, privati hominis ambitio, in commodum immanis fortunæ victimas deſtinabat. Reverſus adoleſcens ſeditionis imagine plenus, non ſine timore retulit quæ audiverat: adjecitque, ſe inter furioſos periclitatum modeſtiæ vultu, tandem arte evaſiſſe, ſimulatis affectibus quibus laborabat inſana multitudo.

Amoto ſervo, ne ſecretioribus colloquiis intereſſet, quisque liberius inter amicos, paresque, ſuum ſenſum aperuit, primusque, Agatho; Nec prophetam, inquit, me dixerim, nec aſtrologum; qui vel numinis afflatu, vel diuturno ſyderum commercio ſupra cæteros mortales edoctus, poſſim futurorum ca-

liginem evoluere. Non alia mihi lux, quam ea quæ generi noſtro ad varios hujus vitæ uſus à natura conceſſa eſt, & quæ eventis in dies clarior, quandoque ultra præſentium rerum ſtatum, fœliciter ſe effundit. Dicam tamen, neque ideo mihi prudentiæ nomen uſurpabo, me hodie nihil ab iſto adoleſcente audiviſſe, quod non ante præviderim. Statim ut ſpiſſatæ nubes, alta petentem exhalationem in ipſa via intercepere, fit ſtrepitus, vehementiora & atrociora portendens. Idem ego ſemper exiſtimavi de Principibus viris; ſtatim namque, ut in inſidias deducti, captique ſunt, è carcere ipſo veluti tonant, neque umquam ferè illorum eſt ſine fragore cuſtodia. Et raro murmur otioſum: plurima namque moventur ad tumultum amiſſæ libertatis; & licet utiliter ſecedant, nihil molituri in neceſſaria ſolitudine, ſæpè tamen in Regno idem fit quod in ægrotis videmus: ut validiſſimo remedio totum corpus concutiatur, & ſalus pereat, quæ optimæ artis non ſobrio, nec timente ſatis uſu, quæſita eſt.

Principum, qui non palam deliquere, animadverſio publica caudam habet, velut cometes; trahit namque ſæpiſſimè longiorem ſe calamitatum ſeriem, & hæc mihi videtur ratio. Ubi illuſtrium pœna, peccato notior eſt, tanquam ſit calamitoſæ virtutis, primò miſerationem movet, deinde iram, quæ ſeditionis in mobili plebe maximum eſt incitamentum. Conſtet de ſcelere, pauci erunt quos moveat merita captivitas, nec ipſum natalium decus ad miſericordiam flectet.

ctet; ubi autem supplicij causa non putatur esse, miserorum defectio, sed aut sævitia hostium, aut regentium timor; clementiam vulgi cito obtinent, qui etiam ante carcerem invisi, aliis de causis diras in se excitarant.

Nostis quanta fuerit ad principum recens malum inconditi vulgi exultatio; in plerisque locis publicè ignes accensi, quorum vel lux nocte ipsa horridior, à captivis posset videri, addito clamore, qui ad spectaculum ingratissimi gaudii vocaret infœlices. Parum erat ubique narrare optatam virorum illustrium captivitatem; canebatur in compitis, ridiculæ poëseos argumentum effecta, & ad populi Genium, ut principes viri traducerentur hilarius. Nunc diversissimo motu agitatur plebs; postulat reddi captivos, quibus antea tam acerbè illusit, ut numquam placanda putaretur. Neque mirum: quicumque apud nos Regio sanguine clari, modica pœna diluunt quodcumque peccaverint, summumque illis jus est ad misericordiam, generis reverentia, ac dignitas. Iam igitur vulgi judicio sunt innocentes; solique censentur qui cadenti Galliæ manum utiliter admoveant, succurrantque rebus publicis, quas in desperationem, ut ajunt, propè adduxit ministrorum vel ambitio, vel cœcitas, vel inertia.

Sed altiora suspicor quàm quæ videmus. Mare tempestatibus quidem obnoxium est, at non sævit nisi placidas undas turbidus aër miscuerit: nec profecto plebs ista tam subito tamque acri motu insurgeret, suis admo-

miſcuerit: nec profectò plebs iſta tam ſubito tamque acri motu inſurgeret, ſuis admonita malis, quam tenax ſit læſis Regibus memoria, niſi aliunde excitaretur. Credite, ventorum, non pelagi iſta rabies eſt, quæ nos vocat in diſcrimen, & omnia diſturbat. Neque enim omnes Æolus clauſos habet, tres tantum

Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat,
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.

His auditis, diutius tacere in poteſtate non fuit. Ergò ad Fœlicem verſus; Et hoc eſt, inquio, ô Fœlix, quod tu nimio affectu in patriam pronus, me ſilere voluiſti; jam fatere quod times, quod ſentis, quodque animo, de rebus noſtris piè quidem, ſed minus verè judicanti, ſuadere tandem debet, iratum vulgus, ſeditioque multò me eloquentior. Audis quid populus, non optet ſolum, ſed, jubeat? intemperanti enim ſatis non eſt, eſſe Regi à Conſiliis, vult, decernit, imperat: nihil umquàm voce validiori, vel poſtulavit, vel minatus eſt. Ecce toto pectore, totis faucibus clamat, purpuram ſacram politicæ adminiſtrationi aptam non eſſe, reddendamque altaribus. Illos omnes, quibus huc usque uſus Rex, amovendos à negotiis, noviſſima exempla meritos, publico damnandos judicio, Regno pellendos.

Con-

Contemnatur an vincat rumor insolens incertum est ; sæpè enim tempori utiliter aptatur Regia dignitas , vultque invita , quod noluisse , etsi fortè rebus minus conducens , esset tamen honestius. Et in mari ventis aliquando obsequendum , quos præter artem patitur qui clavum tenet. Necessitas non minus Regum quam cæterorum lex , pro ut se obtulerit , ab omnibus excipienda est : ad quid enim inutilis , indecensque reluctatio ? qua trahimur , eundum quid tamen verear libenter dicam.

Non facilè concessis placatur popularis audacia : majora vult quam postulavit , si trepidè illam demerearis, fælici successu admonita , quam impunè possit peccare. An captivi in quorum gratiam furit vulgus , solvendi sint , magna quæstio sed politicis agitandam relinquimus , quorum judicio , nec leviter in vincula conjiciendi Principes , nec libertate donandi ; cum ferè æqualis momenti sit , & eos injuriâ tenere, & læsos , memoresque , fortunæ reddere , qua abuti maximè solent , qui ea uti aliquandiu prohibiti sunt.

Quam noxium sit , quàm stultum accingi in suos Principes consueti regiminis impatientia, illique accedere, qui armorum vi ad humaniorem formam adacturos se jactitant rigidissimum ministerium , utilius tractabimus. Corporis humani ideo facilis est dissolutio, quod coalescit contrariis & litigantium

um

ſolutio, quod coaleſcit contrariis & litigantium qualitatum diſſidio premitur, velut illæ urbes, quæ civium rixis partitæ diſcindunt fœlicitatem ſuam. In quolibet Regno illud quoque advertas; nam fortunarum acer concurſus eſt, perpetuaque conflictatio: nulla ſine hoſte, aut inſidiis; ſi qua eminet, ipſius faſtigii umbrâ ſplendorem ſuum condi ij omnes putant, qui ſupra ſe nihil quietè vident, dolentq; eò loci ſuum ſtatum eſſe, unde poſſit aſcendi, hinc pugnæ, hinc tumultus; ubi enim ambitio tranquillis in rebus nihil proficit, ipſi otio iraſcitur, diſturbatque, velut inſanæ gloriæ impedimentum, publicam pacem.

Adde illud, plures eſſe ex illuſtrioribus viris, qui cum in altiſſimas ſpes incubuerint, fruſtra ſe ſperaſſe impatienter ferunt, injuriamque dignitatis exiſtimant, non obtinuiſſe à Rege, quodcumque prece audaci, & propemodum armatâ, poſtulavere. Neque ſemper invitis negatur quod rogant. Callidiſſimæ ambitionis ſubtilitatem vobis aperiam; quæſito probro, ſæpiſſimè viam ſibi ſternit ad optata, ubi honeſtior tranſitus non eſt; quâ autem ratione, inquis? Illa petere quæ ſalvâ Regis majeſtate, & ſecuritate Regni, concedi vix poſſunt, ars eſt cupiditatis illius, quæ in bellum prona, non prius attollere ſigna audet, quàm iniquitate repulſæ laceſſita videatur. Indignationis tum ampla materies ſponte averſis, & illud ipſum, quod verò affectu flagitare videbantur, timentibus. Dehinc, iræ imagine verba jactantur; quæ mox relata Majeſtati, audientem juſtiſſimè exaſperant,

quod

quod largitionis leges ſibi imponantur à ſubditis, nec liceat Regno potienti, ea non dare, quæ dediſſe pœniteat. Quid tandem? ſcintilla flatu incitata creſcit in flammam, & ira fit Regius dolor, frequentibus querelis, repetitaque audaciâ ſæpè tentatus; tunc ab aula recedendi maxima cauſa, Regem ſuſpicioſum habere, captivitatis meditatæ timor, indignata Majeſtas.

Alii quoque ſunt offenſionis prætextus: ſcilicet ad ſecretiora conſilia non vocari viros Principes, generiſque ſplendorem traduci, Miniſtrorum infimę ſortis electione; qui eo amplitudinis gradu evecti, ſtirpes regno proximas deſpiciunt, ut apud plebem eminentiores habeantur conculcatione dignitatis; & quàm poſſint novi fortunæ alumni, appareat illarum poteſtatum dejectione, quibus ſi Sceptrum excipias, maxima quæque natura conceſſerat.

Sæpè etiam fit ut ex principibus viris aliqui, inviſos ſibi in aula quoſdam vultus ferre non poſſint; hos ſi Rex admittit, & maximè ſi amat, in partem odij ſuccedit, eâque amicitiâ alienos facit à Majeſtate, eos omnes qui Regii amoris arbitros ſe conſtituunt; neque ullos benevolo Rege frui prope patiuntur, niſi quos probavit privata eorum utilitas, Regumque gazis inhians per varios aſtus ambitio. Poteſtati namque ſupremæ dare amicos, quos audiat, credat, ſequatur, illam regere eſt, & ſolio ſuo deducere, inſciam licet, fraudique à quâ nihil ſuſpicatur, aut timet, manus dantem.

Illud

Illud tamen si negatur, deligere scilicet Majestatis familiares, qui illam ex potentiorum præscripto, ad optata inflectant, in speciem justissimi abitus, fingitur obsessum Regem justioribus amicitiis non patere; noxia illum inter gratiosos consilia sæpiùs agitare, quam ludicris (ut putatur) Regios labores solari: denique omnia in pejus ruere: fidem non inueniri in aulâ: præcipuo sanguini insidias strui, quas declinare omnino nequeat nisi fuga præverterit.

Spontanei deinde exilij rumor latè diffusus, illos omnes ad defectionem movet, quos vel spes inanis diuturnâ expectatione in aula lassata, vel armorum libido ad quæstuosa scelera facit audaces. Mox serpente exemplo, alij atque alij iniquis partibus accedunt, non defectorum amore, aut odia in Regem, sed delicti contagione, in eam vesaniam acti, quam veloci pede consequitur patriæ vastitas, & pœnitentiæ verecundia.

Iustissima etiam videtur causa capessendi arma, cùm principes viri nulla noxa detruduntur in carcerem, nec nisi publico tumultu possunt libertatem recuperare. Sed, quæso, nostrum ne est investigare jure an injuria teneantur illi; quos Rex recipi jussit in humanissimo præsidio, ad breve forsitan tempus suam clementiam expectaturos?

Non omnis morbus in cute est. Intra vitalia ipsa quidam corpus inficiunt, quorum nullum in colore indicium: illos tamen peritus medicus ex alia significatione novit & timet, & secretæ invaletudini remedia citus applicat,

plicat, mirantibus inſciis, ad validi corporis habitum trepidare medicinam. Regnandi ars, non minus quàm illa Hippocratis, ſecretos Reipublicæ morbos prius intuetur, quam multi illam ægrotare ſenſerint; & maximè populus, acerbi medicaminis, cujus neceſſitas aut efficacia palam non eſt, malignus ut plurimum judex, & gratiæ calumniator. Magnatum cuſtodia in illis quandoque remediis computanda eſt, quæ cum minantibus malis obviam eant, nec ultimam ægritudinem expectent ut evidentius proſint, ſuperflua habentur ab iis qui nullos eſſe morbos credunt, niſi procedant, & atrocitate ſua medicinam ipſam fatigent. An, aut quid peccaverint, quos Regia premit poteſtas, non eſt ſubditorum inquirere; nam ſive ex merito, ſive per odium infœlices ſunt, non licet patriæ excidio & ſacramenti, quo tenemur, violatione illos demereri, quorum poſt carcerem libertas plerumque metuenda, & raro etiam innocens, ſi non Regis ipſius munus eſt, ſed plebis armatæ beneficium.

Plurimi ſunt, non diffiteor, qui ſanguinis communione, quæ illis cum ejusmodi captivis intercedit, infidelitatem ſuam prætexunt; videntur enim à natura ipsa abſolvi, qui tuendi ſanguinis causa deficiunt à Majeſtate, nec in ſuum principem peccant, niſi, quia non peccare natalium lege ad culpam propemodum adactos, affinitatis injuria cenſetur, & numeratur in probris. Sed privatæ charitati publica ſemper præferenda eſt, neque in gratiam domeſticæ fortunæ manus um-

umquam armanda in Regem, qui parentis loco cum habeatur, omnesque in sinum suum receperit, sine parricidio peti non potest.

Et vana omninò quæ à perduellionibus jactari solent, non Regi se esse infestos, quem sciunt summopere colendum, sed in illos armari, qui crudeli Reipublicæ administratione, miseram pacem, seque reos fecerunt. Manus enim Principis existimari debent, quicunque illo jubente publicis negotiis præficiuntur; neque fas est, in illis extensum Regem violare, qui velut Majestatis quidam radii amplissima dignitate, in longa spatia protensi, solem suum illustrant.

Regia dignitas solio suo non est affixa, magnitudine regnum æquat, etiam in ministris illis reverenda, in quibus temperantius fulget. Vetus est defectionis species, in remedium publicæ calamitatis arma levare, ut pessimorum hominum mala arte tanquam consopitus Rex, armorum fragore excitatus evigilet, & quid in pacato Regno peccaverit agnoscat tandem agitata authoritas. Sed quis sub illa larva turbulentam ambitionem non videat? translucens est velum quo se existimat contegi armorum rabies, & proditionem ipsam prodit vestis araneosa. Regem suum, quietem suam, vulgus summopere amans, non facilè armatur, nisi tuba illa boni publici multitudinis aures feriat, & clangore suo torporem illum excutiat, quo quisque domesticis negotiis ita affixus est, ut vix ad turbulentio-

lentiora ſit mobilis. Quis miretur factioſos acrem buccinam, aptiſſimam bello, in ſuos uſus accipere, & ſono illo militari replere conquieſcentes provincias, non prius ſenſuras ſe in ſuam perniciem excitari, quam bonorum ſuorum vaſtatione didicerint, uni Regi parendum, neque umquam ſcelerata defectione ad fœlicitatem perveniri.

Multi equidem non hoc prætextu, qui plebem movet, ad arma feruntur; ſed aut furenti charitate in defectionis authores, aut ſpe improba mercedis, quæ, fortius ipſa virſure, trahit inglorios; ſed omnium qui à Rege deflectunt æqualis ferè inſania. Qualis enim illa charitas quæ ſontis amici crimen fovet & infamiam? quæ illi ad nocendum vires præbet, nec ſinit fœliciter eſſe impotentem, ut, etiam invitus, ad officium ſuum redeat? Arma miniſtrare furioſis, non amicitiæ teſtimonium, ſed dementiæ pars eſt, & crudelis miſeratio, cui nulla debetur gratia, ubi remiſſo ardore, jam ſana mens ſapienter judicat de officiis. Neque adeo infatuantur partium duces, ut neſciant illos peccare, qui ſuis copiis agglomerantur, illos enim non magis pro ſociis habent, quàm pro incerti obſequij viris, & ad quam libet novæ ſpei anſam priora fædera ejuraturis, qui à Rege, cui ex conſcientia devincti ſunt, deſciſcentes, illud effecerunt lubrica fide, ut etiam cum ſincerè obſequentes ſunt, illorum tamen habeatur ambigua ingenuitas.

Cujus nominis ſint apud probos iſti homines, inde videbis, quod in caput ſuum peccant

cant, nempè in Regem. Principem suum deserere aut subditorum in illum audaciam nutrias, turpissima labes, quam nec ipsa victoria diluit, quomodo enim non probrosa scelerata fœlicitas? flagitia successu minimè nobilitantur, verùm in majus odium veniunt; nec præclarè triumphus agitur de prostratis virtutibus.

Quam fatuè autem illi omnes peccant, qui solius intuitu mercedis facinorosi sunt, nec nisi utilitate tracti bonas partes desererent! pone ditissimos esse illustres illos, qui spe inescatos milites, veluti pisces ex alveo suo deducunt. An putas ita opulentos, ut possint eos, quibus obstringuntur, remunerare; ita fideles, ut promissis suis maneant? torrentium instar est, privatæ fortunæ opulentia, citò enim siccatur, fontem non habet, sicuti illa Regum, quæ tributis perpetuo cursu manantibus largissimè fluit, neque timet effundi. Deinde, non mireris, parta pace militares ferè omnes viros, qui iniquis partibus accesserunt, ita furiosè dolere, in ducibus suis eam omninò fidem desiderantes, quam nec ipsi servaverunt. Construendis fornicibus curvaturæ quidem sunt necessariæ, sed mox ut ultimam manum artifex admovit operi, ligna amovet, nec illi curæ est, si ad alios usus, jam inutilia sibi, comburantur, & in fauillas abeant. Magnatum à Rege abeuntium, ambitiosis conatibus seruit vtiliter sperans miles, & futuri vanus expectator ad præsentissima pericula quodcumque audet: sed quæ tandem utilitas? admissi sceleris conscien-

ſcientia, fama perfidiæ; nec in ſolatium criminis amplior merces, quàm illa, quâ ſtolidiſſimus imperator Cajus copiis ſuis ad pelagi ripam illuſit, longo itinere & pondere armorum defeſſas monens, ut in exacti laboris præmium conchas tollerent. Hic certè operæ præſtitæ exitus, omnibus ijs, qui à iuſto imperio ad adulterinam militiam tranſgredientes, meruerunt fortitudine bellica, ipſiſque vulneribus, ita à fortuna deſtitui, vt quicumque illos viderit, perfidiam damnans, tamen quia homo, ærumnoſorum miſereatur, & in ſubſidium crudelis inopiæ ſtipem præbeat. Non omnino fortè infœlices, ſi ducum ſuorum vel aſpectu reficerentur qui ſub illis pugnauerunt: ſed nemo tum ſuos agnoſcit renouatis cum Rege fœderibus; ne agnitis cogatur referre gratiam, & quòd iam, Rege pacato, eos noſſe, crimen ſit, obliteratæque iniuriæ inſtauratio.

Quanto ſatius armis illis miſceri quæ honeſtam pacem, & ſecuram tibi pariunt, & cùm ſtrepere deſierint, dulci memoria animum tuum demulcent; ut, ceſſantibus licet cæteris, iuſtiſſimi belli ſemper præmium ſit, decus laboris, & imago præliorum. Verùm his non mouetur inſania illa, quæ Principibus propè vniuerſis negotium faceſſit. Ubique plebs tumultuatur; mutationibus, ut remedijs ſibi ſuccurri, furens expoſtulat, ſceptra laborant.

Sed ad alia feſtino majoráque, Religionem enim ſpectant ipſamque Eccleſiam. Quid? quòd in ea etiam, videtur impatientia

regimi-

regiminis illius, cui parere, tamdiu Ratio fuit, pietas, conſcientia?

Ad hæc promptiſſimè Marcellinus, vultu porrecto: Prolixum iter aggrederis, ô Firmiane, neque enim rem tantam paucis abſolves: & tibi jam in primo gradu hærendum, non temnendæ quæſtionis occurſu, cujus occaſionem præbuiſti. Parce, ſi feſtinantem te flecto ad aliud quàm volueras. Numquam ita nautis ventus ſecundus, ut modicum quandoque à recto curſu ratem non avertat, innoxia ſpirandi varietate, neque hoc flatus injuria, ſed ludus eſt: & viatoribus multa ex improviſo occurrunt, quæ non ingratè morantur properantes.

Fieri ne poteſt, ô Firmiane, ut ille ſit in Eccleſia, qui ipſius regimini inobſeqventem ſe præbet, & ita Catholicum agit, ut non moveatur ad imperium juſtiſſimæ poteſtatis? Cui ego; Impetum meum fregiſti, mi Marcelline, quia tamen quæſtionem hanc, non impedimentum viæ, ſed levem deflexum neque injucundum forè dixiſti, declino libens, ad incœpta, mox ut tibi fecero ſatis, rediturus.

Non ſtatim ut filius patri ſuo moleſtus eſt, ab illo abdicatur. Improbum hæredem diu fert diligentis patientia, ipsaque natura jubente, multis laceſſitur injuriis, antequam odio cedat victa charitas. Idem planè exiſtimandum de Eccleſia Chriſti. Non omnis qui præcepta ejus abiicit ab ea eſt alienus; multos fovet mater optima, quos tamen patitur; niſi enim veritatis hoſtes effecti, errori ſe

ſe dedant, pro ſuis habet, & hoc maximum amoris argumentum, quod etiam perverſis moribus infames, ex ſolo fidei charactere, ab externis ſecernit, & in prole ſua numerat quanti ſunt qui in ſinu ejus manentes, piiſſimam parentem intimis doloribus torquent, ut eos concepiſſe fructus unicus ſit, fœcunditatis prope tædium, & mæroris acerbitas? Inter ſæviſſimos cruciatus ſuſpirantem ſæpe audies, (*Gen. c.* 25) ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? numquam tamen præ dolore inſanientem, nec eò adductam ut crudeles filios non agnoſcat, ipſa crudelis. Vides, Marcelline, ut aliquis poteſt eſſe in Eccleſia ad tormentum ipſius; ſi ſcilicet, eadem, quæ cæteri Catholicorum, fidei integritate profiteatur, & tamen perditis, aut inquietis moribus ſuaviſſimam matrem flere cogat atque diſcruciet. Plures ſunt, ne dubita, qui ingenti motu concutiunt latera matris, quos tamen illa non excutit, ſponſi ſui memor, cujus quoque nulla eſſet ſine patientia paternitas; hâc enim, & filii Chriſto naſcuntur, & ſcribuntur hæredes illius; & ſi vita exceſſerint, iterum datur occiſis poſſe vivere, ſed de his ſatis. Nunc ad propoſitum revertamur regentem Eccleſiam multi jam ex iis, quos fideles nominamus, vix ferunt.

Omnibus mobilibus mobiliorem eſſe ſapientiam ex oraculo accepimus, idque ipſe uſus declarat; ſapientia enim immota licet in ſe, nec ad opinionem flexilis, ipſis tamen temporibus ita aptatur, & ſervit, ut poſſis dicere cum eis volvi; legem dat ipſa quidem, ſed &

ſequi-

ſequitur, neque dignitatis injuriam putat, eâ ſuauitate regendis præeſſe, ut ipſa vis quâ cuncta ſibi facit obnoxia, & ad finem ſuum veluti trahit, ſit poteſtas ſimul, & obſequium. Hanc in Eccleſia ſapientiam admirari æquum eſt. Quid illa conſtantius, quid mobilius? inconcuſſis principiis nixa; nec à Recto per tot ſæcula aberrans, quam diverſa tamen, ſeu ſtatuit rigida, ſeu benignior permiſit pro temporum varietate?

Olim Eccleſia in reos ſæviſſimè animadvertebat, diutina corporis animique afflictatione vix placabilis. Hæc priſcæ ætati debebatur ſeveritas: gentilium enim calumniis tum infamis erat Chriſtiana Religio, & reorum notiſſimis pœnis, abſtergenda labes illa, falſumque voluptatis nomen quod Chriſti, non minus, quam Epicuri, naſcentem ſcholam maculabat apud ignaros infideles.

Neque ſoli famæ ſerviebat diſciplina illa robuſtior, fragiles animos prohibebat iterum labi in cultum inanium Deorum, ea duritate oſtendens, eos qui deliquiſſent, quique deſæviente perſecutione cum immani fiducia redituri erant ad Chriſtum, niſi ingentibus pœnis maceratos, & purgatos in fidelium cœtum non admitti; iſta fiebat, ut qui ad Imperatorum minas à conſtantia dimoveri potuiſſent, alio timore in Eccleſia detinerentur.

Accedunt & aliæ rationes. Illis temporibus Chriſtianorum pietas multo fortior; & quia naſcens, fonti proxima, hanc ab eo derivabat vehementiam; & quia ipſis perſecutionibus incitata, militarem animum quodam-

dammodo induerat, ad labores habilis, & ardua quæque, ex belli Genio, non ferens tantum sed amplexans. Sicuti projectorum circa initia violentior est impetus, ita & pietatis diuturnitate ipsa hebescit, & in suo cursu frangitur. Olim avida pœnæ, illam expectabat intrepida, provocabatque; tantus enim erat, incipiente Evangelio suppliciorum ardor, ut ex dolore æstimaretur fœlicitas. Paucos hodie amatores pœna habet, neque jam, voluptatis instar, animos trahit; terret posteros, & sapienter Ecclesia sequentium sæculorum saluti consuluit, cum ejusmodi reis suavius agens, qui pavere idonei magis quam pati, ad sacrum tribunal accedere vix audent, nisi justitiæ clementiæque quadam mixtura, propemodum invitentur ad veniam.

Non ea est sæculi nostri pietas, ut culparum condonationem per longa supplicia quærat, aut probrosam sub plebis aspectu, & in templorum vestibulis pœnitentiam. Vehementi flatu sæpè extinguitur, non incitatur ignis; & fit periculum animorum nimius rigor, quò terribilis adeo redditur sanitas, ut vix apud imparatos trementesque sit ipsius desiderium.

Non morbi solius naturam, aut deficientis corporis habitum spectat solers medicus; quo in statu astra sint, qualis tum, sole recepto, inconstantis lunæ facies; splendere illa incipiat, an perfecto orbe potentiùs in hæc inferiora vim suam effundat, percontari omninò opus est; quòd si negligas, ars bona, ut plurimum peccat, inconsultis temporibus. Eclypsim

psim in cœlo non advertisse, sæpè fuit vitæ periclitantis, cujus adhuc in ægroto indemnata spes, Eclypsis pejor; &, si malè curantem medicum spectare libet, famæ quoque defectio. Regendis animis hanc à primo ævo Ecclesia diligentiam adhibuit, ut non indiscretè cujuslibet ætatis eadem esset seu austeritas, seu indulgentia; providitque, ut iis,qui causticis curandi essent, ita sævitiâ succurreretur, ut infirmioribus posteris non perirent illa remedia, quæ minori sensuum horrore sanitatem restituunt.

Ejusdem potestatis est, nubium fragoribus sceleratos ad Religionem cogere, & serenare tempestates. Quis justè culpet Ecclesiam, quòd olim in reorum supplicia acriùs incumbens, nunc indignata, adeo suaviter minatur & ferit, ut columbam putes sine felle sævientem?

Certe ipse Deus, ut ex sacra pagina liquet, non tantùm quid meriti sint peccatores, sed quid ferre queant, pensat; neque priùs pœnas mortalibus decernit, quàm consulat nostram patientiam,ut, si aliquando flendum, potus ille amarulentus ita tribuatur nobis in lacrymis, sic ait Propheta *Ps.* 79. ut etiam in mensura. Eventus humanos dixit quidam cœlestium orbium imitationes, nihilq; apud nos agi, cujus in definientibus stellis imago quædam non præcesserit, veriùs hoc de Ecclesia: quidquid enim facit, descriptio est ideæ illius quam in ipso Deo intuetur, ut ad superni Regiminis formã, suum dirigat; discatque ab eo, & utiliter peccantibus irasci, cum territandi sunt, & ponere iras, cùm de lenitate plus speratur subsidii.

Ita

Ita fit, ut audacioribus animis, neque satis suum scelus æstimantibus, claudatur sacramentorum janua; pateatque illis, quos adeò terret meritæ pœnæ acerbitas, ut in fractæ mentis levamentum adhiberi debeat, quædam cum asperitate miseratio.

Nostra tempestate Ecclesia tempori parcens, reos non jubet sacco deturpatos & cinere, pedibus templum intrantium miserabiliter advolvi, lambere humum, & septenni ululatu deprecari pacem suam ut lacrymas pœnitentis animæ videt, gemit ipsa, mixtisq; fletibus, prohibet divinæ miserationis spem abjicere, immanibus licet flagitiis obstrictam; Christique exemplum secuta, ita infirmos curat, ut cum illis infirmetur.

Hos Ecclesiæ Dei suavissimos mores, plurimi ex nostris ferre non possunt, consueti reginimis impatientia, &, quod certe nostra posteritas vix credat, acrior de humanitate conquestio fuit, quam de ipsa sævitie, sub publicæ libertatis oppressionibus umquam esse potuisset. Quis sæculi nostri Genium, in hoc negotio non advertat, non admiretur? quia misericors Ecclesia, non quia fulminibus atrox, & sua potestate utens, jam in culpâ est, & nisi duram se gementibus filiis præstet, noverca æstimatur non mater.

Bibliothecas scrutare; in ijs libros invenies, qui perplexâ phrasi, verbisque pendentibus, adeò subtiliter queruntur, de hodiernâ sacræ potestatis administratione, ut callide mentis stilus anceps, & flexuosus, videri possit, non ecclesiæ præsentis calumnia, sed ipsimet supplicatio.

Qui verius humani generis hostes, quam qui misericordiam tollunt, & qui novi μισάνθρωποι cruces publicas in prædio suo ostentant, quasi non sufficiat in admissi sceleris vindictam, privatum funus. Peccantibus suadere pœnitentiam, res ardua; illud enim odisse, quod placet, maximum est voluntatis humanæ cruciamentum: ipsa vitalia attingit dolor ille, & si huic accedat, non pensata prudentiæ lege aut ipsorum temporum usu, ex sacerdotum longa sævitie præter modum premens alius dolor, timendum est, ne tanto oneri impar natura, excutiat omnem illam acerbitatem, qua salus parabatur.

Famosissimi dogmatis authores neque promo, neque verbis atrocioribus insequor, vobis enim ostendisse sufficit, ex sæculi Genio non paucos regimen Ecclesiæ (*Psalm.*) cujus jam senectus est in misericordia uberi, ut scripturæ verbis utar, mutare voluisse.

Legistis delicatam duorum capitum assertionem? Novumque divi Pauli encomium, quo ille imperanti Petro ita conjugatur, ut quis ex duobus summam in animos potestatem acceperit non agnoscas? tale fere est apud poëtam:

Remo cum fratre Quirinus,
Iura dabant;

Quis unitatem sub bino capite speret? cum & Roma ipsa, ideo cruentis initiis nascentem gloriam maculaverit, quia biceps neque ab effusa inter pares altissima illa potestate sperari potest uno in Regno concordia. Hæretici Ecclesiam corpus volunt sine capite, il-

ti bifurcam effecere, ut ſit in duobus ſuprema pars; veluti in aſſurgentibus ramis, qui è trunco çquali robore erumpentes, dici non ineptè poſſunt ſummitates duæ, unica arbor.

Si Paulus caput Eccleſiæ cum Petro, cur non & Ioannes? ut triade Eccleſiaſticâ, æternam trinitatem ſacro numero quaſi æmulatâ novam hanc Religioſa plebs Symbolo addat fidei ſuæ confeſſionem, Dominus Petrus, Dominus Paulus, Dominus Ioannes, & tamen non tres Domini ſed unus eſt Dominus, & in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus, ſed totæ tres perſonæ coelectæ ſimul & coæquales. Non enim major ratio cur Eccleſia, ſi & à figmentis Poëtarum exemplum deducere libet, bifrontem potius Ianum, quam tergeminum Gerionem numeroſitate capitum adumbret.

Verum, non ſtabit diu trina illa & una authoritas; cum eodem jure cæteri Apoſtoli, in illam celſitudinem aſſumi debeant, ad quam duo pervenerint, Petri ſolitudinem in vaſtiſſima ſede, quæ plures capere poſſit, ſublevaturi. Doctrinam hanc excipit latiſſima conſequentia; quotquot enim duodecim Apoſtolorum erunt ſucceſſores, eâ poteſtatis æqualitate, ita corpori Eccleſiaſtico præficientur, ut nec Petri ſingularis prærogativa ſupra illos emineat. Quanta inde mala ſecutura ſint, nemo explicet. Nullus linearum concurſus fit, niſi in centro, centrum autem iſtud punctum eſt. Chriſtiani, quibus lex ipſa unitas, non ſunt unum niſi in uno; & ſi

extra Petrum alios quoque oſtendas, in quos refundi oporteat; nullus, ubi tot metæ, fidelium erit acceſſus; & ſi de Religione erumpat quæſtio, in diverſa ſpargentur. Plurimi tamen, ſive infœlici ſermonis non ſatis enodati textura, ſive animo nova moliendi, æquales per omnia ſocios Petro dedere, & quaſi tæderet poteſtatis illius qua pulcherrimè nectuntur effuſæ per orbem Eccleſiæ membra, ea plebi propoſuerunt, quæ ſi amplectatur, nulla major ſperanda quies, quam acus quæ contactu magnetis, accepto in polum amore, quia tamen circumſtante ferro trahitur, tremit incerta, & quam cœli partem reſpiciat invenire non poteſt.

Quis fulminum Apoſtolicorum, quis diplomatum contemptus? jam deſpexiſſe quidquid à ſuprema Sede emanat, vis animi eſt, aut etiam privilegium: proh dolor! Et judices habet apud ſubditos ſuos ſummum illud poteſtatis culmen, neque datur ſæpiſſimè iis armis uti, quæ illi à Deo conceſſa ſunt, ut feriat contumaces! ad frangendum juſtiſſimæ iræ impetum, alia opponuntur tribunalia: etiam repugnans, dolensque ad non ſua propemodum cogi, invocatur ſæpè à reis politica poteſtas; & legibus ipſis ſuccurritur afflictæ pro meritis impietati!

Inferioribus Prælatis major fortè reverentia? ne credite, amici; quæ Nili fors, ea & cujusdam fontis, qui non procul ab eo eſt: incrementa enim ſua habet, ſuosque defectus patitur eadem prorſus lege, quæ ingentem fluvium, ſervatis quibusdam ſapientis

nau-

naufragii gradibus, ſtagnare facit, aut in alveo ſuo continet. Quod ſummus Pontifex, hoc & Epiſcopi ab inferioribus ſuis non rarò perferunt. Iiſdem catenis impedita, vix ſe innocentes explicat ſacra illorum poteſtas; aliquis ſemper Demoſthenes qui ab altaribus ad Areopagum provocat, ut quælibet Diœceſis, totius orbis Eccleſiaſtici, in quo tot animæ rebellant, imago videatur.

Ad minutiora deſcendere non eſt animus, ne Regularium in ſuos Prælatos inſurgentium, diverſis in locis frequentes procellas, virginumque certamina ideo memoraſſe credar, ut religioſæ ſolitudinis amore ducti, ab eo vitæ inſtituto deflectant, in quo virtus facilior. Muros ipſos, ferrumque quod ſpiſſimum in pudoris cuſtodiam, ubicumque lumini patet via, adhibitum eſt, pervaſit hæc peſtis; nec jam ſine bello eſt, in ipſa quietis ſede, imbellis ſexus.

Sibi hæc explicari poſtulabat Fœlix, ſed jam effuſior ſermo ad alia, ſuâ prolixitate invitabat: quaſi dato ſigno ſimul omnes conſurrexere, nemoque non fuit qui Genium iſtum damnaret, quo ſoliti Regiminis juſtiſſimus ordo turbatur.

Paucis deinde de re familiari ſimul habitis, Agathoni abire placuit, poſtera die cum Fœlice reverſuro, & ut chariſſimorum virorum ardentior eſſet reditus, promiſi, ſi vacaret, ea me de ſæculi Genio poſtridie dicturum, quæ ipſi non expectarent.

THEOLOGIÆ CUJUSDAM NOVÆ PERICULOSA SUBLIMITAS.

TERTIA DISSERTATIO.

HORTUS erat in ſuburbiis amœniſſimus, quem omni ſpectabilem, ſeu artis, ſeu naturæ varietate, novus patris hæres Apollonius poſſidebat, ſtudiorum conſortio, & ipſe nobis conjunctiſſimus. Illic non modò flores, qui apud nos colore aut odoribus præſtant, verùm & ex peregrinis præcipui viſebantur, quos ad alieni ſoli patientiam adduxit noſtræ ætatis diligentia. Neque minori ſtudio undique collectæ arbores quotquot fructibus utiles ſunt, ex conſilio in diverſa diſtributæ; ut non unius partis tota eſſet fœcunditas: plures tamen in viridarij ambitu muris affixæ opportuniori ſole fruebantur, & fructuum matureſcentium colore provecto, ad præſentiorem voluptatem invitabant intuentes.

Non molles ex fronde porticus; non ſtatuæ, diſpenſatis per fiſtulas aquis manentes, pulcherrimo loco deerant; non in multos paſſus ambulationes productæ; non denique, ad ſolitudinem inter denſiſſimas arbores furtivi receſſus: ut ſive confabulari velles, ſive extra conſpectum ſpatiari, neceſſariis curis

ris ſine teſte intentior, diſſimilis voluptas jucundiſſimâ ſucceſſione afficeret diverſa cupientem.

Æquiores certè fuere qui menſis quam qui Priapo hortos ſacraverunt, floribus enim convenientior honeſtas quam turpitudo; nullaque eſt, ubi ad vitia acceſſus ſit, niſi cœnoſa amœnitas. Iucundiſſimi loci vicinitate, plus autem multò Apollonii gratiſſima conſuetudine adducti, in hunc divertere ſoliti eramus, ut inter Philoſophiæ triſtiora theoremata quæ ex propoſito quandoque agitanda nobis eſſent, captaremus etiam non inutiles delicias.

Nobis penè inſciis breviſſimum iter confectum eſt, ita ſingulos fallente amicitia, ſuavitateque ſermonis, ut prius nos adventaſſe quam adventuros ſenſerimus. Reſeratis foribus, admonitus à ſervulo Apollonius, ut me vidit; illâ vultus hilaritate, quæ honeſtiſſimo viro ſolita erat, in amplexus ruens, cæteris non inſalutatis, rogavit quid valerem. Inutilem quæſtionem, inquio, ô Apolloni: nullus enim morbus, ubi pro Æſculapio tanta comitas; quis te viſo non convaleſcat? & verè tu ægritudinum mearum ſolatium ſingulare. Sed quid fores tui, quid arbores, quarum tu cultor eximius inter cæteros haberis, non indignâ natalibus tuis diligentiâ, nam & aliquando ipſos Reges tenuit ſtirpium colendarum curioſitas, id in regno poſteà utiliter obſervaturos, quod in hortis didiciſſent; ubi nihil pro votis reſpondet labori, niſi temporis exactiſſima ratio habeatur, ſive

juvanda ſit ſterilium arborum paupertas, ſive divitum, inutili lignorum copia laſcivientium caſtiganda luxuries.

Meliùs videbis quam audies, inquit Apollonius; ſed neſcio, an de evellendâ arbore, quam hîc cernis proceriſſimam, conſilium probaturus ſis; diu eſt quod illam fero; placet enim foliorum pulchritudine; & licet fructibus orba, quia tamen faſtigio ſuo domum meam ſignat, digna viſa eſt cui parcerem: & neque illi nunc deceſſet mea clementia, niſi illam infœlicis cujusdam pueri, qui ab ea nuper cecidit, acerba mors, funeſtam effeciſſet. Omnes cenſuimus tollendam velut inutilem, umbrâq; ſuâ noxiam ſtirpibus multis, quæ numquam lætæ niſi ſole perfundantur. Poſt hæc ſub patulâ fago ſedentibus inquirere placuit, quâ de re haberetur inter nos ſermo; memorque Agatho, quid pridie eſſem pollicitus, monuit ut de Genio Sæculi, ſi Apollonio videretur, diſſererem. Illo annuente, Argumentum, inquio, dabit ex occaſione infauſta arbor, cujus proceritas damnata eſt, planè ad ſæculi guſtum ſublimis quædam Theologia, nec ad ſobrietatem ſapiens; deſtituta fructibus, foliis dives, & multorum damno infamis.

Ea tractandi, quæ nobis Deo revelante innoteſcunt, quidam modus eſt temperatus, ſecurus, in ipſa ſui elevatione humilis; & licet generoſo impetu ſupra mortale aliquid tentans, nunquam tamen ſine metu, & quâdam ſermonis verecundia, alius præceps, audax, ſibi legem imponi adeò non ferens, ut niſi in-

con-

concessis non gaudeat; hic quia indecorè assurgit, primo frigidissimus est; sicut enim quorundam montium juga perpetua hyeme canescunt, quia fastigium non attingit radiorum solis, quæ in imo fit, reflexio, ipsisque nubibus miscetur improbus vertex; ita modus ille elevatior, suas alit nives, altitudine ipsa gelidus; ad tumorem enim istum non pervenit ardor Evangelii. Deinde, temeritas illa locutionis, fulminibus vicina, non rarò feritur, in eam scandendo regionem, quæ suppliciorum officina est, & cœlestis iræ penus. Quàm sæpè enim anathemate icti sunt, qui superbiâ inflati, ea loqui erubuerant, quæ ipsis essent cæterisque communia? in negotio Religionis, vix humilitate peccatur, ascensu sæpè.

Verùm ut hujus argumenti series planior fiat atque jucundior; illud meminisse opus est; quoddam nostra tempestate inveniri hominum genus, qui Theologiam, quod squalida, jacens, & scholæ austerioribus formulis inquinata videretur, nobilitavere. illam scilicet miserati, cujus nullum nisi ab ipsis auxilium speraretur.

Horum studio, sollicitudine, libris, adeò quotidie purgatur Christiana veritas; ut quæ restat pars ejus tenuior, usibus humanis propemodum non serviat, postquam crassior illa evacuata est, quę delicatis ingeniis, scholæque rusticitatem fastidientibus, tædium facit. Quod nunc Theologia fidenter loquitur, illorum est etiam beneficium: quod alta petit, quòd doctrinæ trepidantis deridet metus, & ignavos labores. Duplex certè gratia nam

illorum ope habemus generosam, suavissimamque Theologiam, quid illâ jam fortius? quid comptius? quidquid priscis temporibus habuit confragosum, triste, auribus dissonum, ita sustulere homines illi, ut jam ad aulæ delicias accedat, & miris expolita modis, eorum suffragio digna censeatur, quibus rigida non placent. Hâc doctrinæ officiosissimâ culturâ, non mediocriter illustres sunt apud multos eruditi illi, ipso etiam incessu aliquid mysticum & insolens spirantes, ut ex doctrinæ præceptis nemo nesciat, non illorum modo animos, sed & artus componi.

Antequam dulciculæ hujus fidentissimæque literaturæ, periculosas consequentias refero, operæ pretium erit non ignorare, unde nobis ista novitas, ex qua jam plurima prodierunt non sapida, nec ad gustum Ecclesiæ. Germanos ajunt, cùm à vino ad studium divinorum, madidi adhuc transissent, audaces illas loquendi formulas primum excogitasse, quibus trita nimis, suique fastigii negligens Theologia, gloriosè intumesceret. Qui ex nostris eos imitati sunt, doctrinæ quoque intemperanti amore ducti videntur: eam enim populus veneratione dignam propè non censet, inquiunt, nisi multùm emineat, suoque splendore, intuentium oculos ita perstringat, ut non dies, sed nox quædam illustris illud omne fit, ad quod auditores cæcutiunt. Verùm planè; sæpè non instrui in iis quæ de Deo, sed rapi vult, fatua plebs, ridiculè ambitiosa; & hoc summopere placet, si extra se quasi posita & stupens, aliquid eorum confusè capiat, quæ

præalta

præalta, & nisi sublimioribus ingeniis non patentia, facultatem ejus superant. Sed an ideò Theologus ebrio stylo infamabit sobrietatem Evangelij, quia portentis non rationum vi, aut sapienti eruditione, in admirationem adducitur, absurdum vulgus?

Hâc sermonis intemperie præcipuè delectatur quarundam mulierculrum vana pietas, in cujus gratiam inventum ex parte creditur balneum istud, quo doctrinam veterem, jamque obsoletam, Æsonis instar, ita juvenili formæ restitui autumant, ut rugarum, pristinæque imbecillitatis, vestigium nullum in renovatâ fronte appareat. Non èrgò mirum novatores, ceu interpolatores vocari eos, qui injucundam, totque annis gravem Theologiam adolescentiæ flore vestiunt, eoque depingunt colore, quem in ætate vivida efficere solet recens calor, fususque in tumidas venas sanguis effervens.

Septentrionales Theologos certè vidimus, hoc cothurno, incedentes, & in iis quosdam, qui cùm nimis alta saperent, meruerunt religiosi fastus pœnas luere, & inter eos seponi, quos moderatior schola non fert, nec Ecclesia admittit. Consultiùs multò insulares Phœnomænii loquuntur & docent, ô Amici. Isti namque rerum arcana, sermonisque eminentiam ita affectant, ut ab Ecclesia alienos arbitrari, ex illa seu verâ, seu creditâ, cultissimæ eruditionis sublimitate, jure non possis. Ea enim prudentia audaces sunt, ut licet casuros æstimes, sæpè tamen solùm suspendantur, non cadant; gaudeantque ad nobilissimum

conatum

conatum ſub ſe tremere, non abjectam modo plebem, ſed & eos omnes, quos timidior eruditio prohibet inacceſſa ſcrutari.

Ad novæ gentis incognitum ſibi nomen, hærens Agatho, petiit, quæ verò pars orbis, volatiles viros aleret, adjecitque ſe non ſatis mirari, quòd evolutis penè omnium nationum hiſtoriis, hæc tamen gens dogmatum ſuavitate ſublimitateque inclyta, attentiſſimum lectorem præteriiſſet. Hæc ille paucis, ne interrumpere narrationem videretur. Tum ego. Thomæ Mori opus legiſti, Agatho, ubi de Republica vir eximius, ita doctè, ſuaviterque, ut nec Platonis eloquentiam, nec Ariſtotelis gravitatem deſideres, in exiguo volumine? ſcis quantum laudis tribuat Utopiæ ſuæ inſularibus, ſub optimo cœlo ita pacem virtuteſque colentibus, ut nuſquam ſtrictiori nexu copulata ſit pietati fœlicitas? non longè ab hac inſula, cujus meminit Morus, alia eſt, Phœnomæniam vocant, minori quidem ſpatio in oceanum porrecta, ſed incolarum quiete planè mirabilis, portus unicus, in quem quotidie diverſa navigia, ex omnibus orbis partibus, homines civilibus moleſtiis, & plerumque belli variis periculis laſſos, deponunt, in amœniſſima terra dulciſſimè requieturos; non illic caſæ humiles, ſpiſſatis ramalibus, & fronde congeſtâ, fœlicem inſulam deformant: ſedes laxæ, nitenteſque, ut ſcias nullos hîc eſſe, quibus placeat rigida virtus, vel pannoſa paupertas; veſtis cærulea delicatiſſimis civibus, ut cœleſtes ex habitu noveris, quos tamen magiſtro Porphyrio dicere poſſis purpureos. Pri-

mus

mus enim placidæ vitæ ſectator Porphyrius, cœteros quibus vel tumultuoſa negotiis vita, vel pietas corpori gravis, exoſa eſſet, ad quietem vocavit. Inſula hæc viſionum ferax altera Pathmos eſt, pauci enim ſunt ex incolis, qui non plura videant, maximè in rebus divinis, quàm cęteri mortalium; hîc, liberrima Theologia Angelorum choris ſe immiſcet, non priùs è faſtigio deſcenſura, quàm didicerit quod Divus Thomas Sorbanaque ſtupeant, cæterique qui ſcholæ terminis mancipati, arctiſſime ſentientes, tamen pro magiſtris habentur.

Nunquam me, inquit Agatho, paterni ſoli cœpit impatientia, aut ardor ea apud exteros videndi, quorum breviſſimus conſpectus longa peregrinatione, multiſque periculis emitur. Totum orbem Coſmographi mihi exhibent, quoties placet effuſi in tabula orbis, diverſiſſimas regiones intueri; commodiùs libris, quàm navibus, aut equis vehor, ô Firmiane; eorum enim quotidie ope inter civiles populos ago, ab eis rationem vitæ excepturus, variamque ſapientiam: mox in plagas deteriores migrans, efferatis gentibus ita admiſceor, ut illorum immanitatem non induam, & redire ſemper mihi liceat. Sic apud Hiſpanos verſatus ſum, ſic apud Suevos, neque me unquam ſeu vicinitas ſolis, ſeu abſentia impulit, aut calori ſuccenſere, aut de nivibus queri.

In eo otio, omnia climata perluſtrare ſumma voluptas eſt; neque maceratur gaudium iſtud, amicorum deſiderio; morbis, qui perſæpe ſub diverſo cœlo frequentes ſunt, aut variorum diſcriminum, ſive admixtione, ſive

metu

metu. Ad jucundiſſimam profectionem, non, ut in aliis, requiritur commodiorum tempeſtatum obſervatio; diuturnitas temporis; viaticum; ſociorum delectus, ut ſecurior pergas atque hilarior. Una hora, nec illa anxiè quæſita, plures regiones obis, ſecurus, lætus, jejunus, &, quod itineris hujuſce maximum levamentum eſt, ſolus. Quia tamen, ô Firmiane, Phœnomænia inſula eminentis Theologiæ ſedes eſt, & Suadæ veluti thronus, ad eamque pernavigare omnino neceſſarium, ut animus venuſtiſſima doctrina imbuatur, dilecta patria excedere, jam in mente eſt, interjacente licet pelago, & ſæva minantibus ventis. Ibo Firmiane, ſi qua navis in eam regionem vela aptaverit; nec ardorem properantis, temperabit fluctuum hyems. Ibo, & ſublimes materias, grandia verba, fonti applicitus, ita hauriam, ut ſi aliquando ad vos ex nobili peregrinatione recurſus eſt, nunquam ſatis mea ſenſa, meas viſiones, meam deinque elocutionem ſuſpiciatis.

Tam citò, inquit Apollonius, relinquendi amicos conſilium ſubit, Agatho, nondum navis inſtructa qua poſſis vehi, & licet jam in portu te expectatura conſiſteret, iter tamen tibi omnino incertum, niſi ab ipſo Firmiano, qui mutandæ ſedis tibi author eſt, nauclerum accipias; nam ex Thoma Moro, quem ille ituris veluti navarchum propoſuit, viæ rationem ne ſperaveris; Utopiam, quæ Phœnomeniæ finitima eſt, ex nomine legibusque ſapientiſſimis ille quidem novit, ſed qua orbis parte, ſe inter fluctus latiſſimè explicet dives

insula, prorsus ignorat; non aliam dans curiosis posteris hujus inscitiæ causam egregius vir, quàm quod voluptate captus, dum ei sapientis populi, justitiam, pietatem, placidos mores, vir quidam, qui diu illam terram incoluerat, jucunda oratione apud ipsum commendaret, non venerit in mentem, quærere quem in orbe situm obtineret illa regio, cujus tanta fœlicitas.

Cæteri eadem ferè quæ Apollonius, Agathoni ingerebant, qui animi gratia hunc simulasse affectum, postquam jucundè fassus est, sibi quoque postulavit dari veniam, quòd ea fictione turbasset disserentem. Gratiosa culpa (inquio) nos exhilarasti Agatho, & ad Phænomænios reversio facilis est. Multa de insulæ hujus fœlicitate mihi relata sunt, neque durus auditor cunctatus sum ea omnia credere, quæ laudabilem illam efficiunt. Sed cui causæ assignem (ô Amici) quòd pene omnes qui ex ea regione ad nos revertuntur, morbo quodam laborant, cujus nulla apud Hippocratem mentio? Invaletudinis mira species, plus animo quàm corpori nocens, neque arte ulla aut temporum lapsu curabilis! qui hoc malo sunt affecti, non coloris nativi defectu, non adducta cute, non solutione artuum, sed immani prorsus gustu deprehenduntur, non ferente communes cibos, & in solatium quærente, quicquid duce natura cæteri mortales horrent. Immaturis enim fructibus, novitio vino, calido pane, tantus est recentium amor, latrantem stomachum farciunt, nihilque morbidis hominibus placet nisi novitas.

Illos

Illos ideo ad epulas pauci invitant, ne convivis, fastidio suo, oneri sint, tetramque salubrium rerum abstinentiam videre cogantur, qui usualibus, probatisque communi hominum suffragio cibis assueverunt. Sed de Phænomæniis satis, relinquamus illis suam insulam, suas visiones, suam quietem. Melius in ipsa Gallia Theologiæ operam dabimus, quam in illa regione, ubi sæpius nec doctrina probabilis est, nec secura contemplatio.

Eruditione audaci nihil perniciosius, periculis non sistitur, non terretur, sed irritatur; dum frequenter assurgit, Icario more, pennas amittit in sublimi, & fœdissimo casu luit pœnas temeritatis. Ex altissima turri spectantibus incerta oculorum acies est, agitatur enim vertigine cerebrum, & in tanto motu non constat nervorum fimitas qui visum efficiunt: idem puta accidere Theologis illis qui periculosâ contemplatione, se cœlestibus inseruerunt; neque enim est illis stabile lumen, raroque ut cæteri vident, qui cæteros in depresso reliquere, ut ex altiori videant.

Origenes dum litteram fastidit, patrisque sapientissimi monentis, ut à sublimioribus abstineret, consilia non sequitur, fit hæreticus, historiam penè omnem in allegoriam vertens, Catholicus certè, si humilior. Faustus dum de unitate Dei scribit luculentissima, novis identidem sententiis quasi gradibus ascendens, ad hoc tandem pervenit, ut diceret, unitati supremæ maximam fieri injuriam, si quis credat multiplicem rerum corporalium varietatem, hominesque ipsos, qui ætate, patriâ, se-

xu dividuntur, ab illa procedere. In baptiſmo quidem, ubi non eſt, Iudæus & Græcus, Barbarus & Scytha, ſed omnes unum ſunt, opus Dei agnoſci; at non in prima illa creatione, ubi genus humanum, diverſiſſimis conditionibus à ſeipſo quaſi diſſentit, & in partes ſecatur: paucos videbis ex iis, quos pudet cum modeſtioribus ſentire, qui tandem elevatione ipsâ non evaneſcant. Sed velle te loqui video, ô Fœlix, cave ne ut defenſor temerariæ contemplationis, quæ judices meretur non patronos.

Fœlix dicere juſſus quod feſtinabat effundere: omnemne Firmiane, ait, impetum damnas, quo animus ſublimis & ſupra ſe nitens, elementis ſe abſolvit? authores ſunt magni nominis qui volucrem conatum diſciplinam etiã effecere. &, velut Aquilæ matres, ſolem ipſum è vicino intueri auſi ſunt, ut timidior fœtus & ad pulcherrimam lucem immodicè parens, pari fiduciâ exemplum ſequeretur. Aliquis ne altior Dionyſio, qui quaſi Angelorum cætibus interfuiſſet, tam ſublimia fatur de cœleſti Hierarchia, diviniſque nominibus, ut nemo illum capiat, niſi qui timore projecto alta petit, ut ſequatur diſputantem.

Apollonius, avido ſilentio, oculis, geſtu conſentiebat; nec diſpari affectu, Agatho noſter exultans, quid referrem expectabat. Ecum tribus ergo mihi res eſt, inquio? ſed non minus ideo mihi certa victoria; pietas enim, ratioque non facilè exarmantur, & hæ pro nobis pugnant. Paulum in tertio cœlo audiviſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui,

fides

fides docet, & credimus; inde tamen non cecidit, sed deductus est, quia Deo sublevante conscenderat vir humillimus, nec præcipitium meruerat, qui se omnibus abjectiorem sincerissimo sermone profitebatur: & ascendit Simon ille magus, ô Fœlix, sed ut rueret, fractisque cruribus, longo ævo doceret sui immemores, Angelos non cuilibet ascendere volenti, scalam struere, ut cœlestia attingat.

Ne me autem, injuriâ succensere eminentissimis hominibus existimetis, illorum quædam axiomata proferam. Altiora nemo inveniet: fidem superant seu divinam seu humanam, non omnis enim ex Deo est mentis excessus.

*B*aptismo originis labem deleri, consecrari hominem, ad cœleste regnum jus accipere, quod nisi posterioribus culpis non exuat, novimus omnes. Salutari tinctos aqua, corporis mystici membra fieri, quæ inoffenso capite lędi nequeant, uno etiam ore profitemur: neque illud negamus, susceptum infantem, cujus adhuc immatura, neque consilii capax ætas, suscipientium verbis quasi vinculis quibusdam ita alligari, ut adulto; nefas sit, postquam effulsit ratio suique juris effecta est, ea morum libertate vitam agere quæ homini Christiano non conveniat.

Ex mente sanctorum Patrum, *B*aptismus artificis Dei officina quædam cœlestis est, in qua resculpitur quicquid in anima humana ex imagine creatoris detraxerat hostilis manus. Sepulchrum gloriosum, cujus angustiis pressus homo, fœliciter sibi interit, ut Chri-

sto

ſto vivat, ipſique, paſſionem ejus imitatus, commoriatur vaſtum pelagus, ubi & naufragus cum ſuo equitatu perit Pharao, & anima Chriſtiana, liquidum iter, nec infidum tamen, aut procelloſum nacta, ad ſalutem feſtinat.

Elevatis ingeniis, hæ baptiſmi præclaræ laudes, quia ex antiquis fontibus, non placuere: ſublimiores quæſitæ ſunt. Quo autem modo? artem ſtupete.

Apud *Batavos* ſpecilli qnoddam genus nuper inventum eſt, quod ex longo intervallo diſtantes formæ ita grandeſcunt, ut quicumque medio ſpeculari lunam conſpexerit, montes in ea deprehendat, mireturque Ariſtotelis, & cæterorum Philoſophorum inſcitiam, qui luminis in nocturna illa face maculas variæ denſitatis effectum exiſtimaverunt, cùm illa umbrarum in ſplendido globo mixtura, inde oriatur, quod non læve corpus aſtrum illud, ſed aſperum, tumidiores habet partes, receſſusque, ſpeluncarum inſtar profundiſſimos, & in ea partium inæqualitate, remotiores, quæ ferè ſub aliis latent, parcius lumen ſolis admittant.

Quod acutiſſimi iſti doctores, de quibus loquimur, nova quædam & portentoſa in baptiſmo videant, beneficium eſt ſpecilli, cujus uſum communior ſchola non novit; ecce quod vitro ſuo intermedio, in baptiſmate animadverterunt, cœleſtium dogmatum amplificatores.

Sanctitate, inquiunt, nihil melius, hæc Chriſtianæ pietatis veluti corona, omnes in ſe virtutes ita complectens, ut extra illam nulla

ſit; hanc autem in ipſo novæ generationis articulo, ſolemni voto promiſimus, ut naſcentibus nobis, virtutum quoque omnium obligatio naſceretur. Tot catenis conſtrictus homo, in ea ſorte eſt, quæ fortioribus nodis ad Chriſtianam ſanctitatem cogi non poſſit. Ad quid ergo monaſticæ vitæ inſtitutio? quâ tot viri, à civilis vitæ negotiis ita arcentur, ut interiiſſe, per omnia inutiles credas, niſi curſitationibus inverecundis numquamque ceſſaturis petitionibus, admonereris, ipſos in aliorum malum vivere?

An credunt ſolitariæ vitæ cultores, procedentibus annis, ſe ita Baptiſmi legibus ſolutos, ut niſi novâ pollicitatione vinciantur, eadem illis ſit quæ Catechumenis libertas? inutilia omnino vincula, quæ captivis ſuperveniunt. Iam ex voto caſtus debet eſſe Chriſtianus, voluntate pauper, ſuperioribus obſequens, cùm eadem ipſa obſervaturum ſe, adhibitis teſtibus, data etiam ad majorem fidem ſyngrapho, publicè jurat.

Votis illis quibus ſe cæteris antecellere exiſtimant clauſtrales iſti, non comparatur nova in Chriſto ſervitus, ſed apud credulam plebem exiſtimatio, quæ non parum vitæ torpentis ſolatio conducit, ubi iners pietas iis tantum uti decrevit, quæ civilium hominum laborioſæ manus collegerint. Baptiſmo, denique cum omnes Chriſtiani religioſi effecti ſint, fruſtra religio quæritur in cucullâ, aut moribus à communi vitæ ratione abhorrentibus, neque ſatis hujus vim Sacramenti percipere videntur, qui vota quædam emittunt, quibus homo magi

gis ad Christum pertineat; cùm jam Christi totus sit homo, quando totus oblatus est; eoque Sacramento imbutus, quod omnium votorum anticipatio est, &, cui nihil addi possit posterioribus cerimoniis, præcox quoddam sacrificium.

Ita præclarissimi Doctores; hîc subtilis contemplationis eximius fructus, ea in Baptismo vidisse, quæ antea ex Catholicis nemo: votorum scilicet, quibus anima arctiori fœdere Deo conjungitur, solutionem, suggillationem, contemptum: reconditæ vitæ, cujus tot sancti, miraculis non minus quàm eruditione conspicui, duces fuerunt, improbationem, non sine cachinno, mordacique dicacitate; Ecclesiæ, quæ in hoc consuetudinis genus mirificè prona, publicè etiam illi præsto est fulminibus suis cùm urgetur ab hostibus, acerbissimam contumeliam: frigidæ pietatis, quæ austeriorem vitæ statum, etiam vocata, refugit, stolidas excusationes; voluptatis denique, quæ ferè in solitariis illis perit, turpissimum patrocinium.

Hæccine sunt quæ in Baptismo vidistis mysteriorum contemplatores egregii? ideo vos cæteris subtiliores, quia quod neque Augustinus, neque Thomas unquam advertere potuerunt, vos sanctiores, vos oculatiores, deprehendistis., ut docentibus vobis ea disceremus quæ loqui pudeat, quibusque in Baptismi scil. laudem, illud purioris pietatis institutum deprimeretur, quod attollit Ecclesia? non satis visum est humano more in pacatissimos homines debacchari, nisi & calumnia ipsa, ut inno-

nocen-

nocentiæ ſpeciem ferret, Sacramento niteretur? Eminentiſſima certè doctrina! quia baptizati eſtis, ne Antonios, ne Hilariones, ne Benedictos imitemini. Ergo judicio veſtro infatuabantur illi homines, quos à funere inter divos Eccleſia retulit, ut quàm ſanctè vitam egerint, quàm ſapienter hanc rigidioris diſciplinæ viam ſint amplexati, totus orbis agnoſcat.

Unde vobis præclara iſta eruditio, dulciſſimi mortalium? an ab hæreticis mutuati eſtis? nam paria certè loquuntur; non equidem dicitis. Iſta ergò jam inſolens inter Catholicos novitas, contemplationis veſtræ fœtus eſt, quæ ab cœleſti quodam influxu gravida, ut vos opinamini, mirabilem doctrinam mundo effudit, nempè ad ſuam ſalutem expectanti, puerperium veſtrum? ſi eadem animi perſpicuitate qua vos Baptiſmum vidiſtis, cœleſtium arcanorum amanuenſes, & præcones eximii, cætera quoque Sacramenta intuemini, heus, quot monſtra deprehendetis, ne communes materias nobiles animos effutiiſſe exprobrare poſſint, qui vos aut ſcriptores audaces evolvent, aut exaudient ſcurriliter differentes. *

Adeone rudes, ut ignoretis ſponſionem illam, qua in Baptiſmo ad Chriſtianam juſtitiam omnes adigimur, propriè votum non eſſe? cùm hoc non ſit niſi altioris boni, cujus eligendi eſt poteſtas; illa autem qua tenemur in ſalutari fonte pollicitatio, earum ſit rerum quæ & ſub præcepto cadunt, & communes quos

* *Calvinus lib. 4. Inſtit.*

quosdam agendæ apud Christianos vitæ, canones continent, quibus nisi sceleratè obsistere non possis. Quod inter media adipiscendæ post mortem salutis, præcipuum locum obtinet, quomodo voti (nisi vocis hujus vim atque significationem latius extendas) materia est? nemo enim quicquam jussus, ut fatentur omnes, sed liber vovet: & in ejusmodi promissis, maximè laudatur comparata ex animo non ex lege aut minis, strictioris vitæ, aut actionum ad religionem pertinentium obligatio.

Illud quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, omnino est voluntarium: & ideo hoc propriissimè cadit sub voto &c. Et post ideo proprie loquendo votum dicitur esse de meliori bono. d. Th. 2a. 2æ. q. 88. a. 2.

Quàm subtile odium, quàm latens sub Baptismi veneratione calumnia! explodantur, conterantur, inquit hæresis Calviniana, Monasticæ professionis sectatores, Christianum orbem dividunt; cœnoso suo instituto mundum inquinant, numquam abluendum, nisi victimarum instar mactati, sordentem sua morte lustraverint. Quid autem nova illa in Baptismum pietas? non omninò, inquit, improbanda est Monastica conversatio; in eo quippæ vitæ genere multi innocentem vitam degunt, obscuram licet, & sæculi fuga, plusquam par est, otiosam. Hos certè ferat mundus, nam & Ecclesia illos tolerat, sub tanto onere non amittens patientiam suam. Infirmioribus animis pateat illi locus quietis, ubi

conſecrata inertia, non ſine honore ab iis rebus ſe abſtinet, quæ aut pericula minantur aut moleſtiam faceſſunt. Verùm quantò melius in reverentiam Baptiſmi ceſſaret illa ſpecialis vitæ inſtitutio! quàm benè præcipuo illo voto ſatiaretur, novæ ſervitutis avida, neque capax tamen pietas, quòd omnia non minus vota comprehendit, quàm omnes quotquot fuerunt in veteri lege oblationes, oblatio Salvatoris! qui Dominum Ieſum in Baptiſmo induit, alia veſte non indiget, ut religioſus dicatur; nulla enim religioſior ea, quæ omnibus Chriſtianis Eccleſiam DEI intrantibus, in obſcœnæ nuditatis operimentum, æquali menſura conceſſa eſt.

Quis ea ſentire non pertimeſcat quæ religioſis in ſpeciem, verbis contexta, hæreſim adeò ſapiunt, ut illam eſſe omninò exiſtimes, ſi dulciſſimo veneno, quod propinandum fidelibus datur, addat aliquis impotentem iram, eamque ſermonis, ſine qua nulla penè hæreſis loquitur, acerbitatem?

Finem feceram, cùm Apollonius rogavit, utrum in alia Sacramenta peccaret audax contemplatio? plurima inſcientes ſæpè agimus, inquio, chariſſime Apolloni, & tu quoque non advertens vocas nos ad nuptias; invitantem ſequor: & de matrimonio cujus dignitatem nuperi quidam doctores, virginali pudicitię æquaverunt, aliqua referam auribus veſtris digniſſima. Sed an hiſtoriam prĝteribo, quę me impulit, ut eos authores legerem, qui ut procis placerent, nuptias non modo ſuadere, ſed urgere etiam viſi ſunt, ſalaci propè eloquentia,

quentia, quam nec ipſe Hymęnęus, Thalaſſiusve, cuperet jucundiorem?

Hyparcha quædam fuit, quæ miro ſtudio, cùm eam parentes in matrimonium collocare vellent, virginitatem cuſtodiebat, non à viris tantum oculos avertens, ne aſpectus, qui etiam in virgine purus eſſe debet, eâ libertate pollueretur, ſed à libris quoque, qui inſano amori faces miniſtrant. Adoleſcens cui ex parentum voto deſponſanda erat Hyparcha, duritatem illam non ferens, qua ſe ſuoſque amores deſpici quotidie cernebat, plura in virginitatem atrociùs dixit, quàm quæ decerent Chriſtianum. In illo ſupplicio mentis doctorem adit, ut eo medico, aut minus acerbè ſæviret crudele vulnus, aut omninò ſanaretur. Quid ad deſperantis flebiles voces humaniſſimus doctor? Terge, inquit, lacrymas, compone gemitus, egregie juvenis, non ex vulgaribus medicis aliquem, ut fortè exiſtimas, Chironem ipſum adiviſti. Ecce herbam ad cujus tactum gelu illud virginitatis eâ facilitate ſolvitur, ut quæ ex virginibus eam contrectarit, illico matrimonii appetitu corripiatur. Simul his, librum tradit, cui pro titulo Encomia virginitatis. Et ne te, inquit, frons terreat, illum evolve; pudoris hæc facies apponenda fuit operi, & ut à virginibus legeretur: ſcopus illius eſt ſub hâc larvâ, iis omnibus ſuadere matrimonium, quæ ab illo ſunt averſæ. Mirum eſt quàm decenter, quàm honeſtè, liber hic lectorem ſuum movet, & ad generationem invitat! ſterilium enim virtutum fatuor non eſt, ſed fœcundarum pronubus. Neque illud inſinuat

ex Evangelio *Matth.* 19 perdurum. Qui dimiserit uxorem suam propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Aut Apostoli immitem hanc Theologiam: De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do; qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, qui non jungit, melius facit; beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium. 1. *Cor.* 7. Sed totus in Genesim prorsus mirificè istud intonat quod Adamo ejusq; conjugi dictum est, Crescite & multiplicamini & replete terram; utiliorem humano generi tractatum nemo unquam concinnavit. Iste enim liber artem amandi, sed piè docet, gratioso sermone rigidiorum virtutum austeritatem adeò domans, ut civiles efficiantur atq; tractabiles; futuris sæculis sapientissimè consulit; dumque virgines tam potenter docet incumbere matrimonio, ipsam providus author, demeretur posteritatem.

Lætus adolescens, se absque fascino severissimæ virgini, amorem inspirare posse, spe quam doctor fecerat tumens, eam invisit, librum tradit, virgineo titulo dignum certè quem frigida virgo, neq; muneribus patens, aut gratiâ ullâ placabilis, acciperet, legeret, amplecteretur, nec mora, castissimo libro, ut tenuit, figit osculum,

Atque oculis & pectore toto
Hæret, & interdum gremio fovet,
Inscia virgo.

Insideat quantus miseræ Deus, in secretum conclave deinde recepta, brevi totum per-

volvit; librum iſtum ſolem diceres duratas nives & brumale gelu ſolventem. Iam torretur Hyparcha, recepto in medullas gratiſſimo igne, cujus vel ſcintillas, antea cruore proprio extinxiſſe, toties in votis fuerat, effuſis etiam ad Deum precibus, ne illa conjugatorum incendio permitteretur, quæ nullas in tædas conſentire decreverat.

Quam ſubito hyemi ſucceſſit vehementiſſimus ardor! Alia prorſus egreſſa eſt Hyparcha quàm intraverat; nihil aliud præter ſuum Amaſium cogitans, inquieto, accenſoque vultu, ab obviis quibuſcumque rogabat, cur tam cito abiiſſet ille, quandoque reverſurus? quod ut ille gaudens reſcivit, adfuit illico, in mutatæ virginis habitu, ore, blandientibus ocellis, non obſcurè advertens ſui matrimonij certiſſimum augurium. Aliquot poſt dies, cum uxorem Hyparcham liber ille effeciſſet, ad doctorem ſuum rediit, accepti beneficij non immemor juvenis officioſiſſimis verbis aſſerens, ſe illi ſuam fœlicitatem debere.

De alia mihi quoque relatum eſt, quæ multos jam annos virum averſata, cùm in hanc amoris pedicam incauta incidiſſet, ſuam, ut olim illa Iephte filia, virginitatem quotidie flebat, ſe deceptam, ſe calamitoſam dicens, quòd tamdiu ignoraſſet dignitatem matrimonii. Multæ jam, auditâ hac de nuptiis commendatione, pro velo quod dari virginibus mos eſt, flammeum optant; ſponſos magis, quam ex virtutibus ullam, petunt à Deo: &, quod antea non ſinebat pudor, frequenter illud mulieris cujusdam, prolem vehementiſ-

ſime optantis, in oratione iterant, Domine da mihi liberos, alioquin moriar.

Quam fertilis, inquit Apollonius, horum oratorum eloquentia, qua in dies ſoboleſcit humanum genus! ſic quondam hominibus vacuum orbem, novâ progenie referſit famoſus ille, apud Poëtas, cùm ſuâ Pyrrhâ Deucalion, cum ex Themidis oraculo, magnæ matris oſſibus poſt terga projectis, tot viros, totque fœminas è ſaxis naſci, quot immani diluvio naufragaverant, uterque miratus eſt.

Hegeſiam Cyrenaicum, quod nimia eloquentia in hujus vitæ calamitates invectus, plurimos ex auditoribus ſuis ſpontaneo fato è vivis exire feciſſet, ſilentio mulctavit Ptolemæus Rex. Quid, ſi extaret adhuc generis noſtri amantiſſimus princeps, daturum putas fœcundiſſimis ſcriptoribus, qui non interiri homines ſed concipi adeo cupiunt, & in eum finem, ea fœlicitate aptant calamos, ut jure generationis præfecti, cadentis, virginum incuria, mundi, reparatores à plerisque vocentur.

Sed dic, Firmiane, quibus argumentis maritalem communionem ingenioſi authores commendant? non iis inquio, quæ partium ordinatiſſima ratione, vim faciunt intellectui, ſed iis quæ per ſe inania, longa verborum ſerie atque apparatu, mentem faſcinant, & voluntatem deliniunt: neque enim ſyllogiſmis virginitatem dedecorant, ſed laudibus matrimonii, cujus merita ſi ex libris iſtis æſtimas, continuò, tu, qui à conjugio alienus, quæres uxorem

Plurima eorum verba compendio tibi faciam;

ciam; non omnes omnia, ſed ſinguli aliqua habent, quæ ſi in unum corpus cogantur, juris matrimonialis pandectas habebis non ignobiles.

Virginitas, inquiunt, virtus planè admirabilis; in carne enim præter carnem vivere, quid glorioſius, quid altius? illa tamen ſublimitas privato bono militat, non publico, ſe ſolam amans, domeſtico fonti ſimilis, cujus unda purior, quia ſecretior, neque illis uſibus ſerviens qui fœdare eam poſſent. Conjugium verò, non intactis certè aquis fluviorum inſtar, pulcherrimo curſu terras fœcundat, viventia gignit, fovet, ad publicam utilitatem. Potior virginitas Apoſtolo teſte, non tamen Adamo innocenti imperata, ut quàm puritati conveniens eſſet conjugatorum ſtatus, inde appareret, quod illum, innocentiæ ſedes, paradiſus admiſit.

Audenter quidam. Ubi virginitas fœcunda eſt, inquit, nihil illa præclarius. Sic in Trinitate, prima perſona ſecundam generat, integrum integri Patris filium: ſic Maria ſimul virgo & Mater pugnantes titulos in ſe mirabiliter adunat, ut & in terris Chriſtus virgineo concipiatur ſinu, & ſecundus ortus primum illum veluti explicet, qui enarrari non poteſt.

Ea ratione virginitas prægnans ſumma veneratione digna eſt, ſeu in Deo, ſeu in Maria inveniatur; ſed imitatores non habet, inquit, nam ad hæc quis idoneus? Reſtat ergò ut extra Deum & Mariam infructuoſa virginitas langueat neceſſaria ſterilitate. Con-

iugium contrà, ex se enim ferax, propagatio quædam est operum Dei, fulcimentum nostri generis, funeris solatium, prima lex mundi.

Subtilius quod quidam ajunt. Miserandum certè quod Adamus ante peccatum suum continens, non cognovit uxorem suam Evam. Sicut enim Sacramenta novæ legis Deo filios generant, tales quoque illi sine dubio dedisset, sanctissimorum coniugum innocens amor; nam qui ex iis liberi suscepti fuissent, ab ipso ortu Deo consecrati, neque, ut nos, peccato veluti quoddam tributum solventes primitias existentiæ, æquassent parentum dignitatem. Numquid à Sacramentis, quibus filij Dei nominamur & sumus, deduci umquam potuit sublimior comparatio?

Sed quia jam in statu naturæ prostratæ, ortus ille purissimus non deducitur à parentibus, aliis privilegiis compensatur injuria matrimonij, dicente non frustra Apostolo, Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia. Sicut enim spirituale cum Ecclesia conjugium Christi eo fine contrahitur, ut nos meliori vitæ generent, numerosaque prole damna illa resarciantur, quæ cœlo invexit nefariorum Angelorum defectio, ita & humanum matrimonium, æternæ Dei prædestinationi utiliter servit, dum per illud quotidie homines fiunt, qui nisi carnaliter concepti, & ex prima illa orgine ad secundam vocati per Christum, cœlestem beatitudinem comparare non possent.

Peto autem, ô Amici, cur in matrimonio

ea solùm viderunt præclari scriptores, quæ ad illud virginum animos allicerent? cæcitate an industriâ prætermiserunt, jussum Adamo, quia ille constitutus radix generis nostri, nullumque datur absque fœcunditate principium? quod in paradiso conjugium quidem, sed absque copula & liberis, virginitatis maxima commendatio est, quæ in loco illo servatur, & non perit nisi ejecta. Sed an sterilem ideo virginitatem dicas, quia liberos non habet? immo, delicias mentis incorrupta gignit, famam, quietem; propositoque exemplo, similem sibi in aliorum mentibus sæpè generans, suâ etiam prole gaudet, & cum ipsa immortalis, æterna præmia sibi pariat, nescit funera, novit hæredes. Corporali generatione electorum prædestinationi illa quidem non servit, sed nec reproborum damnationi, quorum major est numerus.

Quam indigna, quam inepta contemplatio, quæ aut falsa videt, aut quæ vera sunt ita adulterat, ut ad illa hærens pietas, non dubitet modò, sed erubescat! Domos humiles, probrum suum exstimabat audax illa gens, quæ ad famam sui nominis tantæ altitudinis molem evehere tentavit, ut supra nubes emineret, nisi sacrilegos artifices, turbato linguæ commercio, spes superbi laboris, arsque sua destituisset. Ultimi quoque ævi ista est arrogantia, quæ invitis superis assurgit: superbificis enim ingeniis, depressa videtur communis Theologiæ summitas, & nisi Gigantum more, Ossæ Pelion addant, montes montibus, nomen suum jacere, abscondique

 in

in turba putant, dolent. Quæ major poteſt eſſe fatuitas, quam terminis verecundioris doctrinæ non contineri; quàm orbes imaginari, alios ab illis quos doctiſſimorum virorum ſolers induſtria ſibi vidit, nobisque: & ad ambitionis tormentum quasdam fingere terras, velut ille Alexander, qui differente philoſopho, plures eſſe mundos armis ſuis non domabiles, acerbè flevit quod unum occuparet.

Unde autem, ait Fœlix, novorum veluti pruritus, in iis maximè, quæ antiquitate ſuâ ſacra ſunt? Non ardua reſponſio, inquam, ſed unum hoc memineris, (ô Fœlix) ut ad plurium notitiam venias; multo eſſe jucundius & famam magis, aliquid inveniſſe, quam ab ipſomet tantummodo frui. Dulciſſimum certè, glorioſumque Americo quartam orbis partem aliis tribus, quæ præter ſe nullam noſſent, commonſtraviſſe: cæteri qui poſt illum opulentam terram incoluere, nec æquale nomen apud poſteros meruerunt, eadem ſecando maria, nec illo gaudio ſunt affecti, quod novæ regionis inventor ſibi fecerat fœlici inquiſitione, licet conceſſerim illâ lætitiâ perfuſos, quâ carere non potuit manus avara, divitis ſoli colligendo divitias. Puta idem eſſe de ſcientiis; dulcius eſt inveniſſe quod ſcias, quam accepiſſe ab alio; arborum quas ſeveris ipſe, poma gratiora ſunt: epulæ quibus manum admoveris, tangente te guſtum acquirent, quem probet lingua, faucesque ad alienum laborem exquiſitiores cibos faſtidientes. Miraris aliquos eſſe qui veteri doctrinæ ſua addant commenta: ne tantum ſtupeas, ô Fœ-

lix,

lix, gustum suum amant, & nisi suis non placatur delicata ingeniorum constitutio; hinc est quod nova quærunt, ubi nova non sunt; & irrito labore postquam multum sudaverunt, hoc solum consequantur, quod cæteris sint insolentiores, loquanturque tumidiùs.

Verba quædam splendida adinuenerunt homines isti, quæ qui scit, præstare se existimat iis omnibus, qui vel negligentiâ, vel contemptu, inanissimam loquendi formulam non didicerunt. Nihil illis frequentius sententiis illis, quas non insulsi quidam authores in fabulam vertere, sanandis, ut puto, qui melancholiâ laborant, quibus pro medicina risus est. Metalla, lapillos quorum summa apud avaras gentes opinio, populi quidam, & certè sapientius, flocci faciunt. Suas contemplationes in pretio habeant, si lubet, novi mysteriorum interpretes, nos despicatui habebimus, quicquid elato supercilio apud se mirantur, atque aliis ostentant.

Iam, ut puto, videtis cur mensuram humanam excedere sæculi Genium diximus; eam enim affectu superat, re fastidit; & si ascendere non conceditur, fingit tamen eò se ingenti contemplatione pervenisse, quo numquam prior ætas, longo temporum tractu, improbisque laboribus.

Humana ratio excellentissimum naturæ donum, sed fragile, nec horologiis constantius, quæ ex pondere ad horarum justitiam non dispensato, nimis festinanter aut lentè suos orbes perficiunt, vel etiam non raro ex sola aëris mutatione facillimè exerrant.

Vir fuit, recens eſt hiſtoria, qui cum in templo Numen ſupplex veneraretur, ſubitâ fatuitate correptus eſt. Hæc autem cauſa. Hora erat quâ ſol plurimùm lucet, & tum nitidiſſimos radios, per vitream feneſtram purpureo tinctam colore, vibrabat in homunculi caput, & maximè in barbam; ille ſubitò radentem miratus, neque advertens, unde illi novum in pilis ſine detrimento incendium, eo prorſus modo quo Chriſtus transfiguratus eſt, mutatum ſe credidit. Cùm ille gloriam ſuam, quâ intumeſcebat non tacuiſſet, omnes qui mente captum ſciebant, novæ fœlicitati gratulabantur, & ut ſuperbiſſimi delirij jucundior eſſet fabula, ſæpè proſtrati, & manum oculis admoventes, clariſſimum virum rogabant, ut fulgorem ſuum temperaret, ſe enim ferre non poſſe; neque durus auditor orationes illorum faſtidiebat; ſtatim namque vario articulorum motu, & frequenti vultus mutatione, quaſi lucem ſuam illis actionibus abſconderet, miſereri ſe teſtabatur, jubebatque ſurgere eos, qui ſtupentes jacuerant. Ludus hic nemine advertente in pleriſque locis luditur; quidam enim divinâ ſe luce perfuſos adeò exiſtimant, ut nihil orbis habeat divinius aut illuſtrius; abſque illis, atra nox in Eccleſia, & ſi credas altiſſima de ſe concrepantibus, antequam fuiſſent, mundus indiſtincta mole jacebat, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

Quis ferat iſtorum hominum ſuperbiam, qui ubi ſplendidâ inſcitiâ replevere cerebrum ſuum, oculis, ore, toto vultu, velut quidam transfigurati, radios ſe emittere putant,

tant, quorum vim nulla acies ferre possit, nisi illorum, qui, quanquam adhuc mortales, beato lumini assueverunt. Et igitur velo aut nube opus est doctoribus istis, ait Fœlix, ut populo loquantur, qui absque dubio nisi claritatem suam tolerarabilem fecerint, opprimetur à gloriâ.

INQUIETA ÆVI HUJUS ERUDITIO.

QUARTA DISSERTATIO.

SATIS jocati, ad severiorem materiam convertimur, & hæc ansa utilissimæ dissertationis. Bibliotheca erat domi, non in quâ essent ad fastum plura volumina, quàm quæ sapienti sufficiant; scientique, librorum ingentem copiam, non minus eruditioni officere, quàm flammæ redundantiam olei, corporique humano cibos abundantiores; ita igne, carne, doctrinâ, consentientibus, ut temperantiâ quadam serventur, cuilibetque ex iis sæpissimè alimenta sua noceant.

Satis fuerat Apollonio ad studiorum commodum, eos collegisse authores in quibus præcipua authoritas, scientiæque, ut ita dicam, seu sacræ, seu prophanæ, principatus. Inter hos reges nullus ex authorum plebe admittebatur; puduerat que, cum magnis, illos scriptores miscere, qui etiam quandoque in amplissimis voluminibus tenues sunt.

Nullus nostrum non amabat literas, & ideo libenter in *Bibliothecam* quisque concessimus

ſimus, ingreſſis, mox ut Auguſtinum Agatho, qui diu ſiluerat, videt; ex ſanctiſſimi doctoris operibus Tomum, qui prior occurrit, arripit manu; & ille, Diſſertationis, ait, materies gratior erit, ſi non quæſita, ſed obvia ſunt, qui temerè apertâ Virgilii Æneide fortunæ ſuæ futuros eventus ſcrutantur, clariſſimi Poëtæ opus æquè exiſtimantes oraculum, ac miraculum. Sanctiùs Auguſtinum conſulo, nec ſuperſtitioſus habebor inveſtigatione argumenti, de quo forſitan inter nos, poſtulatis ſuffragiis, facilè non conveniret.

Clauſis deinde oculis, ut ſit, volumine aperto, objectus eſt liber primus de ordine, ubi quæ nobis fortuita videntur, præſciri, diſponique ſapientiſſimè à Deo ipſe Auguſtinus ſapienter probat validiſſimis rationibus Nec ergo ſine ordine, ait Agatho, hujus libri occurſus, mensque illud legendi quodcumque eſſet, quod primum ab Auguſtino exhiberetur. Et verè agnoſco providentiam: vides Firmiane, ut in iſto libro duorum juvenum, qui inordinatè de ipſo ordine diſputabant, vir ſanctus impetum fregerit ſeverioribus verbis, nec eos pro diſcipulis ſuis agnoſcat qui pacem turbant, ut ipſo tumultu appareat, quam poſſint aliis negotium facere, ſi magis rixa placuerit, quam ipſius veritatis inquiſitio. Deus bonè! quantus pacis amator Auguſtinus! ecce quod obortis lacrymis ipſe, Licentio, Trigetioque: Nolite, obſecro vos, geminare meas miſerias; ſatis mihi ſint vulnera mea. Si dignus ſum quem non negligatis, & ſi me magiſtrum libenter vocatis, reddite

dite mihi mercedem, boni estote. Immodestis disputationibus, se à suis lædi queritur, suasque geminari miserias, quoties schola ipsius altius strepit quam decet. Si quid ab eo didicere turbatiora ingenia, postulat ut mercedem solvant, pacem ipsam, nec se ultra infœlicem velint, tumultuosâ inquisitione veritatis, quæ tranquillis mentibus certiùs lucet, dulciusque innotescit.

Et in hoc præcipue apparet, inquio, Augustini Genius, nullus illo suavior. Nam in hæreticos licet vehemens, acer, statim ut cum fidelibus agit, remissus, & ad dejectionem usque, humilis. Mirum erat in eodem viro tantum animi robur, cum tanta mansuetudine convenisse. De Augusto scripsit aliquis, neminem occidit nisi armatum; sed de Augustino veriùs; nemo enim sensit iratum, nisi qui adversus Ecclesiam arma levavit, meruitque vulneribus ipsis adduci ad reverentiam victoris, viriumque, quas non satis timuisset experimentum.

Quantum distat ab illa Augustini, sæculi nostri inquieta Eruditio! amicos ab hostibus non secernit. Sive in alienos agat sive in fratres, idem ignis est. In quibuscumque prœliis, inhumana, turbida, sui impotens, sanguinem quærit: nec illi inter Catholicos, exercitandis animis instituta certamina placent, nisi etiam, mixtis odiis, inter togas ipsas, quolibet bello atrociora moliatur; nisi ipsa denique cæco impetu omnia audens, omnia pulsans, aut frangatur, aut frangat.

Iam non est fabula bellatricem Minervam

vam, ex parentis cerebro cum armis natam, ſtatim à partu hoſtes quæſiiſſe quos conficeret. Scientiam enim quæ humanæ mentis fœtus eſt, ab ipſo ortu inquietam hoc ſæculo facit hoſtilis quidam animus, & armorum libido. Nam à pleriſque in lucem edita quid præſtat? quid in noſtri, quæſo generis gratiam confert? in mente ipſa ferox, cujus operâ concepta eſt, mox ut in lucem prodit, obſtetrice ſeu linguâ, ſeu manu pugnas init crudeles, & ſe paci infeſtam, non modò oſtendit, ſed & ſæpè profitetur. Quis neget quod vel cœcis ipſis palam eſt? qui nunc ſacris literis imbuti ſua ſenſa ſcriptis aperiunt, magnâ ex parte non magis librorum authores quam tempeſtatum, inter eos prope recenſendi ſunt, qui utilem ſibi civilem diſcordiam exiſtimantes, principum fœdera timent, regnorumque odiis ita fovent fortunam ſuam, ut periculum ſit crudelis opulentiæ, publica quies. Prioribus certè ſæculis etiam ſine hoſte ſchola accenſa, pugnax, vehemens, ut quid in adverſarios poſſet ſubtili argumentatione, in ſe ipſam experiretur. Sed non ideo ſeditioſa aut odiis flagrans; ne dum propriis malis incumbit, vires amittat, inanique tumultu fremens, ea in peſſimos uſus arma obtundat, quæ maximè in infideles acuenda ſunt. Iam illa propè periit eruditorum concordia, & ex præliorum ſimulachris veros exercitus fecere homines iſti, quorum ſubtilitate, atque ingenio Chriſtianus orbis laborat.

Sic differentem me, interfatus Marcellinus, Ex iis eruditis, ait, plurimos novi, qui velut

velut togati quidam milites, etiam ſub pacis inſigniis, evidentiſſimè probant, ſe eam omnino averſari; addiditque ſibi monſtrum videri, quod Theologia tot argumentis virtutum cauſam apud mortales agens, alumnos tamen ſuos ad modeſtiam non componeret. Unde autem, inquit, Genius iſte, qui acerbitatem ſcientiis ita infudit, ut vix eruditus eſſe queas niſi iracundus & ferox? quo rerum ordine, ſuaviſſimi olim Theologiæ latices, felle velut admixto, haurientem ſcholam adeo amarulentam effecere, ut plurimis utilior videatur altiſſimarum rerum ignoratio, ſcientiâ illa quæ animos reddit procellis ipſis immaniores & turbulentiores.

Vultui meo intentis quotquot aderant, intellexi à me ſolutionem eorum expectari, quæ Marcellinus propoſuerat, nec aliter rogari me paſſus, ſic orſus ſum poſtulato ſilentio.

Ne exiſtimes, ô Marcelline, priſca illa ſuavitate, cujus meminiſti, deſtitutam eſſe noſtris temporibus Theologiam. Quod multi, qui ad ſacrum fontem accedunt, rixoſi, queruli, omnibus graves, non ipſius vitium eſt, ſed animorum quibus meliora infeſta ſunt. Cerne tot, in diverſis locis doctiſſimos ſimul, & modeſtiſſimos viros, quos ſua neque inflat, neque ad inſanos fremitus agit, eruditio; & protinus agnoſces, non Theologiæ ingenio furioſos reddi quotquot pacem obturbant, ſed aliunde mutuari hanc animi ægritudinem, quæ non parum apud plurimos ſcholam infamat.

An diviſionem qua utar, probaturi ſatis,

nescio. Aliqui ex temperamento turbidi sunt; haud pauci ex quadam animi superbiâ, maligno certamine gloriam sibi quæsituri, præliantur; plurimi ex odio feruent; cæteros, occasio bellis admiscet, quorum pericula quia non advertunt non timent. Hæc, si placet, ordine quo illa proposui exequar.

Omnia quidem Astra speciosissimè micant, sed non omnia benigno influxu desiderium sui faciunt; quædam enim utiliùs latitant, quàm videntur, nec nisi irata se mortalibus exhibent. Stellæ illæ septem, quas in capite Tauri fulgentes cernimus, pluvias toties creant, quotier redeunt, adeo imbribus natæ, ut ab illis hyades apud Græcos, apud Latinos autem succulæ, ceu lutosæ appellatæ sint. Malignior multò Caniculæ lux, hæc namque non aquas, sed incendia generat, ipsi pelago ardorem suum ita insinuans, ut non modò attolli fluctus, sed concepto quoque igne ebullire sæpè existimes; quamdiu enim sydus hoc, in medio cœli centro situm, solis ipsius vicinitate potentius, æstum duplicat, intumescit rabidum mare, & spumâ per allisas undas micante, motuque ingenti, quem vel littora ipsa metuant, ostendit ni recedat inimica lux, se placari non posse.

Ad quid autem hæc de astris querimonia? ut desinas mirari eruditos quandoque viros, eo esse temperamento, à quo frustra pacem speraveris, cùm & faces quædam cœlestes non nisi funestè luceant, atque ortu suo serenum omne disturbent.

Non omnes literati æqualiter apti sunt nutriendo

nutriendo incendio; quod haud ſecus ac ille bellorum civilium ardor, noſtram pacem abſumit. Maxima pars iſtorum qui in ſchola furunt, biliosa eſt, & ex vultu notaſſe ſæpè mihi voluptas fuit. Nullam frontis eſſe fidem nimis audacter dixit aliquis; fallit quidem non rarò; ſed ſæpiùs extra fabulam ingenua eſt, oſtenditque ſeu latens venenum, ſeu ſecretas animi dotes, ut neque vitia ſine monitore noxia ſint, nec ſecluſæ virtutes absque reverentia & honore. Viris iſtis qui ad perniciem publicam eruditi ſunt, plerumque frons ignea, oculi ſcintillarum inſtar micantes, ſermo vehemens, etiam cum volunt videri ſuaviores.

Modeſtiæ larva tegi aliquando poteſt dirus animus, ſed non diu, quis enim conſtanter perſonam ferre queat? illam citò natura abiicit, vel imprudens vel indignata; ut breviori impoſtura, ij omnes decipiantur, quos ars luſerat præclaris initiis: fallor, ſi aliquos ex iſtis, de quibus ſermo eſt, diu placidos vidiſti; ſibi ſtatim redduntur, qui à ſe abierant, & ſimia ſub amictu humano ad numeros ſaltans, direpta veſte, cito apparet quod eſt, ineptiſſimum animal, hominis ridicula imitato.

Rarius qui ſanguine copioſi ſunt, in pacem peccant, publicæ quietis amatores, quia & ſuæ: tota illa ſanguineorum cohors, conviviis, ſocietati, muſicæ nata, ea omnia pro deterrimis habet, quibus delibatur animi quies, aut conſuetudinis amœnitas. Ab his nusquam ferè timendum ſeu audituri, ſeu docturi

ri ad ſcholam accedant; immanes enim motus prohibet jucundiſſimum temperamentum, totusque naturæ habitus ad harmoniam vergens. Non ita illi quos ſæva bilis acerrimè urit, ſuo enim ſæpè impares incendio, niſi partem excutiant, indomitum ignem ferre non poſſunt. Hinc eſt quod ſeipſos ſublevaturi, non plus verba, quam ſcintillas emittant flammeo ore, Veſuvio, atque Æthnæ, non abſimiles, quibus ideo à natura diductus vertex, ut liberior ignis extra cuſtodiam ſuam noceat.

Quid autem de Melancholicis dicam? ſi non exundat humor ille quo atrati, & funere ipſo triſtiores aliqui efficiuntur, ad ſapientiam certè non parum conferet mœſtitia illa, quæ nimium effuſæ hilaritatis frænum eſt, cogitque animum nihil velle, aut amplecti ſine ratione, & conſilio. Sed quid crudelius ſæviente melancholia, quid ſtultius? qui ſub ea laborant miſeri, ſuo Saturno digna commenta meditantur, & ſecretè licet fatui ſint, ſæpius tamen, bacchantium more, cum feritate inſaniunt. Ex iſtorum numero plurimos videbis, à communioribus placitis abhorrentes, & mœrore ipſo ſolitudinis eò adductos ut potiora non probent. Illud enim vitæ genus quo à natura velut ſequeſter humanitatis, homo aliquis conſtituitur, portentoſas cogitationes menti ingenerat, ſæpè etiam crudeles, quas, ſi in notitiam veniunt & publicè eduntur, jure dixeris, bellorum ſemina, non minus quam immanis vitæ tetras imagines, ſpectra doloris, inſomnia vigilantium.

Piſcis

Piſcis eſt, Sepiam vocant, qui effuſione atramenti ſe tutatur,nec aliter ſævit,aut nocet. Quid aliud Melancholicus,qui diro humore libros inficit, candidiorem doctrinam damnans, quia ater ipſe, & contrariorum ſicut difficilis eſt acceſſus, ſic ſpontanea, naturaliſq; diffidentia?

Talem fuiſſe ajunt Acherontium, qui ultimis temporibus emergens, cùm ſe ad ſcribendum applicuiſſet, ſævam adeo doctrinam ſparſit, ut poſſit videri pietatis terricula, & ad deſperationem pia quædam, atque religioſa invitatio. Sed quid de illius ingenio queror, ſcriptisque feralibus? à mœſtiſſimo authore, quem & ira exaſperaverat, ne quid ad triſtitiam deeſſet, nihil expectandum ſuavius. Quid enim atrabilis è calamo fluens, furorique admixta, ſcribere poſſet ad conſolationem mortalium? Nomen viro apte impoſitum, Acherontius, nam apud Poëtas Acheron in opaco ſpecu genitus, ex natalium conditione ſolem diu averſatus eſt, ab ipſo tandem Iove male multatus, quòd Titanes in ſuperos rebellantes auxilio juviſſet. Et hic author obſcuro loco editus, tardè etiam in lucem prodiit, ea in abdito arma fabricatus, quæ commodiora multò hæreticis, quàm Catholicæ pietati. Neque illi hoc ignorant; & ſæpius ſublata ſpe, in ſuæ ſectæ gratiam contorquendi ſuperioris ævi ſcriptores, ad Neotericum authorem tanquam tractabiliorem confugiunt; licet enim cum illis fœdus non fecerit, facillimè tamen conciliatur, & odium ejurat. Quid hoc?

Flectere si nequeo superos, acheronta movebo.

Multa in hæc dicere properabam, immensus enim campus, sed incogitantem gratissima quæstio suspendit. Et hoc quidem, ait Marcellinus, mirum est, ô Firmiane, inveniri sæpissimè in eodem cerebro sapientiam, sic enim & Theologiam vocamus, unà cum, non ausim dicere, dicam tamen, fatuitate. Quæ enim major stultitia, quàm adversus suos insolescere, sumere arma, non quibus Ecclesia vincat, finesque imperii sui proferat, sed quibus debilitetur, cædatur, ipsisque inimicis exhibeat, acerbi, nec cito transituri doloris, gratissimum spectaculum?

Non plus viginti fermè annis, prodiit liber, quâ authoris mente nescio, à quo qui imbelles ex adversariis, nec in suarum partium libris edocti, passim arma petebant, quibus pietatem oppugnarent, tanta mala non adverterat incautus scriptor, dumque passioni suæ plus æquo indulget, & specie pietatis sanctissimorum ordinum leves defectus, vel exponit imprudenter, vel attollit insyncerâ, verbosâque Eloquentiâ, hoc ab æquissimo lectore nolens obtinuit, ut crederetur, vel hostis occultus Ecclesiæ, vel furiosus utique filius qui matrem laceraret. Hic liber non multò post latissimè venenum suum sparsit, caventibus hæreticis, ut citò linguis omnibus loqueretur, totque interpretes haberet, quot sufficerent ad hostium satietatem, quibus mala nostra, nisi orbem ipsum impleant, & extra omne remedium sint, non placent.

Ne(c)

Nec ſolus hic inquietus author; ante illum multi ſimilia peccavere, nec defuerunt poſtea qui imitarentur, pari ſupplicio mox affecti; hoc ſemper agente providentia, ut qui inconſultè ſcribunt, pietatemque inofficiosa charitate, quoquo modo dedecorant, nominis ſui infamia laborent. Et his annumerandi ſunt, qui non modò ſcholam, ſed, quod flendum multo magis eſt, plebem ipſam turbant duriſſimis quæſtionibus: videntur enim pacem invidere multitudini, quæ tantorum dogmatum non capax, ſtatim ut audit, agitatur acerrimè, motuque ſuo tam diras futurorum imagines ſibi exſuſcitat, ut quandoque deſperet. Peto igitur, Firmiane, qui fit ut divinorum ſcientia in eodem cerebro maneat, in quo tanta fatuitas, quoque vinculo tam diſſimilia uniantur, ut ſapientia dici poſſit ſtultitiæ contubernalis?

Non minus jucundæ quàm ſeriæ propoſitioni ſic ego. Regia domus Regemne ſolum admittit? ô Marcelline, an cum eo etiam infirmæ ſortis homines, agaſones, piſtores, coquos? Et quidem admittit omnes, reſpondit Marcellinus, illoſque etiam non excludet qui ſtipem petunt, ſi cuilibet intranti janua patet, nec cuſtodes pro officio ſuo ſunt rigidi. Sed quid inde ô Firmiane? quid inde, ajo, & hoc dixi, ut ſcias poſſe ſub eodem tecto cum abjectiſſima fortuna majeſtatem inveniri neque mirum eſſe, ſi quandoque ſapientia, & quæ illi adverſaria eſt fatuitas, in eodem cerebro contineatur.

Spatium illud quod multa ambit corpora,

ra, locum communem vocant philosophi, singularem verò istud, quod cujusque rei corpus ita circumscribit, ut mensuram ejus non excedat. Utrumque in cerebro advertere est, ô Marcelline, est enim illa pars aliquando contrariorum quidem receptaculum, sed diversa claustra obtinent, in tam lata domo, quæ natura non conveniunt; sicut enim judicium anteriorem tenet sedem, memoria posteriorem, sic mihi persuaserim, diversis partibus idem cerebrum aliquando ita variè affici, ut sapientiæ locus sit, nec excludatur amentia.

Planiùs dicam; judicium, memoriaque non iisdem affectionibus cerebri vires suas explicant; illud quippe in sicco lucet nitidius, fœliciusque disponit quæ agenda sunt: hæc in molliori rerum imagines nullo negotio accipit, & in usum suum facile movet: sicut enim ad solem quædam arbores lætiori fronde virescunt, aliæ marcent, utraque facultas non eodem gaudet temperamento; & ideò fermè pro miraculo habenda est illa constitutio cerebri, qua in magnis quibusdam viris, rationi tam commoda sedes est, ut splendorem suum facillime effundat, ordinandis actionibus, nec memoriæ deterior locus, ut imaginibus suis intenta, sine labore quas velit novas accipiat, aut evocet quas acceperit. Forte jam quod dicturus sum vides. Da hominem cui desit illa capitis conformatio quæ sapientes facit, data altera quæ memores: quia, ut diximus Theologia est rerum divinarum sapientia, fieri poterit, ut i-

dem homo eodem tempore & ſapiat, & deſipiat; ſapiet enim ſi doctus earum rerum perceptione quibus inſtruitur ratio; deſipiet autem illa parte cerebri, quæ prudentiam excludit, nec apta eſt conſiliis. Hinc, ô Marcelline, turbulentiſſima eruditio, quæ cùm multa noverit, effundit malè, cæciorque ipsa Poëtarum fortuna divitias ſuas temerè ſpargit, quæ ut plurimum accipientibus nocent.

Populus fuit qui Cauſidicos nollet admittere, cum milites pateretur; ſcriberetque Imperatori, ſe ab impolitis, armatiſque, minus timere, quàm ab iis qui diſcorde eloquentia ipſas leges turbarent. Quæ enim ſpes fœlicitatis, ubi jus alio jure indiget ut ſe ab oratoribus expediat, ſuoſque interpretes illo ſupplicio damnet: quod meriti ſunt? pacatius certè vitam noſtram duceremus, ô Marcelline, in caſtris ipſis, ubi tympanorum, tubarumque vehemens ſonus, quietem ſomnolentioribus excutit, quàm inter iſtos imprudentiſſimæ pietatis Theologos, qui ex Evangelio nihil fidelius, perversè licet, didicere, quàm verbum iſtud; Non veni pacem mittere ſed gladium, veni enim ſeparare patrem à filio, nurum à ſocru, & inimici hominis domeſtici ejus.

Reſpice quæ fuit Gallia antequam eruditi iſti, ſuis clamoribus impleſſent aëra, & ad arma vacaſſent, non eos tantum qui ſcholæ prœliis initiati juſtæ militiæ nomen dederunt, ſed & imperitam multitudinem. Numquam fœlicior nobis ſtatus, quàm cum ſub

pacatissimis ingeniis, schola sibi constans, uno impetu, & quasi testudine facta in hostes irruebat, at nunc distractis viribus languet exercitus Ecclesiæ, ipsaque nos stultitiæ nostræ admonet, adversariorum exultans, &, proh dolor! propè minax insolentia: Quo vos, ô novi doctores? quis in orbe catholico disputationis acerrimæ fructus? Quis civilium finis armorum, quæ nec ipse summus Pontifex à furentium manibus excutit, fulguratione, tonitru, ipsa denique jaculatione Anathematis, quod vel impii timeant? sed non adverto me absentibus loqui. Ignoscite, ô Amici, talis est non amantium solùm, sed & sæpe indignantium ardor, ut, si homines absint, saxa potius ipsa suis questibus oneret, quàm silentium custodiat.

Et mirabar te, ait Marcellinus, non audituris tuos sensus aperire, utilemque turbidis mentibus sermonem apud eos habere qui tecum sentiunt: sed te iratum vidisse juvat, juvat, ô Firmiane, ut si aliquando plus quàm decet æstuamus, illud ipsum in aliis excuses, cujus exemplum fecisti.

Sed timeo ne te longius à proposito averterim. Aliquos ex temperamento molestos esse ostendisti; jam proderit, te disserente, audire, quid de aliis sentias, qui ideò tantùm acerbi sunt, quòd vesana eruditione, præliisque noxiosissimis sibi nomen facere arbitrantur. Verum est, inquio, neque enim alia victima, famam sibi non propitiam, placari posse autumant, quàm si illi pacem immolent.

Illud aliquando miratus sum, olim Ro-

mæ nobiles quasdam fœminas meretriciis amoribus maculasse suam stirpem, non voluptate aliqua ductas, sed timore, ne si amasios non haberent, deformes haberentur. Argumentum enim pulchritudinis est, viris placere? neque tanti pretii, apud stultas mulieres, contempta aut solitaria castitas, ac forma prostituta. Pari genio aguntur, qui famam sibi comparare gestiunt, pacis publicæ, suæque virtutis jacturâ; clari enim cum esse non possint nisi turbidi, nocere potius eligunt, quàm latere ignobiles atque innoxios; & templorum incendio, velut Herostratus ille, historiam ipsam sollicitant, ut piissimum nomen, cujus memoria omni odio, omnibus legibus damnanda est, ad posteros transeat.

Erricum Sueciæ Regem arte magica notiorem, quàm nobilitate aut imperio, pileum habuisse ferunt, quo ad arbitrium gestantis variè moto, optatus ventus statim aspirabat, torpens licet aër, neque aptus navigiis, ipsis etiam avibus adimeret usum pennarum. Ille ne unicus pileus qui ventos ciet? immo plures hodie invenias, absque carminibus tempestatem eò inducentes, ubique tranquillitas diuturnior sperabatur, quia sanctior, neque fas illam, quam Christus Ecclesiæ suæ largitus est, pacem turbare. Tot certè pilei ventosi, quot turbidi apud nos doctores inveniuntur, qui procellosâ subtilitate turbas faciunt, seque famosos arbitrantur, dummodo miseris mortalibus nimbos moveant, & pericula ministrent.

Quàm tetra vox illius Imperatoris, qui

ſuum principatum ob hoc ignobilem dicebat, quòd fœlix, nec inſigni aliqua clade notabilis, quemadmodum illorum quos celebres apud poſteros facit,aut cæſus patriæ exercitus, aut theatrum ſubito caſuin ſubjectam plebem corruens, aut publicum incendium. Magna certè gloria, ſui ſæculi tranquillitatem ſuſtuliſſe, & inter eos cenſeri ordinis Eccleſiaſtici gladiatores, qui obvium quemque ad certamen productis libellis provocant, neque unquam ſine ſpatha, & clypeo conſpiciuntur. Sed an putas eruditos iſtos, qui cæteris vehementius loquuntur atque frequentius, cæteris etiam doctrina aut ingenio antecellere? dolia majorem ſonitum edunt, ſi inania, pleno vaſe nihil ſurdius: & hoc argumentum ſcias tenuiſſimæ doctrinæ, ubique loqui, ubique jactare doctrinam ſuam. Non frequenter oracula vocalia ſunt, patientiâ emendum eſt, quodcumque rogata emiſerint. Viris parcior lingua, fœminis continua ferè loquacitas, ex diſparitate ſcilicet ingenii, quòd cum viris conſtantius ſit, & ſolidius, ſine labore ſeipſo fruitur, nec in ſolatium levitatis, viam facit ſecretis cogitationibus, ut in verbâ erumpant.

Iſta ſermonis perpetuitas, quam in pluribus videtis, indigna eſt homine Theologo, ſacer enim eſt, & pro oraculo habetur, neque viris licet, quæſitis diſputationibns rixas ſerere, more muliernm quæ verboſæ & procaces, ſi propriis focis jurgia deſint maritorum patientia aut imperio, fores egreſſæ hoſtem quærunt, & faciunt.

His

His immorabar cùm nunciatum eſt adeſſe Primeſium poſtulantem an ingredi liceret, & noſtra conſuetudine frui? placuit invitis eum intrare; neque enim poterat honeſtè dimitti amicus gravis, & etiam inter mutos contentioſus. Ut vidimus de more accedentem cum ſuo libro, Miſerum me, inquit Fœlix voce demiſsa, Primeſius iſte ex ſciolis eſt, qui ſpinoſis quæſtionibus aures dilacerant, & litigiosa garrulitate eos etiam torquent, quos humanitatis gratia conveniunt; abeſſem utinam, illo adventate pax noſtra certiſſimè perit, velis, nolis, pugnandum eſt. Tum Apollonius in cujus ædibus morabamur, Salve Primeſi, fortunatè accedis, jam enim longa verborum ſerie laſſati, omnes ſilebamus: verùm te conſpecto torpor ille mentis excuſſus eſt, rediit vigor, & iterum placet loqui, te præſente enim non deerit gratiſſimæ collocutionis materies. Subriſit ille, & codice oſtenſo, quem præ manibus habebat, ait ſilentium eſſe haud poſſe, ubi egregius liber admitteretur; addiditque, ea in iſto volumine contineri, ex quibus argumentum converſationis ſumere vellet; cui jucundiſſimè Apollonius, Bibliothecæ, inquit, meæ injuriam facis, Primeſi, ergo tot libri, quos hîc cernis, ſuorum authorum nominibus conſpicui, neque tantùm argumenti varietate, ſed & rerum pondere, & copia inſignes, ad colloquium unum non ſufficient? Sed dic quæſo, quis iſte liber quem tantopere attollis? Illene qui tibi in urbe moranti, comes eſſe ſolet individuus, itineris etiam tui, cùm

carpento, aut equo veheris, asseclа, & vitæ rusticæ, quoties fastiditâ urbe & negotiorum motu, in villam secedis, maximum solatium, de quo tibi frequens sermo? ah! ipsemet, ex integumento, ex forma, & maximè quia frequenti manuum attrectatione propè tritus est, agnosco authorem tuum; præceptorem tuum; qui Gallico idiomate, cultissimâ phrasi, adeò placuit amœnis ingeniis, ut passim in aulâ, & in Gynecæo dicerent, tot lepôrum authorem vere esse suspiciendum; neque ab eo timendam, in rebus fidei, ambiguitatem aliquam, aut perfidiam, qui tam venustè loqueretur.

Ad hæc iam non ridens Primesius, tono grandi, vultuque ad modestiam & gravitatem non sine animi dolore composito, ut his tegeretur acerbitas mentis, doctrînæque tenuitas; Ita est Appolloni, nihil omninò metuendum ab isto authore; non ideò certe quia disertus, & comptulus; nam quis nèsciat hæreticos aliquando fuisse eloquentes, & verborum lenocinio apud incautum vulgus potentissimos? sed quia morum integritate notissimus, & nascentis Ecclesiæ dogmata adeò callet, ut ea ab ipsis Apostolis, non ab illorum successoribus didicisse videatur: neque enim, ut plerique, in scholæ recentioris verba, & magistrorum fidem cæcâ facilitate aut reverentiâ jurat; rivos pertæsus quales hodie fluunt apud vos, ad elapsa olim sæcula totum animum applicuit, ut scrutaretur quid lateret in fontibus.

Mirum est quanta eruit ex veterum Patrum apo-

apothecis sagacissimus vir, fœlici diligentiâ & labore; suo certè libro noctem abstulit, quæ gravis mundo incubabat, nec minori luce poterat solvi. Præclarissimum opus, vernaculo sermone ideo editum, ut bonum, quod paucorum esse optarat, avara & latina quorumdam hominum pietas, fiat Gallica largitione communius.

Novi authoris immodica laude læsus Agatho, neq; diutius ferens scholam contemni; Pugnaturus intrasti, inquit, Primesi, ad hoc enim venisse te, comes liber ostendit, nec obscurè prælium petis; dabitur. Ecce me paratum congredi, sed quia tu prior ad pugnam vocas iniquitate sermonis, legem accipe, cujus beneficio, apud provocatos est armorum delectus. Ex plurimis quæstionibus unam seligam, sed ut neuter longis ambagibus, seu verum eludat, seu ignorantiam suam obvelet, argumentis procedamus; sic enim Divus Thomas, ut fugacis adversarii multiplices astus arctissima rationis lege ad justi certaminis formam cogeret; nam prioris ævi sententiis; authorum citationibus, quorum sensa neque patent sæpissime, neque cum aliis conveniunt quibus eadem debetur reverentia, nulla vis infertur intellectui; & in isto certamine, non ille propemodum vincit, qui doctior, verior, sed qui memoriâ, aut laqueis fœlicior est.

Non expectato prœlii ordine attonitus miles, primum necessario rubore, mox pallore oris, diversissimos animi motus indicavit, timorique admixtam in subito casu, ex ignorantiæ conscientia, verecundiam. Ne tamen

metuere crederetur, acutiori voce consternationem animi obducere sæpè tentatus, sæpè etiam hæsit, ut scires hominem, suis in castris audacissimum, & vincere confisum notissimis armis, ad ignota tela pavere.

Suus tantum liber, sua veterum Patrum excerpta viro placebant; urgenteque Agathone ut ratione procederet, in Thomam ipsum debacchatus, qui viam cæteris præiverat, modumque sacris disputationibus adhibuerat ex Philosophorum præscripto, ea dixit quæ audisse dolor animi fuit, auriumque cruciamentum.

Sanctus iste, inquit, sua eruditione minus profuit Ecclesiæ, quàm obfuit; quæ ad religionem pertinent, authoritate probantur, non scholæ altercatione, aut argutiis. Quid mihi Thomam memoras, quid sequaces illius? tutiùs multò illos consulere authores, qui Apostolorum ævo vicini, maturè satis nati sunt, ut recentem adhuc pietatem amplexarentur, viderentque in adolescente Ecclesia religionis nostræ primitias. Melius illorum placitis, quàm scholastica concertatione ad verum itur. An fortè existimas periclitari fidem sine argumentis, aut aculeata illa Philosophorum ac Theologorum calliditate? imprudenter Aristoteles inter Christianos admissus est, non tantùm ut Catechumenus, sed ut magister, & propè, cur enim non dicam? Judex sacrorum. Quàm verò infeliciter divus Thomas Athenis Hierosolymam implicavit, mersit; utriusque urbis dogmata adeò confundens, ut nescias, magisne á Christo didicerit sim-

ſimplicitatem Evangelii, quàm à Philoſopho ſubtilitatem diſputationis, & in ipsa pietate, ubi urgetur acrius pervicaciam.

An qui ante illum extiterunt, aberravere? quia nondum ille litigandi viam tradiderat, ut doctrina ſacra forenſis propemodum efficeretur, & ex ipsa lucis acceſſione, non rarò etiam tenebricoſa? ſicut enim, ſi plures in eundem locum faces inferas, quod lumina, tot umbras habebis, tenues quidem, ſed multas; ita ex diſputantium variis ſubtilitatibus vix una eruitur veritas, ſæpiſſimeque accidit, ut illa ſcholaſticorum manus, rationum diverſitate, multiplices tenebras myſteriis offundat. Satius certè legere priſcos authores, & ab iis credenda petere, quàm piis Divi Thomæ tricis uti, quas qui faſtidiunt, aut etiam ignorant, ſinceriores ſunt æſtimandi. Hemus in iſto volumine illuſtriora Divi Auguſtini teſtimonia, quibus obſcura jamdiu veritas mirificè illuceſcit. Placetne audire aliqua, quæ ingenti controverſiæ finem faciunt. Non in multam quæſtionem, ſenſum ſuum trahit vir doctiſſimus; quid credendum, pauciſſimis verbis indicat.

Hæc Primeſius, cui Agatho riſu ſevero: Pudeat, Primeſi, *Bucerum* agnoviſſe quanta Divus Thomas præſtiterit Eccleſiæ Catholicæ egregiis laboribus, te autem ignorare. In hoc, homo hæreticus multò te religioſior, quòd ſanctiſſimi viri doctrinam demirans, illam vocat propugnaculum Eccleſiæ, fateturque in ea tamquam in publico quodam armamentario, illa omnia inveniri, quæ apud cæ

teros authores vel nimis diducta , evaneſcunt prolixitate ſermonis; vel infinitis propè operibus ſparſa , niſi in unum corpus coëant , vix reperiuntur , ubi urgens bellum lenta arma non poſtulat, neque vim illam obtinent, quæ unitis dat victoriam.

An in culpâ Divus Thomas quod militantis Eccleſiæ legiones formaverit, quòd ordinatiſſimâ ratione lumen monſtraverit ipsâ ratione illuſtrius, nempe argumentis, quod jam revelatione patebat; velut ille Ioannes, qui tantum lucerna ardens, & lucens, ſolem tamen oſtendit? Quem te dicam, Primeſi, qui doles Thomæ eruditione omnes à fide alienos in eas contrahi anguſtias, ut neceſſario fateantur ſe non homines, ſi fideles eſſe abnuerint; quia quicquid à ſummo doctore proponitur tanquam dogma Eccleſiæ, adeo rationi cognatum oſtenditur, ut illud non admiſiſſe, illam quoque reſpuiſſe ſit?

Sed dic quæſo : ſi ille regem demeretur, qui fulciendæ poteſtati tumultuariè legit milites, & confuſo apparatu arma miniſtrat, quomodo ille nocens qui ipſam aciem componit, qui ſub ſuis ſignis legiones prudentiâ, clamoribus, authoritate continet, in mediâ etiam pace uſum armorum docens, ne tyronum inexperto marte nutet exercitus ubi bellum ingruerit?

Veteres patres multa inveniſſe quibus religio non modò ſe tutatur, ſed feliciter quoque in ipſas hoſtium turmas irruit, quis, oro, dubitat Primeſi? plura fortè concedam, quàm à me ſperes. Si doctrinæ ſubſtantiam ſpectas,

non

non modum, quicquid hodierna schola am bitiosè promit, prior ætas habuit, in ipso rerum initio copiosâ, & sapiens; nihil nisi vetus apud studiosos nascitur; totum ingenium hominis exhausit priscorum authorum diligentia, ac studium, quacumque imus, ducimur. Sed fatearis necesse est, Primesi, Divum Thomam eâ prudentiâ digessisse quæ à patribus acceperat, ut jam usus sit facilior, & ratio ipsa ordinatior, Quis autem dubitet validiorem esse rationem, justâ partium suarum collocatione, cùm fortior utique sit exercitus ubi ad animos & vires ordo accedit? non ille prior deprehendit aurum, qui prior signavit, ut ex metallo pecunia fieret, sed modum invenit, quo esset multò utilius, & pretiosius æstimaretur. Esto, Divus Thomas nihil aliud scripserit, quàm quod ab antiquis Patribus mutuatus est; aurum certè celavit, quòd prius infectum quasi jacebat, licet scholastici aliqui ante illum extiterint, additisque figuris, meliori arte effecit commodius.

Catholicum te esse piè credo, Primesi; sed unde hoc, ut hæreticorum more Thomam respuas, qui summorum Pontificum oraculo declaratus est tot edidisse miracula, quot scripsit articulos, eaque attigisse perspicacissimo ingenio, quæ meruerunt, ut doctor doctorum & scholæ Angelus diceretur? Non majori supercilio quàm tu, Calvinus aut Lutherus Thomam contempsit; dic, & illum monachum fuisse, nec à monacho aliquid præclarum debere expectari; oblitus ipse ejusdem fuisse instituti pene eos omnes qui prioribus sæculis

Ecclesiam DEI nobilitavere ingentibus scriptis, & famâ studiorum. Verùm, Primesi, ne me tibi severum dicas, dabo gratiam, non odisti Thomam, sed times; & gnarus quanta vis argumentorum sit ad dissolvendas rationes, quæ verborum apparatu & sententiis se explicant, ad notum tibi librum ex more defectis, & certamen detrectas.

Modus iste agendi quem tuis partibus commodiorem judicasti, quemque proponis, amdiu, ab eruditis proscriptus est, iisque relictus qui minoribus studiis dederunt animum, & quibusdam citationibus, quæ jam apud vulgus tritæ sunt, tuentur, commendantque doctrinam suam. Sic jam mulieres; libros enim ejusmodi, vestro certè beneficio, habent, & ex Latino Patres Gallicos, quos legere, illis est cæca voluptas, citare verò, audacia animi, atque oris impudentia.

Tuus tibi sit liber, primesi; authorem novimus: cujus fidei sit; quâ ad suum sensum arte invitos plerumque patres compellat, non ignoramus: quid taceat, quid detorqueat, quid etiam venustissimus interpres de suo addat, oculati sciunt; & jam à plerisq; quos novitas penè moverat, irridetur quæ fuerat prius periculosa fascinatio.

Ita differente Agathone, non se regebat Primesius; modo aversa facie damnabat quæ dicebantur; modò in terram spuens totum pectus exhauriebat, ut quàm abjectò de scholâ sentiret, Agathonem non lateret; & interdum, quasi veritas ipsa conficeretur, extensis in cœlum manibus, quia loqui non sinebatur, acerbè

acerbe silens, proclamabat ad vindictam. ut tandem fari concessum est, totus in injurias fuit, ea mentis atrocitate, quæ etiam vultum mutaret; Gallum Indicum diceres, qui oblata purpura livens, demissasque in humum alas minaciter rotans, ita ridiculè accenditur, & gyros agit, ut cum pueris timorem, viris tantummodo risum moveat. postquam impetu plura eructavit quàm bene conceperat mente, salutantibus, nec resalutatis cæteris turbide se eripuit, optataque absentia pacem nobis reddit quam abstulerat.

Ex illo articulo, respirare omnes visi sunt, & cœpere palam mirari pietatis istius Genium, quæ criminis loco sanctis ipsis objicit utilissimam doctrinam, dignitatemque eorum violat, quia viam quam ratio monstrat, neq; Religio refugit, ipsi ingressi, cæteris quoque ut rectiorem, & securiorem proposuere. Magna mihi inde oritur suspicio, inquit Fœlix, eas opiniones errori, ut ita dicam, collactaneas, quæ illud improbant, quod hæreticorum versipellis astutia damnare consuevit. Audisti fabulam, lupos aliquando ea conditione pacem cum ovibus inire voluisse, ut canes scilicet à se amoverent quos habebant ad custodiam. Isti qui castrenses Theologos nimis acres esse queruntur, fæderumq; osores, ovili videntur insidiari; cur enim, si gregi tantopere favent, cur, inquam, metuunt, culpant, amicos latratus, utilemque ovibus vehementiam?

Scholasticos certe Catholicæ Religioni noxios esse nemo dicet nisi qui optabit eam

poten-

potentioribus destitui armis, & laboriosa victoria propulsare hostes fidei. Amicos dic qui eadem quæ tu, castra obtinent, & sub iisdem vexillis militant, ego certe puros non credam qui auxilia respuent, lacessentque injuriis illas acies quas adversarii non plus odere quàm tremunt.

Scholæ maxima laus, hæreticis esse odio; ex hoc enim utilem protegendæ veritati quis non videat? convitia inimicorum triumphum ex illis nobiliorem arguunt; nemo impune vincit, semper enim datur in agentem actio, debilis licet, ut cedentium sit aliqua vindicta, & impressi dedecoris solatium. Miramur quod prostrata, sed nondum extincta hæresis scholæ obtrectat? fieri aliter non potest: in ardentem focum aquam injice, crepitabit iratus ignis, & perfusus, insultabit undæ victrici. Sed acerbum valde, ex nostris inveniri aliquos, qui scholæ infensi, Thomæque, cujus ope animosior est atque pugnacior, cum adversariis sentiunt. Verùm hoc superbiæ familiare esse intelligo, illud omne vituperare quod metuit, & in fugæ prætextum quasdam fingere causas, quæ etiam robur aliquod animi, & excelsitatem non pessime adumbrant.

Sed jam, ô Firmane, solve audituris quod ultrò illis pollicitus es. Plurimos ex odio turbidos esse dixisti, & literarias procellas excitare in Ecclesia. Quo autem modo? nam usque eò illos matrem optimam odisse, ut quietam esse nolint, nullus, qui offensæ placidus interpres erit, credet. Tum ego: Debitorem me non abnuo, ô Felix, qui fui promissor, & te exactore,

exactore, æquum est, proferre promptiorem solutionem, sed altius quàm putas quæstio illa petenda est.

Contrariorum eamdem esse rationem non obscurè docet Philosophia. Quod amor, hoc & odium, non vi minore, si datur spes, tentat; si facultas, exequitur. Quid non præstat dilecto amor? quid non invenit in commendationem ipsius? quid in eo non excusat, si aut forma illiberalis, aut mores à virtute deficiunt? quicquid in vultu amati aut ingenio peccavit natura, indice amore absolvitur, dignumque etiam censetur, ne quid infamiæ supersit, cohonestari Panegyricâ laudatione. Amor lucis instar, venustatem iis omnibus confert, in quæ effunditur, nec nisi bona collaturus, aut ostensurus, emergit; nocens nunquam, doleat licet, & contemptus incandescat.

Eo prorsus modo odium furit, quo amor beneficus est & gratus. Quid enim in hoste deprehendit ille, qui concepto odio aduritur, quod non statim despiciat, & condemnet? levissimi defectus eo arbitro cruces merent; sapientia apud illum æstimatur fatuitas nec ipso rerum successu, & publicâ fama crimen eluit. Personata pravitas, creditur esse quælibet severior virtus; pietas hoste inspectore scelerata est.

Acerrimi odii non vetus exemplum proponam. Novisti eos qui à salute nomen sortiti, præclarissimis actionibus grandem titulum æquant, & per totum orbem Iesuferi, barbara vox, vera tamen, per tot inter jacentia

maria intrepidi vectores, Iesum deferunt, ut nulla pars mundi, obstante licet æstu, aut æterna sub polis hyeme, Salvatorem ignoret?

Proprium hoc habet virtus, ut vel sequaces faciat vel adversarios, & quia non cui libet datur illud assequi, quod supremum est; hinc fit sæpissimè, ut irritis laboribus, non plus fatigata quàm exasperata ambitio, fœlicioribus studiis maledicat, illamque scientiam damnet quam suprà se eminere gemens agnoscit.

Illa eruditorum societas quæ in bonum generis humani sata, tonto ingeniorum, tanto virutum profectu ubique diffundit doctrinam suam, nitidissima luce velut astrum quoddam nubes excivit; quibus cùm tegi nequeat, molestatur tamen, inter assurgentes vapores pulcherrimum cursum peragens; illi namque ab ortu negatum est, beneficam esse sine invidia & hostibus Nec vulgare odium aut placabile; quicquid illa erudiendæ plebi examinatius rectiusque protulerit, cavillationibus subjacet, & maligna adversariorum subtilitate, fit scandalum audientis, & culpa docentis.

Ut dogmata quædam sapientissima non admitterentur, satis fuit apud plurimos, illi Societati placuisse; & quia veterum placitis adhærebat, numquam exturbanda novitate, factum est ex necessitate consortii, ut etiam cum illa oppugnaretur doctrina vetus Ita ex personarum odio conceptum est bellum istud opinionum, quæ antea cùm dissentirent, pacem tamen non turbabant, seque invicem patiebantur, velut in mixto, sapientis

natu-

naturæ legibus, coërcita nec ſibi permiſſa elementa modum ſervant, quo ſanitas animalium non tantum optima, ſed etiam ſæpiſſimè diuturna eſt.

Plurimos eſſe, qui ex odio ſuam eruditionem acuunt, ſi non creditis; extra omnem doctrinam de ſocietate iſtâ ſermonem cum illis habere, & quid intus lateat, quo fonte derivetur ſubtilitas, quæ in recentis Theologiæ defenſionem tam altè crepat, ſtatim patebit. Ad inimicum nomen exæſtuat ira, nullâ prudentiâ, nullâ arte domabilis; quicquid in buccam venerit, quaſi in parte pietatis eſſet innocentiam ſordidare, in immerentes effunditur, neque unquam major cenſetur gloria, quàm cùm plura in dedecus notæ pietatis inventa ſunt.

Caſtus amor fervet quidem, ſed nuſquam illius cæcum aut medullas depaſcens incendium; dolore, inſaniâ, agnoſcitur infamis cupido, telum ex vulnere; ardor quoque ille qui non in ſchola tantum, ſed in privatis plurimorum colloquiis inſolenter adeo emicat, nimis certè atrox, ut religioſus credatur. Charitas urit ſuaviter, & quia ipſa etiam ſine fumo, quiſquis ad tactum illius igneſcit, ſimiliter innoxius eſt, nec vicinitate ſua aliquem lædit, aut decolorat. Credibile ne eſt eos non flagrare odio, qui doctrinæ ſuæ calumniam ita intexuere, ut ab ira & livore argumenta eorum expedire omninò nequeas, ſi ſecernere iſta velis, de utriſque diſtracta causa, facilius rectiuſque judicaturus?

Ea arte ſculptor aliquis ſtatuam Minervæ effinxit, ut in ipsa Dea artificis vultus emineret, quem manere neceſſe erat niſi totum ſignum ſolveretur. Non alio modo libri quidam concinnati ſunt; cùm enim in gratiam opinionum quibus æger mundus laborat, videantur compoſiti, inter novitatis axiomata, ſuam quoque figuram opifex calumnia oſtentat, neque ſinit in Theologico opere plus latere injurias, quàm litem ipſam. Atrociora ne ſcripſiſſent authores iſti in optimi inſtituti ſectatores, ſacerdotio, doctrina per totum orbem, tabeſcat licet invidia, conſpicuos, ſi Lutherus aptaſſet calamos, illudque atramentum miniſtraſſet, quo ille candorem Eccleſiæ, & ſibi exoſi Pontificatus dignitatem labefactare conatus eſt.

Nihil præclarius dici poterat in laudem puellæ illius militaris quæ Rege, ſed non imperante in Gallia Carolo ſeptimo, Anglos fugavit, quàm quod ex illis unus conſcientia cogente effatus eſt; virginem ſcilicet digniſſimam, quæ apud poſteros omni encomio celebraretur: ea enim geſſiſſe, quæ viri fortiores ſtuperent, & deſperatæ patriȩ priſtinam gloriam reſtituiſſe. Verùm non omninò fuiſſe abſque ſcelere, quia inter hoſtes Angliæ nata, pro illis etiam feliciſſimè pugnaverat. Quid non mortalia pectora cogit immanis rabies odij? quia Gallicum aërem hauſit naſcens, puella; & adulta, Britannicas fudit acies, in crimine eſt, iiſdem judicibus qui eam damnaverunt, reverenda, niſi natalium innocens ſcelus, ream feciſſet, armorumque fœlicitas. Galliam non oderint

rint Angli, furor in Ioannam quiescet, & pyræ loco thronus ſtruetur, unde illa ſine ardore fulgeat.

Quædam datur doctrina, quæ ideo tantum plurimis odioſa eſt, quia in honore apud illam ſocietatem, quam livor improbus, & alienæ famæ obtrectatrix ſuperbia ferre non poteſt. Aliud doceant quàm ſolent, ij in quo ſævit invidia, illico, tanquam novâ luce obortâ, applaudetur illi opinioni quam abjecerint: ſcio multos non eo animo ſentire quæ ſentiunt, ipſamque doctrinam, ſæpè licet in hoc quoque decipiantur, ex merito ſuo, non ex profeſſorum ſtatu damnare, aut amplecti. Sed non omnes qui inſano fremitu infeſti ſunt, ea ſinceritate peccant, & plurimis exciderunt verba quibus acerbitas animi detergeretur.

Illud addam: non omnia prælia odium facit, frequenter enim conflat exercitus ſolius gloriæ cupido, ſed non diu ſola inter dimicantes digna cenſetur periculis emi, & vitæ impendio. Poſt accepta utrimque vulnera, ſurgit odium, & pulsa quæ prius ad arma vocaverat fama, rabies ſola attenditur, & fundendi ſanguinis ſæva voluptas. Sæpè fit etjam inter Theologos diſſentientes, ut à gloria incipiat diſputatio; ſed in conflictu quis neget aliquando accendi animos, & ea concipere odia quæ æterna ſunt? Ideone ambitio minor, quia non de imperio, ſed de ſcientiæ palma agitur, & in toga pugnat, & ſævit?

Reſtat ut de jis aliquid dicamus qui ex occaſione inquieti ſunt, ſed quia jam longius ſer-

mo

mo progressus est, ad compendium verba conferam. Naves maximæ in medio pelago, velut immotæ videntur, & nisi urgeat dira tempestas, habent pondus suum pro anchoris; non sic minuta navigia, ad quemlibet enim undarum impetum deprimuntur aut saliunt, & modico vento scapha in periculum mittitur, quia deest illi, quæ triremes fundat, gravitas. Idem existima de facilioribus ingeniis. Pondere carent, & ideo illis qua spirat ventus, aut inclinat unda, cursus est. Exigua saxa, & in aquam decidentes herbas torrens abripit, rupes manent. Miraris turbidiora ingenia levibus animis, nec malignis tamen, contulisse suum impetum? hæc necessitatis est, non judicij. Quosdam invenias equos sarcinarios, qui ita nati sunt ut si gregatim incedendum est, nunquam priores gradum faciant, ad quodlibet iter, si ducem dederis, parati & faciles. Et illud inter homines videbis; plures namque inveniuntur, quos exemplum non natura inquietos facit, cæteri quiescant, ipsi quoque paci studebunt; da antesignanum, & prævios commilitones, sequentur ultrò, & etiam sævint, ne à furentibus exprobretur illis pax sua.

Satis meo judicio de turbulentis hominibus; & sol ipse cadens monet nos jam multum temporis effluxisse ex quo in Apollonij ædes successimus. Multum salve, Apolloni, diu est quod patientiam tuam defatigamus, & jam ipse tu, data prior salute, incommodos nec advertentes amicos castigare debuisti. Ille solita comitate ad cœnam invitatos cum re-

tinere non possent, ast remotiores usque fores comitatus, cum osculis dimisit.

GYNOMACHIA, SIVE MULIERUM CUM THEOLOGIS CONFLICTUS.

QUINTA DISSERTATIO.

AULA tumultuante, secesserat in villam suam amicus noster Artemius, specie quidem levandæ infirmitatis ex aëris mutatione, revera ut otio frueretur? & periculosæ negotiorum administrationi subtraheret assuetum utilioribus curis animum. Neque squalida, & fovendo apta mœrori solitudo quam petierat, vir honestis voluptatibus æque ac paci natus: ea quippe rerum amœnitate conspicua erat, quæ captivo & exuli, post abscissas spes, damnatamque fortunam, placere potuisset.

Ex modico colle, liber in porrectissimos campos, serpentemque per diversos errores fluvium, prospectus, domum commendabat, inter vineta & frondosas ulmos non invidiosè surgentem, verùm ex forma, nec vulgari, nec superba, & ex munditie, quæ ubique pari honore fulgebat, Senatore, & Philosopho dignam. Præcipuis partibus, quarum in interiori ædificio potior cura est, parca manu cum auro, marmor additum; ut inter artis delicias non periret modestiæ decus, so-

bri-

briæque & sibi imperantis fortunæ verecundia. Parietes ad corporum sanitatem, stramento nexili, à summo ad imum vestiti, aulæis additis, etiam venustè abscondebant suam rusticitatem; nec deterior reliqua supellex, cujus Domini esset, & quam sapienter culti, ipso rerum nitore testabatur.

In singulis fere cubiculis, pictorum fama illustrium Tabulæ plures, operosa manu elaboratæ: nulla tamen ex illis eam æquabat quæ in triclinio cernebatur, Trojanum excidium ita ob oculos ponens, ut ardere domos mox casuræ urbis putares: Creusam circumfusa flamma corripi, dum in fuga hæret & flagrantes gemmas deserere, non satis sustinet mulier in ipso vitæ discrimine ambitiosa. Priamum, Hecubam, virgines regias, ad cadentis regni conspectum, dolere simul & irasci, artifex manus fecerat; inter militem & flammam, pavere, fugere, in incerto fati attonitum vulgus: festinare Æneam, vix ab incendio vindicantem onus suum, patrem & deos. Neque sæviens ignis totam tabulam implebat. Ultimis præliis locum suum reliquerat pictor, ut quid posset militaris desperatio, & pereuntium extrema vis, suo penicillo exprimeret. Nihil in illa armorum confusione æque oculos morabatur, ac Diademate insignis, cum sua mulierum manu Pentesilea, effusis in tergum crinibus, stricto ferro, & ad ignis nocturni splendorem micante, nudatis ad cubitum usque lacertis, ut multi sub spumantis equi vestigiis, obscœne premerentur.

Secessionis suæ comitem me voluerat, cum nostro Marcellino Artemius: nec inviti, oblato otio, pacem habuimus cum libris, ut aliquot dierum interposita vacatione jucundior nobis esset futurus labor, studiorumque repetita diligentia. In illis tamen remissionibus semper aliquid utile, & ad eruditionem spectans, ut inter gratissimos flores, optimi quoque fructus carperentur ad nutrimentum animorum.

Contigit aliquando, ut dies imbribus fœdus, manere nos cogeret in triclinio: cumque satis multa, ex occasione turbidi cœli, de aëris passionibus, agitata utrumque fuissent: objecta tabula, ubi tot viri mulierum manu cadebant, ad artis primùm, quæ propè oculos falleret, admirationem, mox ad historiam sermonem deflexit. Et certe, ait Artemius, benè est, quòd apud pictores tantum & poëtas fœminæ fortiores sunt viris. Quis, putas humanarum rerum status esset, si vero robore prævalerent, quæ etiam ex hoc vanæ sunt, quod in fabulis & in artificum tela militant? Multò ante Virgilius quam iste pictor hanc nobis injuriam fecit, ut in Amazone, infirmior sexus viros sterneret. Fortassis ne Livia Augusti in Æneide desideraret de sexu suo encomium; & ne regnantis fœminæ ambitioni, omnino deesset poësis, tot Imperatorem demerita versibus, qui ab eo amplissimam mercedem obtinuerunt. Sed an existimas militares unquam fœminas fuisse, quæ ita bellis studerent, ut ad pensum essent ineptæ, & adeo viros aspernarentur, ut vocatos semel in anno

extur

exturbarent finibus suis postquam matres effecissent? aliquas inveniri, quarum tanta sit continentia, ut virorum vultus ferre nequeant, facile concesserim : Sed in hanc animi corporis que castitatem consensisse tot mulieres, ut maritos toto ferè anno odissent, quis credat, nisi qui eminentissimam virtutem inter vulgares animi dotes, quæ totius regionis esse possint, retulerit, neque satis conceperit mente, quam arduum sit, in numerosa plebe de pudicitia consilium?

His dictis quid sentirem scire voluit Artemius : vocatamque uxorem blandè jussit accedere, illud enim jum tractari, quod à litteratis, nihil læsa sexus modestia excipere mulier posset : tum ego. Sua cuique laus ex merito reddenda est, nec ideo inter fabulas numeranda fortitudo, quia in debiliori sexu enituit. Ubicumq; est virtus, virilis est; & sæpè in fœminis stupenda patravit, ut eo miraculo vanitatem illam maceraret, quâ nos viri existimamus, virtutem quidem, extra nos, gratiosam esse posse, at non generosam magna audentem, neque dignam timeri.

Verè extiterunt Amazones, eo robore, ea pudicitia inclytæ quæ vix apud nos fidem invenit; quidquid enim magnum, prioribus sæculis à natura ostensum est, nisi & oculis nostris subjiciatur, ipsa sui narratione, suspicionem immeritam facit, difficilesque ad accipiendam veritatem animos, qui nisi solitis & communi lege fluentibus non credunt, Non apud Poëtas tantum, Pentesileam invenies; etiam in historiis pugnat & vincit.

Phry-

Phryges cogit ſperare, fundit Græcos, victoriam librat, & tandem Achillis telo pulcherimè cadit, ut ſcias bellatricem Reginam vinci niſi ab invicto non potuiſſe. Hæc propè Tanaim & Thermodoontem fluvios Thronum recepit ex materna ſucceſſione: mox, ut fortior ætas bello aptam fecit, regendoque exercitui, ita fœmineis legionibus, & prudentia militari potens, ut timeretur à regibus.

Neque in Aſia tantum, mulieres ſine viris imperaverunt, Aphrica quoque ſuas dominas habuit. Numquam fœlicius regnata, quàm illorum dominatu, quas Lybias appellavere. Nullas nunc extare Amazones, quæ ſuam Regionem armis tueantur, viroſque ſic faſtidiant, prorſus crediderim, quidquid dicant de fluvio, qui ad noſtram uſque ætatem illarum nomine eſt celebris.

Fœmineæ Reipublicæ pulcherrimam imaginem in Gallia noſtra vidi. Palatium ingens in ſui ſexus commendationem, extruxit nuper Princeps mulier, ea domus caſtitate ut nec viros in lapide admiſerit; nullæ enim niſi mulierum ſtatuæ vaſtiſſimam ædem exornant. Major pars ex Plutarchi fide ad memoriam geſtorum ſuorum ſpectatores ita revocat, ut arbitrentur ſe legere quod intuentur in ſignis. Sacra tamen hiſtoria ſuas dedit, quæ inter profanas, religioſos oculos morantur ſanctiori majeſtate. Nec præterita virgo illa Aurelianenſis, quæ victrix, à proſtratis tandem Anglis capta, ab iiſdem igni tradita eſt, ut in ea Galliæ fatum & Triumphus arde-

ret An non regionis Amazonum veluti figura est inclyta domus, ubi tot absque maritis fœminæ conspiciuntur, & in qua sculptoris crimen fuisset viros fingere?

Hæc non sine risu Elpis audivit, sic vocabatur Artemij uxor, sed Marcellino asserente, nostro quoque sæculo mulieres inveniri quæ præliis gaudent, & ad arma fortissimos quosque provocant; Quæsivit illa, unde earum genus, & quæ cœli pars generoso influxu fœmineis pectoribus virilem animum inseret?

Non dissitæ, inquit Marcellinus, regionis miracula hæc sunt, apud nos geruntur quæ referam. Iam Gallia Amazones suas habet, quæ ad tubam magis quam ad Cytharam moventur, & viris animosiores pericula quærunt, quibus suam famam commendent; & frequenter licet corruant mulieres istæ, præliis tamen atrocioribus mixtas videbis, vultu incenso, minacibus oculis ipsoque clamore terribiles, ut si fortiori manu pugna cadendum, hoc saltem dejectis infœlicium armorum solatium sit, victoriæ pæanem præmaturis vocibus occupavisse. Sed quid? suspensos video animos vestros? Ænigma solvam. Mulieres Theologia cum nostris Theologis certant; imparia certè arma, verumtamen non rarò collata; ut jam doctores non pudeat, cùm lapicidis & tonsoribus congredi, quando cum fœminis intercedit de doctrinæ palma, disceptatio.

Permitte, Elpi, quid de tuo sexu sentiam, coram te dicere; non ad hoc vos mulieres natura formavit, ut sublimiora scientiarum secreta

creta nosceretis. Altior Parnasso Theologiæ summitas, & si in illam eniti vobis liceret, aliquis tamen Apollo sacro vertici præficeretur, ne Musarum concentus ab harmonia cito deflecteret, quæ semper pręcentore viro constantior est; dociles, non doctrices Camœnas Poëtę fecere, inclytis licet parentibus natas, Iove & Memoria, ut fœminę sui modestiam sexus, etiam ex fabulis discerent.

Vobis conceditur acus, lana, speculum, nec non adscititij capilli, si vobis propria desit cęsaries, peplum, cothurnus, totus deniq; mundus muliebris, qui formam auget aut turpitudinem celat; iis utimini, & si vos ad majora vocat animus, his addici non sustinens, illos pervoluite libros quos capere queat mens fœminea: versus legite, nam & fabulis scatent, & ad cantum accedunt. Neque vobis historia prohibetur, quę fallendis horis aptissima est, & jucundè veritatem menti infundit. Si placent arma, etiam bellis miscemini, sed otiosę & pręteritorum certaminum æquæ judices, statuite, quid quisque virorum illorum, qui mundo dum viverent, pacem inviderunt, de posteritate meruerit. Parum est quòd historici sententiam vestram expectant? & eos habete libros, qui ita de divinis sunt, ut meminerint authores se plebi loqui; quæ cum multa scire debeat, plura tamen fœliciter ignorare ita notum est, ut si neges, experientia ipsa reclamet, & quotidianum pene miserorum naufragium, qui altiori doctrinæ, velut oceano, crediti, cum enatare non possent, perierunt.

Erubescebat Elpis, se tamen non perstrin-

girata, probavit Marcellini de mulieribus judicium, ſuaviter rogans, ut illas in gratiam matris leniori ſermone proſequeretur, ſine quibus nec vir eſſet.

Artemius qui literatrices fœminas ſciret cervicoſas eſſe, & viris ſuis graves, jam remiſſiorem Marcellinum vetuit, contemplatione ſuę uxoris, ea tacere quæ dicenda prorſus eſſent; & adhuc eo ſilente, Quid cunctaris, inquit, profutura nobis eloqui. Non ex iis mulieribus Elpis eſt quæ virorum munera uſurpant. Sine maritum breviter laudare uxorem ſuam; ſolidæ pietati ſtudet, ita in templo frequens, ut familiæ curam non deſerat, quæ in muliere non minima ſapientiæ pars eſt. Audire ſcit & exequi placida mente quæcumque jubentur, & etiam, quod in plurimis fruſtra optaveris, tacere. Non ex impudicitia ſolum, fœminis perire frontem, ſed etiam ex inepta librorum, qui ſexum ſuperant, evolutione, probè novit uxor mea; & ut ſcias, quantum ab iis diſtet, quæ audacia ſua non minus ſibi quam litteris contumelioſæ ſunt, oblatos à pluribus libros ita non legit, ut etiam ab authorum nominibus abſtinuerit. Ne igitur time, in eas invehi, mulieres, quas gaudebit traduci Elpis, & de quibus numquam ſatis diceretur, quòd fatuæ ſunt.

Securior ergo, ait Marcellinus, ſermonem proſequar, & celeberrimi certaminis promam cauſas, arma, ſucceſſus. Scire enim juvat quibus tubis otioſæ primùm mulieres, à ſpeculo ad arma accitæ ſint, quibus auxiliis pugnent, & quis tandem belli exitus maneat ſuperbas & contumaces. Quæ-

Quædam nostro sæculo, hæreses non dicam, opiniones eruperunt, turbandis ingeniis aptissimæ, & ex eo solum placituræ, quòd insolitæ sunt & acres; portentorum instar, quæ licet spectatores suos terrentia, non sine quadam oculorum voluptate conspiciuntur. Ea est enim natura hominis, ut consueta parvi pendat, & laborantem potiùs solem miretur, quia non frequenter deficit, quam eumdem vultu solito effundentem in terras splendorem suum.

Da infantem quem, servata naturæ lege, omnibus absolutum membris, prægnans mater effuderit, nemo accurret; da monstrosum & bicipitem, ad videndum quod nolis esse, fiet concursus; & soluta pecunia, si aliter fores non patent, emet unusquisque horrorem suum. Sic esse puta de istis opinionibus, quas nuper ortas, plurimi, quòd certè mereris, tremuerunt simul & amplexati sunt; fidem enim illis adhibere, pavor est mentis, & miserrimæ gloriæ quædam species, quæ reluctantes animos ad id trahit quod formidant.

Minima tamen Galliarum pars, periculosis obscurisque sententiis dedit suffragium suum: Nam quid sentire deberet à verteris notæ doctoribus admonita plebs, ita fastidivit recentes, ut eos non parùm suspicione sua infamaverit. Accessit concionatorum zelus, audaxque pietas, quibus coërcita multitudo, in iis mansit opinionibus quæ securiores multò aliis, etiam mentes tranquillant. Quid ad hoc, novorum dogmatum assertores? nihil tutius visum, quàm mulieres subsidiarias ad-

vocare, ut quod argumentis illi non poterant, id loquacitate efficeret sexus numquam minus tacens, quam cùm ea fari jubetur, quæ omnino non capit.

Quid miraris, Artemi, & quid tu, Elpi, frontem obducis? ista est. Spargendis in incauto vulgo de Religione opinionibus, mulieres aptiores sunt viris. Nam quis eas amabit lædere si ipsæ lædant? quis ex ignorantia reas Episcopo sistet? quis silere imperabit? vel tandem, confusas adiget ad suæ imbecillitatis confessionem? apud viros reverentia certe est sexus illius, cui debent quòd nati sunt, & ut sincerius loquar, viri penè omnes in eas proni, Philogynia laborant. Quænam ergo subtilior ars, quàm iis evulgandam opinionem tradere, quas ne viri offendant, prohibet insitus amor, & naturæ ipsius malignitas?

Muliebre ingenium vulpi simile est; non fortitudine pollet, sed industria, & ideo in quibusdam regnis, ubi viri summam rerum tenent, si qua apud exteras gentes est obeunda legatio, committitur fœminis quę arte pręstant; quæ natura duce fingere doctæ, negotiorum præstigiis utiliter adhibentur, & commoda, plerisque rebus, animi seu imbecillitate, seu versutia, repulsam patientiùs ferunt.

Ad disseminandas de Theologia terribiles sententias, solerter mulieres in Apostolos sunt mutatæ: quæ etsi præ inscitia, variis linguis non loquantur, vernacula tamen unica id efficiunt, ut in totam Galliam sonus exeat, quo orbem repleri maximè optarent, qui se mitti à Deo arbitrantur, ut omnia invertant.

Inter

Inter Divi Pauli notiſſimos perſecutores, inveniuntur & fœminæ Religioſæ quæ zelo altaris Domini, ferre non poterant Salvatoris Evangelium, adeo deceptæ ut crederent ſe Moſi inofficioſas, niſi Chriſtum ipſum tollerent. Clamoſum animal mulier, & ſuo tinnitu ita replens aëra, ut, quando vellet, tonantem Apoſtolum plures audire non poſſent: nec enim, ſicuti ranæ, quæ ad imperium Cæſaris conticuiſſe dicuntur, ſexus hic ſilet, cùm ſe audiri jubet Deus; tumultum duplicat ſi prohibeas, ex vetito clamoſior.

Simon Magus ſuam Helenam adjutricem erroris nonne habuit, quæ per domos leni ſuſurru venenum auribus infundebat, quod ille publico ſermone propinabat audacius? plures verò, non unam, ſecum ducere ſolitus erat Nicolaus quidam Antiochenus, id in ſua ſecta optans, quod in fama adverterat, ore multiplici, quodcumque ſciri vult, ſpargente: & Pſaphonis inſtar ſuos Pſitacos caveâ emittens, qui repetitis vocibus edocti quid deberent garrire, ubique clamabant acceptum Deo virum, veritatis aſſertorem, Prophetam. Quid autem Marcion? prodromam mulierem habuit, quæ Romam venturum multò ante annunciaret, & ignoti adhuc hominis faceret deſiderium; ea ſubtilitate uſa, qua & olim Heliogabalus, qui Romanos, præmiſſa imagine vultus ſui, voluit ex pictoris commendatione, armare & mirari principem ſuum.

Montanus ditiſſimas faſcinavit Priſcam & Maximillam, quæ lingua ſimul & opibus

juva

juvabant inepta de Spiritu Sancto dogmata. Arrius non prius orbem decepit quàm fœminam principem, cujus authoritas tormentis bellicis vehementior, ea vi pulsavit Ecclesiam Dei, quâ plurimi ex Catholicis ceciderunt.

Pete nunc, cur novæ opinionis seminatores, Persarum more, sine feminis non pugnant; verborum præliis multum equidem serviunt; nam odia facilimè miscent. Vox non citò illas destituit, sicuti viros, ipsisque sortitæ sunt cervicem duriorem. Augent deinde mulieres sua præsentia numerum, qui in præliis maximum causæ momentum est, & fortitudinis adeò speciem habet, ut antequam constet non multùm posse, semper multùm timeatur.

Eo consilio advocatæ sunt mulieres, quas ut faciliùs ad bellum buccinatores accenderent, iisdem suaserunt, nisi succurreret pius sexus ac misericors, interituram brevi germanam illam Theologiam, quam sub veritatis imagine hostes oppugnant. Promovendo negotio non pauci ex viris per domos propè singulas missi, qui grandibus verbis, reluctantes primùm fœminas urgerent, ut relicto stamine, colo, cæterisque, quorum ad muliebres artes usus est, citò festinarent ad arma, & suo impetu retunderent scholam audacem, suis argumentis vincere adeò solitam, ut ab ea iustè timendum, nisi solveretur proteruitate, numero, & præsertim clamoribus. Consensum elicuit tandem disertorum, suspirantiumque hominum vox sæpè iterata. Mulie-

res

tes caſtrametatæ, componuntur ad certamen, aptant gladios; & nihil jam præter arma meditantes, inconſultis plerumque viris, ſe & caput ſuum clariſſimo bello devovent. Nulla in delectu legionum, ſeu conditionis, ſeu ætatis habita ratio: quotquot voluere, militiæ nomen dederunt, non nobiles magis quam ignobiles; maritatæ, cum viduis, pulla veſte, ſcholæ ſaniori funeſtos exitus minantibus; heræ, pediſſequæ; adoleſentulæ, anus: nec ex prudentia viſum uno loco conſiſtere militares turmas: effunduntur paſſim, per urbes per agros; dumque nobili prælio illuſtrior pars, vel in aulâ, vel in optimatum ædibus digladiatur; altera in officinis, ſordidiori pugnâ, obſcuros hoſtes aggreditur, aut in nundinis certat.

Quis autem non ſtupeat generoſi ſexus ingenium, ſolertiam; ſigna ſua habent mulieres iſtæ non Aquilas, non Lilia, non Turres, ſed alia quædam quibus ſecernuntur ab hoſtibus, & ubi opus eſt, unde libet convenientes, citiſſimè agglomerantur. Quæ autem ſigna? libri quedam recentiorum in ſublime elati, & ſuprà cæteros authores opinionum novitate conſpicui, diſperſas advocant, & in unum corpus cogunt. Neque minus quàm apud Romanos, templum exercitus vocatur, locus ille, ubi ſigna figuntur & fulgent, tanta eſt enim librorum iſtorum apud pugnaces fœminas reverentia, ut pro altaribus habeant.

Ex his etiam didicêre aliud quam cæteræ loqui? ne ex ſermonis conſortio temerè turbis miſceantur, cum quibus nulla pax interce-

dit. Igitur & illas constantissimè fugiunt, nisi de doctrina habenda sit disputatio, & spes detur victoriæ.

Sæpè etiam ab illis Theologi nostri ad pugnam compulsi sunt, & nescio qua animi dejectione, se viros obliti, ignobili bello sustinuerunt traduci famam suam. Memini me cum in Allobrogum Regione essem, Aquilam vidisse, quæ cum fame extimulata canem occidisset, odore prædæ accitos coruos, picas, milvos, avesque cæteras quæ cadaveribus pascuntur, ita despiciebat, ut vociferantes circa se bestias, & accedere metuentes, ipsa, placidè suâ victoriâ potiens, nec solùm aspiceret. Ecquid aliud hoc, quàm Theologorum exprobratio; qui tumultum muliebrem ira sua dignum existimantes, aliter ineptissimum murmur excipiunt quàm risu aut silentio?

Sedandis apibus, quæ inter se non minima aliquando odia exercent, facillimum remedium est.

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta,
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.

Hac arte turbantur bellicosæ, ponunt iras, & ad alveos suos redeunt. Numquid ipse armatur Apiarius, qui muscas certare prohibet, mellificio certè nobis commodas, at non rixa, aut præliis? non semper mulieres incumbunt floribus, delicatæ: sæpè acres tumultuantur, pugnant, sæviunt; Qua ratione Theologus mentem reddet furiosis? ita se

gerat

gerat ut dum in eas ſapienter invehitur, nemo illum exiſtimet ſe miſcuiſſe abjectiſſimo certamini. Quaſi ludens turbet magis jam confuſas, ſtridentes, aculeis non plus in aliorum perniciem inſtructas, quàm in ſuam, & imperio magis quàm diſputatione, cogat ad illud opus redire cui natæ ſunt. Non enim inutilia uſibus humanis animalia, ſi mellita non armata, & ad familiæ bonum moventur.

Ex Ariſtotele accepimus, quosdam reperiri in extremis Indorum finibus lapides, quorum arcana vis illud efficit, ut quicumque illos aſpexerit, illicò raptus & anhelans obmuteſcat, ex iisque caſu inventis, Admirationis templum jubente Alexandro conſtructum fuiſſe, quod nemo niſi mutus & ſtupens ſpectare poſſet. Quotquot numen adoraturi fanum intrabant, ab ipſo limine attoniti, elingues, non priùs ſermonis uſum recuperabant, quàm in ſilentij remedium, obductis palpebris, aut pallio caput amicti, domo illa exceſſiſſent. Nulla apud nos ejuſmodi ſaxa, quibus objectis retundi poſſit, mulierum de Theologia diſputantium importuna loquacitas; & in ipſo certè admirationis delubro verboſæ exiſterent, ſi ſtaret adhuc ædes illa, cujus intuitu, viri magis, ut exiſtimo, quàm fœminæ tacebant. Una ergo ſilentii ſpes, ſi ſemper loqui ſinantur, quæ nunquam ſatis judicio ſuo; ipſo enim verborum perpetuo curſu, laſſabitur ſexus ille qui ex ratione & reverentia dignioris tacere nequit. At non ſemper loqui permittes, ſi cum illo diſputationem

ineas, quæ non minus ſilentio quàm verbis conſtat; ut ordine quodam juſtitiæ, & alterna veluti patientia, reſpondentis fiat auditor, ille ipſe, cui aggrediendi conceſſa eſt facultas.

Ubi rupes concavæ & reddendæ voci idoneæ ſunt, Echo provocata iterat ſonos, & ultima verba victrix concipit, ne prior videatur conticuiſſe. Sapienter verò, hanc olim fuiſſe puellam Poëtæ finxerunt, quæ cùm ardenter amaret, non redamata, morbo contabeſcens, ita in ſaxum converſa eſt, ut tamen adhuc laceſſita loqueretur; nec ante ſileret, quondam fœmina, quam ille, qui ad colloquium verboſam invitaſſet. Vis ut ſileat Echo, tu ſile, & tacentem cito habebis: ubi ſola eſt, non fatur, relinque illam ſibi: Et ex hoc agnoſce, quantus ſit Theologo labor cum muliere diſputare, quæ te diſſerente garriet non expectatura ordinem ſuum; & cùm quæſtioni finem, graviſſima concluſione dediſſe te ſperaveris, ſemper tamen inſtaurando certamini, inveniet linguax, quòd docenti reſpondeat.

Et ſupra fœminam te eſſe, in de conjicio, ô Elpi, quod hucusque cum poſſes ſexus tui te patronam exhibere, ſiluiſti. Laudo te, laudo te, minus enim illum quam ipſam veritatem amas, quæ etiam apud pictores virgo eſt, & fœminini generis apud *Grammaticos*, ut communione ſexus, illa vobis non diſpliceret, quæ ſæpius ore libero muliebres culpas perſtingit, atque exagitat. Audivi aliquando, retulit illa, virum caput eſſe ſuæ uxoris; & hoc apud Apoſtolum inveniri, nuper quidam ajebat Eccleſi-

astes : ne ergo mirere, me nihil loqui : caput meum Artemius silet, avidus sermonum tuorum auditor, neque fas est sub capite muto corpus esse vocale Artemius ad hæc non sibi temperans, & præ gaudio exiliens, assurgenti uxori manum porrexit ; erm sibi semper virtutibus eximiis placuisse testatus, hodieque magis, in communi sexus sui causa, voluntario silentio.

Tum sedatâ lætitiâ, cæteris quæ à se expectari voluerat Marcellinus, auris data est. Quibus buccinis incitatæ sint ad Martem mulieres, jam scitis inquit ; nunc de armis loquamur, quibus vel contectæ excipiunt hostium ictus ; vel formidolosæ adversarios suos insequuntur & feriunt. Sed antequam sermo procedat, unum monebo, risum compescite, amici, nam fortassis occurret. Quantum scientia emineat supra cæteros doctores, S. Augustin, ignorat nemo, humanam mensuram propè excessit ingenium illud, sæpè ea vi de rebus divinis differens, quæ stuporem magis, quam dilucidam, ab eo conceptæ veritatis cognitionem legentibus relinquit. Si aliquis in Ecclesia Atlas est, Augustinus certè, qui maximarum quæstionum pondus, indefessis tulit humeris, & ea mentis altitudine fuit, quæ proxima cœlo puriori luce fruitur.

In plurimis Quæstionibus quas iurgiorum ferax ætas celeberrimo doctori dissolvendas proposuit, Eminentissimus ille Genius, non servato gressuum humanorum modo, exultavit ut gigas ad currendam viam, & tanta spatia citus absoluit, ut ipse advertens cur-

sum

ſum ſuum dixerit aliquando, Quid ad me ſi quis non intelligat; ex conſcientia admonitio: acutiſſimi enim authoris tanta ſæpè eſt ſubtilitas, ut jure habeatur à multis pro oraculo: nam & digna eſt quam omnes ſuſpiciant, & adeò diverſos intellectus parit, verbis illius utor, ut qui literati opinionibus non conveniunt, æquali audacia, Auguſtinum ſibi vendicent.

Armis ſuis dum viveret ille, mira certamina edidit, uſum enim illorum noverat; & in quos hoſtes potiſſimum valerent probe ſciens, tanta prudentia iis tegebatur, tanta iisdem hoſtes urgebat, ut nec in ſe locum vulneri daret, nec fruſtratis umquam ictibus feriret Chriſtianæ veritatis inimicos. Illo poſt multiplices lauros ſublato, nobis tanquam hæredibus arma ceſſerunt? & his fœliciter, eruditi inter nos viri pugnant, qui altitudine licet ſua ſublimem Auguſtinum minimè æquent, non omnino tamen diſpari mole ſupra cæteros eminentes digniſſimo oneri ſuccedunt, & ubi opus eſt, bellant.

Quis riſum teneat, ſi cogitet noſtræ tempeſtatis mulieres, Auguſtini ſpoliis indutas, ad pugnam procedere? non iis fortiores evadunt fœminæ, ſed inceſſu graviores, & pondere ipſo, adeò debilitatæ, ut inter ſudorem anhelantiumque ſuſpiria, oſſa crepent, ſub Auguſtini ingentibus armis certare volentium. Pygmæos equidem mihi videre videor, dormiente Hercule, clavam viri fortis, vano conatu, non plus loco moventes, quàm ſi alta quædam pinus illa fuiſſet, aut affixa ſolo rupes.

pes. Quid tibi cum hasta Augustini, mulier? abjectam trahis, non gestas; quid tibi cum ense, cujus capulum pusillæ manus, molles articuli vix sine pellis attritu tangent, & ambire prorsus nequeunt? Augustini cassis totum caput tuum cum humeris absorbet, dimicantem celat, solaque incedere arma, quisquis te videt, credit, cum ad pugnam festinas.

Verè, sine charitate Theologi qui talibus vos subsidiis auctas perire voluerunt. Levis armatura multo vobis convenientior, qualis apud Poëtam, Deæ amorum, quę erranti Ænęę, viam concinnavit.

Virginis os habitumque gerens & virginis arma. Ponderosiora ne sumite, quam quę puer Cupido gestare consuevit: tenero exercitui, arcus & sagitta suffecerint; sed plurimis pharetrę usum vetula ętas ademit. O vos dementes, si fortioribus prœliis miscemini, postquam rugosas & contemptas, exarmavit senectus. Ad hoc ergo Augustini arma sumuntur, quia jam non conceditur levioribus uti: & in illas turmas rejectæ estis, quas emeritas jure dixerimus, cum prementibus annis gravescant, & neminem, imbecilles, ferire possint?

Festivam insultationem geminavit ipse Artemius. Ludentem, inquit, cum sua Roxana Alexandrum Apelles pinxit, & ne tunc quoque otiosa essent principis arma, cincinnatos Cupidines iis indutos tam venustè exhibuit, ut qui conspiceret tabulam vix à risu temperaret; grandes ocreas bini intraverant, & plures in lorica, velut in propugnaculo, assilientes cęteros in ea admitti, ita prohibere videbantur,

bantur, ut ſpeciem obſeſſæ urbis referrent; Auguſtiniana arma ampliora multò ſunt iis quibus Alexander induebatur; non implentur niſi vaſtis ingeniis: tota locet mulierum cohors in ea intromittatur, recipiendis aliis ſemper dabitur locus, & vacuum reſtabit. Sed placet à te audire, ô Marcelline, quod pollicitus es, quis ridicularum legionum ſucceſſus, quibus victoriis inſignes illæ fuerint? Idem fecere, inquit ille, quod olim Sybariticus exercitus. Ea gens adeò deliciis fracta, ut nec equos generoſos apud ſe pateretur; bello enim natos ita ad muſicæ concentum moveri docebant, ut ſi aliquando prælium urgeret, non in hoſtes furioſi irruerent, ſed tibiarum ſuarum memores, ſaltarent belliſſimè. Non fœlicior novarum Amazonum acies; pugnaverunt illæ quidem, etiam in eruditos, ut ajunt, ſed eo veſtigiorum tenore quo moventur ad fides; adeò concinnè, blandulè, ut numquam ſylvæ venuſtiùs, cùm relicto patrio ſolo trahentem Orpheum ſequerentur. Non illæ itaque metum incuſſerunt hoſtibus ſuis, verùm jucunda quâdam miſeratione, eos omnes affecere in quos pugnatum eſt, ut dubium ſit, plus miſericordiæ quàm riſus, cùm ferox voluit videri, ſexus ille excitarit.

Prima, ut fertur, Clælia maritum ſuum bonæ indolis hominem docuit, quid de Religione ſentire deberet, quid loqui; ille parere ſolitus, ne tunc quidem oſtendit ſe virum; indignantique amico quòd à muliere oraculum peteret, reſpondit, certiora à fœminis olim

olim reddita; Socratem, Diotimam audivisse nullâ virilis Philosophiæ verecundiâ; & Sybillas, recepto Deo, habitas ipsis sacerdotibus doctiores. Pauci istius exemplo uxoribus suis se in disciplinam tradidere: plures quòd tumultum garrientium ferre non possent, silentium imperaverunt. Mitiores aliqui audaciam illam perditæ mentis morbum esse existimantes, consuluere medicos, qui omnes purgandum cerebrum censuerunt, ab iisque omnino libris abstinendum qui furiosas effecissent.

Apud Romanos sæviente olim pestilentia, ut faciliùs cadavera virorum, cùm iis justa persolvebant, flamma corriperet, excelsis functorum aggeribus aliquot etiam mulierum corpora miscere mos erat, quòd pinguia magis & nutriendis ignibus aptiora, nec nisi lentissimè absque fœminis, sexus alter cremaretur. Aliquos qui cùm novæ opinionis mulierculis familiares sermones conferre assueverunt, illo igne ustos non negaverim; muliebris enim flamma, rapida, acris, & in viros quosque frigidiores, ni recedant, citò transiliens; sed de istis ignobilis prorsus victoria, qui jam noxio amore flagrantes, ne gelidi apparerent, novo incendio ardere voluerunt.

Finierat ille, cùm ego hæc: Iste sæculi Genius est, ô Marcelline, ut jam ex sermone mulieres à viris non dignoscantur. Nam Theologicas veritates tractare gestiunt, citant Patres, viris suis, ancillis suis, ut tu sapienter dixisti. Verùm quidem, ait Marcellinus, citant,

tant, sed ita improbè, ut sexus ambiguitatem tollant omninò; nam nec ad rem, nec sine Patrum injuria, quorum sensa non capiunt; quidquid attrectant sive Bibliorum, sive veterum authorum, qui de rebus sacris eruditissimè scripsere, inficiunt aut dilacerant inscitia sua, ut semper, cum doctrina excultæ volunt videri, sint mulieres.

VIRORUM FORTIUM NOVA SPECIES, QUIBUS PROVIRTUTE IMPIETAS.

SEXTA DISSERTATIO.

CLINIAS à Leontio acceperat, libris mihi omnino interdictum, ut somnus qui pertinaci lectione, & intemperanti pervigilio exulaverat, remissionibus, & inerti quadam laborum pœnitentia revocaretur avelli à libris, cùm in illos charitas est, crucem sciebant, & acerbius morbo quem levare eâ abstinentiâ velis, remedium. Ideo miserebantur, interdumque dicebant, abstinentissimæ vitæ mihi authores esse Medicos, qui avido literarum animo omnia penè alimenta prohibuissent. Et ne inutilis mihi esset eorum humanitas, placuit honestissimis viris me invisere, ut mutuis colloquiis leniretur dolor

dolor ille animi, & otii verecundia; assueto enim laboribus ingenio, laxamentum, jubentibus licet Medicis, turpe videtur si nimium, nec facile apud operosos excusatur necessaria vacatio.

Accidit, ut cùm ipsi fores pulsarent, eâdem viâ transiret Isacius, Cliniæ notus, non mihi aut Leontio, sed ex amicorum relatione, mei videndi cupidus, & de quo etiam vicissim multa audiveram, quæ mutuæ consuetudinis desiderium fecerant. Ergo non multum rogatus, cùm cæteris intravit, urbanè excusans quòd authore & duce Clinia, tenasset suâ audaciâ patientiam meam. Non multa certè est, inquio, Isaci, nam ad Medicorum imperium penè deficit: verùm non tu inter remedia illa numerandus es, quæ cùm crudeliter prosint, iure timentur; dulciùs amicorum doloribus mederis, & mihi fœlicitatis maxima erit accessio, si me quoque inter cæteros admittes.

Infirmo jucundum de eâ qua affictatur invaletudine alios loqui, illam enim non contemni inde agnoscit, quòd cæteris curæ est, & digna videtur de qua amici doleant. Clinias mensam sine libris advertens, refertamque varii coloris liquoribus; Hæc sunt, (inquit) Firmiane librorum antidota? non ea facilitate istas potiones hauries, qua venena sumpsisti. Quàm miserabile supplicia sumi, non de sceleribus, sed de studiis, ipsamque, post nobilissimos labores, vapulare diligentiam!

Quodlibet peccatum habet pedissequam pœnam suam (hoc ab Augustino didici) & justum

justum quidem, ut reus admisso in DEUM crimine, vel mœrore ingemiscat, vel cœcitate non doleat. Pœna duplex, nec timeri æque digna, illa enim multo atrocior, quæ non sentitur, nec lacrymas movet. Hoc providentiæ divinæ sanctissimus ordo postulat, ut singulis sceleribus sit veluti tortor præsentaneus, aut nox animæ, aut dolor. Sed in Hippocratem peccasse, quid tam magnum est., ut puniri statim mereatur tristissimæ artis contemptus, & in evolvendis libris non sobrius labor? jam omnes tibi prohibentur, quasi Sybillæ essent, & Senatus edicto prohiberere, scrutari ex eis Imperii, aut Principum fata.

Ad hæc ego, Amico indulges, Clinia, in Hippocratem simul, & ipsam naturam peccasse me non diffiteor; ea jam infirma est in singulis hominibus, neque nimio labore sollicitanda; & hoc advertere debui, ne in ejus offensam extenderem voluptatem studiorum. Corpora olim robustiora, longiorem operam menti præstabant, & ideò fortè doctiores evaserunt, qui prioribus sæculis scientias coluere, quàm qui postremo ævo nati, acceperunt ultima corporum cœlestium veluti dona, & fatiscentis naturæ reliquias.

Credis ergo, ait Clinias, ô Firmiane, à corporum statu derivari vim illam aut tarditatem mentis, quæ nos ad literas vocat, aut amovet à studiis? & ideò fortiora fuisse avórum nostrorum ingenia, quia validior caro, officiorum patientior erat, & ad ingentes conatus sufficiebat? sed non quilibet tecum senserit. Etenim Aristoteles ipse, quem naturæ

Genium vocant, debilis, parvus, &, ut ſecretius lateret magnitudo illa animi, quâ præcepta vivendi privatis hominibus, imperiis leges dedit, etiam gibboſus & balbutiens. Stupendum planè quod legi; nempe Academiam, (locus erat umbroſus ab Athenis mille paſſus diſtans) Platoni habitatam, quia inſalubris non parum conferebat adſtudium Philiſophiæ, quæ robuſtos artus faſtidit, nec niſi vi, & prolixâ patientiâ, in vegetâ carne poteſtatem ſuam exercet.

Divinorum contemplatio ultimus eſt animæ niſus, illi tamen corporeá imbecillitas adeò conſentit, ut nunquam fortius ſe à mortalibus ſancti eximant, quàm cum deliquium patiuntur, ſolaque illis reſtat ſub imagine mortis, debilis & anhelans reſpiratio.

Nullus penè homo qui non aliquâ ſui parte laboret; aut corpus titubat aut ingenium; quæcumque dat natura, latè ſpargit; ut non in ſingulos ea omnia cadant, quæ integram fœlicitatem conſtituunt; ſed in illâ diſpertitæ paupertatis neceſſitate, maxima plerumque eſt conſolatio, iis quibus negatum eſt corporis robur, ingenio valere & prudentia, ſcientiis frui.

Theocritum noviſti ſaltem ex nomine, quis illo imbecillior, ſi corpus ſpectas? quis fortior, ſi animum? jam multum tempus eſt, ex quo podagrâ laborat, & lentâ febri conficitur; in eo tamen ſtatu admirationi eſt omnibus; nam ſtatim acquievit dolor, qui loquendi poteſtatem non fecerat, mira pronunciat æger homo, & languidus, ut ſcias in ja-

cente corpore erigi ſapientiam, non ſterni. Pari majeſtate Auguſtus Cæſar cùm morbo detinebatur, & negotia urgebant, jura dabat ex lectulo. Unus mihi dolor, Theocritum non aliter noſſe quàm ex egregiæ fortitudinis fama, & ſtupore eorum qui ab oraculo iſto ad nos redeunt.

Ita Clinias, cui ego jam alia animo volvens quàm ea à quibus ſermo inceperat; Non optimam cauſam, optimè agis Clinia: ſed quæcumque protuliſti liceat tibi credere: illud certè haud præteribo, peſſimo exemplo ſtabiliri non poſſe tuam doctrinam. Theocritum dicis virum ſtrenuum: Deus bone! ſi hoc titulo juſtè inſignitur, & vos, Poëtæ veteres, juſti fuiſtis, qui Acherontis & noctis filias, ſtygias canes, appellaſtis Eumenides, id eſt benevolas, cùm aliter gratioſæ non ſint, quam tædis & ſerpentibus.

Vir iſte ex illis eſt, qui pietati bellum indixere, nec aliam habent ſapientiam, quam quæ mentes infatuat. Ignoras forſitan, Clinia, ſectam hodie inveniri, quæ profeſſa impietate Biblia ſacra pro fabulis habet, neque tantum ſecretò abiicit, ſed publicè deridet, ejurat Evangelium?

Ad hæc cum ſtuperet Clinias, diceretque, quòd ſi leges ſilent in tanta numinis injuria, neque in ſceleratos armatur poteſtas, non videre ſe, cur potius Iudæi regno pellantur quàm iſtud hominum genus, quod eadem audacia Chriſtum tollit & Moyſem. Ne mireris, inquio, Clinia, hæc magiſtratuum noſtrorum patientia, ut numquam exardeſcant

niſ

nisi cùm Rex aut publica quies lęditur. Pestem istam non probant, absit, vellent certe extingui, sed expectant, donec ipsa sponte deșeviat; ut nemo de clementia illorum dubitet, cum viderit securam sub testium, & persæpè, sub judicum oculis impietatem: non magistratibus curę est, quàm bonis Principes nostri; sed quàm subditis regnent.

Ut autem scias, Clinia, me non immeritò de impietate illa queri, Leontium interroga, Theocritum novit; si virum retegat, non sine maxima vultus tui mutatione, quę narrabit percipies. Tum Leontius non expectata Clinię percontatione: Libenter, ait, repetam, quæ certissima esse scio & doleo: licet enim ad audacissimę impietatis memoriam renovetur indignatio quædam & mœstitia animi, juvat tamen venena prodere, ne incautis noceant.

Theocritus iste eximius habetur à plurimis multumque ad famam quod literis creditur instructissimus; si qua tamen mihi fides est, infœlices eas habuit, & parcissimas; multum equidem loquitur imperitorum more, neque deest in verba effuso, beata illa garrulitas, quę vacua licet rebus, aures tamen delinit jucunda fluentique inanitate. Memoria illi non omninò infelix; si quę nesciat, multa autem nescit, an alia divertendi quorum peritior videri potest, tanta hominis ars, ut etiam ii, qui propius virum novere, & declinandis insidiis sunt intentiores, vix à quæstionibus quas fugitat ille, sentiant se avelli.

Cujusdam Charondę libro mirificè affixus

xus eſt, nec minori diligentia pervolvit Navinum, cæteroſque authores, qui non denuntiato odio, ſed improbo marte, & inſidiis Chriſtianam Religionem adoriuntur. Horum lectione, primum frigidiſſimus effectus eſt ad res fidei; non multò poſt, Chriſtianus nutans, nec obſcurè ambiguus, ita ut quid profiteretur nemo ſciret; nec ipſe quoque. Tandem quod inchoaverant libri, abſolvit perditiſſimorum hominum convictus, & inter vina liberior impietas. Quid jam ſentiat, quid etiam frequentiſſimè loquatur, referam.

Omnes omninò Religiones ex opinione eſſe indubiè putat, & Principum induſtria in ſubſidium legum inductas, ut mortales, quibus præceps ad noxia impetus, ſi, aut ratione ipſa, aut reorum certiſſimis pœnis, ad rectam vivendi normam cogi non poſſent, ſaltem Numinis timore coërcerentur.

Et illud conſtantiſſimè tenet; nullam actionem altera honeſtiorem eſſe, niſi ex delirio opinionis, quæ in variis gentibus diverſiſſima eſt, & cameleonte inſtabilior, quod in una regione damnat, in cæteris abſolvit. Pudorem qui ad turpia non erubeſcit modò, ſed & pavet ſapientiſſimè, vano timore concuti, nihil enim turpe, niſi quod fœdum eadem cenſuit opinio, à qua & caſtitas ſuum pretium accepit, ex difficultate magis, quàm ex merito ſuo commendata; ita quippe hominum ingeniis facilia quælibet deſpicientibus, ut illud tantum mirentur, & diuinum putent, quod arduum.

Quid impudentius? quid impurius? quàm

quàm quod audiente me ſtolidiſſimus vir nuper effutiit? emittendi cujuslibet humoris æqualem facultatem à natura eſſe conceſſam, nullumque ſanctius retineri, quàm ſi homo triſtitia gravis, ipſa tamen obſtinatior, à lacrymis abſtineret.

Illud quoque frequenter commemorat, fidem Chriſtianam, non infuſam à Deo mentibus fidelium, ſed à parentibus merè traditam, & beneficio loci, in quo receptum eſt Evangelium, illam doctrinam ad nos perveniſſe, quam cæteris ſanctiorem æſtimamus.

Conjugij vinculum durius eſſe quam quod ſapiens ferre poſſit aut debeat, nec niſi contractu civili conſtare ſervitutem illam qua coacta cupiditas, veluti in dolio vinum effervens, tumultuatur & latius quærit effundi. Hæc inter plurima ejusdem notæ à ſuo Charonda accepit, qui ſub ſapientis nomine inſaniens, meruit aliquando eos habere cenſores, quos Rex non doctrinæ, ſed negotiorum arbitros creat.

Veteratorem magiſtrum ſuperavit diſcipulus Theocritus, ſenſim ad illam impietatem adductus, ut opinetur, extra mortalem hanc vitam nihil omnino ſperandum aut metuendum eſſe; animas enim hominum, non minus quam brutorum interire, neque transferri, ut docet fides, ſed finiri: quia licet multò ſubtilior ſit anima humana cæteris ratione carentibus atque nobilior, materialis tamen exiſtimanda eſt, ſive illam dicas flammam tenuem, ut ex calore; ſimillimum aëri ſpiritum, ut ex flatu poteſt conjici, aut denique,

elementorum concordiam, quæ tamdiu durat, quamdiu componendæ huic harmoniæ ſtudent, remiſſis ad mutuam pacem qualitatibus, illumque ordinem ſervant cujus effectus vita eſt.

Quid plura? Religionem autumat utiliſſimam generi humano fabulam, quæ continendæ plebi inventa, hoc ſolum à ſapiente obtinet, ut facietenus patiatur ſe Chriſtianum haberi, de cætero liber, & ea quę populus ſtultiſſimè facit, ſapienter ipſe facturus, tanquam legibus juſſa, non tanquam Deo grata.

Verè ſtultiſſimum virum nobis exhibes, inquit Clinias, jam apud me totam famam amiſit; illene Theocritus qui omnium ore celebratur ut fortis, qui tot præconiorum materies? ille retulit Leontius; ſed quia jubente Firmiano viri effigiem delineavi, nec alii reſtant colores, quibus expreſſior fiat teterrimi monſtri figura, ſilentium faciam, contentus ampliſſimę diſputationis campum eâ narratione, prudentioribus & doctioribus aperuiſſe.

Iſacius eâ uſus reverentiâ quæ recentem amicitiam decebat, & in primo quoque congreſſu adhibenda eſt, multa cogitans nihil tamen dicebat, expectabatque donec rogaretur ea loqui, quę in rem ſuggereret multiplex ejus eruditio, & eloquii facilitas. Non ſolidis tantum, ſed ſpecioſis quoque literis ſtuduerat, multum averſatus pulverulentam illam Philoſophiam, quam ex ruditate & ſordibus plures æſtimant. Quid de fortitudine animi ſentiret

tiret homo eruditus, audire cupiebam, ut ab eo acceptis regulis, deinde una quæreremus, an novis fortibus illæ possent aptari.

Leontius eadem animo versabat; & primus cum urbanam illam Isacii taciturnitatem laudando accusasset, quasi noxiam cæteris qui ab eo aliqua discere summopere optabant; in id argumentum rogavit sententiam, nec difficulter elicuit, sic enim mox Isacius.

Fortis, ut opinor, ille existimandus est qui adversis non frangitur, neque voluptatibus mollescit, rupi similis, quam nec frequens ventorum rabies, nec fremens unda, è sedibus suis transfert; quicquid enim contra virum fortem sæviet, frustrato impetu hebescet statim, & victorem suum mirabitur: fortis est, qui cum pari, non cum imbecilliore pugnam init, & quia sibi par, plus quàm alteri, quilibet homo, ille in æquissimum certamen descendit, maximamque fortitudinis laudem usurpat, qui se ipsum vincit strenuus hostis, non ad iram ferox, sed ad rationis imperium, pulsatæque virtutis incitamentum: hoc classico ad prælium ex pace vocatus, toties in seipsum armatur, quoties ex passionibus aliqua, ordinem turbat & insurgit in animum. Fortem dixero, qui amori non obtemperat, libertatis suæ vindex: qui, ubi trepidant omnes, suprà timorem est; nec vanâ spe fertur in ea, quorum expectatio pendentem animum discruciat, omnemque præsentibus bonis gustum adimit futurorum æstimatione, quæ & in incerto jacent, & an-

loris facessunt, quàm possessa poslint dare solatii.

Absit igitur, inquio, Isaci, ut fortes existimemus eos, in quibus illa vis animi adeo flaccessit, ut ad vitiorum imperium ne quidem reclamans serviat. Convitio, sibilis, explodenda est ista fortitudo, cui nihil prorsus reliqueris, si nomen detrahas & insaniam.

Cùm audis fortes animos, hodie vigere in Galliis, an non continuò in mentem veniunt Philosophi acres, strenui, ex eorum schola, in quos nullum voluptatis fortunæve imperium? certè titulus hic Stoicum sonat, magnum aliquid expecto, dignumque quod suspiciant cæteri mortales, queis tanquam abjectioribus se non exhibuit, conscia dignitatis suæ, grandis hæc & vehemens Philosophia. Ridiculi mures, ut ajunt, montium parturientium fœtus, & tanti nominis germana significatio, malè sana mens obstinata impietas. Quis credat fortes illos, notæ imbecillitatis homines esse, & magnâ ex parte, venustulos, cincinnatos, propè mulieres, quibus obstetricem jure dederis, si parituros ex alvo & ex veste constaret?

Sex solum fuisse in Græciâ sapientes verior narrat historia; septimum, Periandrum, non proborum suffragiis, non Apollinis voce, sacro numero adscriptum, illud imperio effecisse, Princeps enim erat, ut sapiens diceretur, sparsis de virtute sententiis, quas jussa plebs tanquam ab oraculo susciperet. Hanc à timidis hominibus contumeliam passa est sapientia ut tyrannum, qui etiam in liberrimas mentes

erat

erat violentus, declararent ſapientem: non æquiori titulo fortes dicuntur viri iſti, qui voluptatibus diffluunt, qui inter fœminarum greges, ad arbitrium inſolentisſimi ſexus rident, ſuſpirant, mirantur, ſpadonibus eviratiores; nec aliud quo fortitudinis fidem faciant miſeri habent; præter illam duritatem mentis, quâ impii ſunt in Deum, & hominibus inviſi.

Glorioſè Sicilia Ttanes ſuos jactat, neque enim quod de illis narratur, falſum omnino eſt. Tulit ea terra Gigantes immenſæ proceritatis; hodiéque de corporum mole dubitantibus, reliquias immanes monſtrat hæc ætas, ut non ſola fama aut Poëtarum commentis, ſed & incolarum fortitudine terribilem olim fuiſſe inſulam, demirans poſteritas agnoſcat. Gallia noſtra longe aliter virorum fortium regio eſt; ab his enim non illi gloria ſed probrum; neque turpius infamari poteſt terra infœlix, ubi tot portenta edita ſunt, quàm ſi probet ſe illa genuiſſe.

Hæc ego quidem: ſed ferè patronum habuit mendax fortitudo. Dulcidium, qui ultimus advénerat, virum facilem & gratiæ obnoxium, quoties eo teſte, vel judice cauſa reorum agebatur; ſic enim ille ad benigniora propendens.

Paucos invenias, qui hoc fortitudinis caractere inſignes ſint, cujus meminit Iſacius: & certè multo faciliùs eſt deſcribere virum fortem, quàm oſtendere. Rarum opus, nec unionibus frequentius, quos in amplisſimo

mari

mari insolenter creat natura, in quotidianis operibus negligentior, nec ad ambitionem dives. Meo tamen judicio, sufficiet ô Firmiane, ut quis inter viros fortes recenseatur, si ex ratione sit ad aliqua eorum intrepidus, ad quæ non fortia nutant, cadunt, ac vulgaris quæque constantia labefactatur. Et homines isti forsitan, quos pro imbecillis habemus, non adeo molles sunt, ut aliquid in illis non deprehendatur, quod robustæ virtuti decorum sit, & sapienti conveniens. Credibile ne est, fortes illos qui velut heroës, thure sibi supplicari desiderant, nihil habere omninò fortitudinis illius, cujus nomen cum tanto supercilio suum fecere?

Interposito silentio morula fuit, quasi ego cæterique aliquid quæreremus in miserorum patrocinium; moxque Isacius capitis motu inutilem laborem confessus. Quid frustra fortitudinis notas in perditissimis viris investigamus, inquit, totum quod in illis videtur, mollities est, & abiectio animi.

Aliquos in aula vidistis ex istorum fortium nova speciè? quid non timent, quid non sperant? certè in transtris fœliciorem vitam agunt, ex scelere non ex liberate remiges, quàm isti quos spontaneæ se:vituti addictos, damnat spes improba opum, distentosque vanis cogitationibus cruciat ambitio ventosa; non suis tantum malis, verum & aliena felicitate premuntur, quicquid alteri concessum est principis benevolentia, sibi ablatum existimantes, nunquam sine dolore, quia nunquam absque zelotypia.

Quid

Quid dicam de insanis amoribus ? vinci se quotidie fatentur miserrimi amatores, nec sibi ad conspectum formæque oculis placuerit, satis superesse virum, ut seipsos à servitute eximant, quam gratissimam inducit oblata pulchritudo. Ab vultu, ab oculis, quos depereunt, crudeliter pendentes inter spem desperationemque medios videbis, toties mutata facie, quoties vel arriserit propitia questibus mulier, vel aversa, severam se præbuerit. Si tamen aliquis ex istis, quorum nota est imbecillitas, religionem contemnat, nec ad divina prorsus moveatur, in hoc enim apud illos summa virtutis, si se perditum velit, ne aliquid ex voluptatibus pereat; si vitiorum, quæ aut prosunt, aut placent sectator constans est; Deique monentis, aut etiam minantis, audax contemptor, protinus fortis existimatur ab æqualibus suis, dignusque qui inter viros illustres locum habeat, quia nulla ei cum plebe communis opinio, cæterisque altior, quasi supernatans, infra se videt, quodcumque alii supra caput suum mirantur.

Quanta autem sit animi imbecillitas, nihil eorum credere quæ fides proponit, evidentissimè apparet cuilibet propius inspicienti. Illene fortis animus qui adeo carni mancipatus est, ut nihil credat, nisi quod retulerint sensus, ita falsitati obnoxii, ut videre te sæpissimè tibi persuadeas, quod omninò non vides, & audire quod non audis ? supra sensus ferri, ut ad veritatem, quæ illis altior, accessus fiat, maxima est fortitudo; sed

& certè præclarior, si supra rationem ipsam assurgas, ubi illa irrito labore ad confessionem sui adducta, & in ipso conatu deficiens, quid assequi non possis ejus viribus, fatetur tibi.

Quis fortior eo qui ad arbitrium suum flectitur, quique se jubet parere Deo jubenti, ut sui ipsius sit etiam aliquo modo lex, &, invita licet natura, fidei suæ, post Deum, assertor, ac minister pietatis?

Imbecilli quidem animi est, citò credere, & ad fabulas aniles moveri; sed quis fortem audeat dicere eum, qui tot sæculorum testimoniis; tot oraculis Patrum; tot in fidei reverentiam, perpetratis mirabilibus, se durum præbet; unamque stupenti mundo, conversoque per Evangelium, objicit, qua sola potens est suspiciosus ad omnia animus, nec ideo capax veri, diffidentiam.

O quos fortes habemus! tales in abjectissimo vulgo reperias, qui non legum, non famæ reverentia, non suppliciorum timore recenti, naturæ lascivientis, aut etiam ferocientis, impetu ita rapiuntur, ut nihil ab adulterio, nihil à cædibus retrahat, si illorum est potestas. Fortes tamen non illos dixeris, quia non timent, quia quod scelerate voluerant, id sceleratius effecere, sed ad rationem stupidos, furentesque, quibus non alia vis est, quàm ea qua domantur ipsi, & in perniciem suam valent.

Non fortitudo animi impios facit, sed vitæ diffluentis libertas; quæ quid expectare à Deo vindice debeat, fide admonita, monito-

rem suum exturbare totis viribus nititur, ut nullo obstante sit ad delicias rapidior cursus, nec anima ad conceptos alterius vitæ pavores ferè semper moderatior, patiatur diutius importunam pietatem.

Non argumentis adducuntur impii ut non credant, sed sensibus, quos religione fortiores facit tandem stupiditas mentis & parendi consuetudo. Dulce est perditis cogitare nullum post hanc vitam esse tribunal, cujus timenda severitas. Vidi sæviente tempestate hominem quemdam qui acriter oculos claudebat, ne fluctuum minas intueretur, idem de auribus sine dubio facturus, ut sibi inter tot audientes, irati maris fragor obtunderetur, si tam facile spontanea surditas quàm cæcitas comparari potuisset. Pone perituram navim qua vehebamur omnes, ille ne minus, quàm cæteri, naufragus, qui parcens timori, naufragium suum aspicere noluerat? idem & de impiis istis credite, non ideo illorum sors melior, quia inferos non vident, & cum cæcitate sua pereunt.

Iam non paucos invenies, inquio, Isaci, qui ea arte sibi quamdam securitatis imaginem fecere, & in Theocriti opinionem non obscure concedentes, animam humanam credunt esse corpoream. Hoc inter plurima illorum dogmata præcipuum est audaciæ fundamentum, qua fortitudinis famam se consequi arbitrantur. Deum enim authorem naturæ non omninò abnuunt, ne veluti bruta quædam animalia existimentur mundum hunc incolere, cujus tanta est in probando

Deo efficacia, ut vel ipsa Barbararum gentium feritas, non sine Religione sub speluncis & frondibus, ducat ætatem.

Cum divini verbi opera sint ea omnia quæ sensu percipimus, æquum certè fuit ut verbi istius non obscuram omninò significationem præferrent & innato clamore originem suam testantia, ad authorem Deum respicere aberrantes mortalium mentes cogerent, à quo quidquid est, varia licet sit rerum creatarum eloquentia, scientiam habet vocis.

Solem intueri & Deum ignorare, qui splendidissimæ facis perpetuus rector, nusquam interruptâ successione, die tenebras claudit, tenebris diem, impossibile est. Lux enim illa, immobilem Deum stupenti mundo circumferens, ubique terrarum latere non sinit supremum numen: doctisque adeo radiis mentium caliginem absterget, ut Philosophorum velut Apostoli quidam dici non immeritò possint, quibus olim usi præceptoribus, Socrates, Plato, cæterique sapientes, ea cognoverunt de Deo quæ tum parcè, & quasi Catechumeno adhuc orbi exhibebantur in prælu-dium Evangelii.

Expedit certè nostræ tempestatis fortibus viris, Deum non omninò negare ne à Philosophis secernantur, quorum nomen tantopere ardent, ut quicquid stultum mente conceperint, quicquid religioni injurium nondubitent appellare Philosophiam. Hoc ergò fatentur, Deum esse; sed culparum in altera vita vindicem non credunt, cum nec vitam alteram norint & se brutis simillimos existiment,

quibus ſoluto corpore pereunt vniverſa.

Abſurdum Philoſophorum genus. Si animæ humanæ intereunt, audacter dicam, DEUS non eſt; nam ſi eſt, cur neceſſariò, & ex naturâ ſuâ juſtus, nec præmia habet nec ſupplicia, ut exacta iſtâ vitâ mortali, aut virtutem calamitoſam præmiaturus ſuſcipiat, aut ex merito caſtiget nequitiam fœlicem? ergo ſceleratis piiſque, poſt diverſiſſima opera, ſors erit eadem, ubi ex hac vita exceſſerint; & Deo omnia cernenti ſeruiſſe, non magis proderit religioſis hominibus, quàm ſi cæci cujuſdam numinis ad miniſtratione regeretur orbis, quod à ſacrilegis cultores ſuos, ſuique amantes non ſecerneret.

Si interit anima, belluis, quibus ad præſentia ſolum dolor eſt metusque, homo ipſe infœlicior, qui præteritorum recordatione conficitur, nec minori cruciamento futuros dolores in ſuam perniciem citat, tempora ipſa antevertens, ut priuſquam ſæviant quid ſævitura ſint, præcoci ærumna experiatur. Infœlix homo cui ratio in ſupplicium data eſt, nec conceſſum ut impunè ſupra belluas emineret ea parte qua ſe jactat cæteris animantibus præferendum!

Immortalitatis animorum præclariſſima certè argumenta quæ à ſummi Dei æquitate, hominiſque nobiliſſima natura ſumuntur, ait Leontius, ſed alia quoque ſunt, quæ virorum fortium ineptiſſimam de mortalitate animæ opinionem confutant, placet illa referre, ò Firmiane. Jam tuæ partes ſunt, in-

quio, Isacium manu indicans, nullus te meliùs pugnabit in insulsos sapientes & libenter Leontius, quæ à me postulat, à te accipiet.

Tum ille; Etiam dormientes testes habemus, inquit, qui vigilantibus non inutiliter accedent, & prçclarissimæ causæ suffragabuntur, quid enim? quod illis qui dormiunt sæpissimè contingit, ut feriante totâ illâ sensuum catervâ quæ investiganti animo servire consuevit, sit illis ingenium acutiùs? certè somnus quoddam lethi tentamentum est, & animam à corpore omninò secretam, posse existere & operari, ex hoc intelligi potest, quòd sapienter etiam cogitat, ubi somnus præludia mortis agens, effecit ut sibi reddita, nec jam alterius egens, ad summarum rerum contemplationē, sensibus corporeis non utatur.

Accedit illud multò fortius: quòd anima excellentissimum quodque objectum non reformidat, nec Metaphysicis, quorum lux splendidissima est, hebescit, sed perficitur. Vehementi sole solvitur oculorum acies; acutissimo sono læditur auris; & illud notum est, cadentis Nili fragoribus, eos omnes obsurdescere, qui illam terræ partem incolunt, quæ sub benignissimo fluvio sola vapulat; quasi culpæ quoddam genus esset, vidisse præcipitem. Quomodo igitur sensibilis anima, quæ fortioribus objectis delectatur, cùm quilibet sensus objecto proprio impar sit, nisi illud remissâ vi dulciter feriat, & sua quasi injuria soletur imbecillem potentiam?

Adde & hoc, ætate deficiunt; quælibet sensibilia, quòd non accidere animæ huma-

næ

næ oculatissima senum prudentia demonstrat, ut scias illam substantiam æternitati natam, quæ ipsismet adjuvatur, quibus mortalia atteruntur, & pereunt; nec tempus, cujus longo famulatu ad profundiora consilia tam salubriter utitur, ullum in eam dominium obtinere.

Deinde spiritales quasdam animæ dari actiones neque illi negant qui eam interitui obnoxiam esse contendunt, ut cùm intelligit vel divina, vel Deum, vel omninò seipsam; ad hoc enim opus, suis tantum potentiis utitur anima, fastidito rerum materialium concursu, ex se fœcunda, & sola tum notitiæ suæ parens. Sed quomodo spiritalium actionum sedes erit, atque principium anima, si corporea est, & ex consequenti dissolubilis, cum ejusdem esse naturæ oporteat, subjectum & actus qui in illo, & ab illo sunt, nec fluentibus rivis fons ipse qui aquas ministrat, possit esse deterior

An non immortalis anima, quæ perituris satiari non potest, cuiusque est ad æternitatem nisus, etiam cum se morituram existimavit? inde ardens illa parentum in liberos charitas, ut brevissimæ vitæ spatium quadam generationis arte, in posteris extendant; inde literarum, inde artium, supra quàm quod vitæ corporali necessariæ sunt, diligentia: ut ex operum dignitate in multa sæcula vivant, qui illa effecere, & admixti nascituris, vel laudatores habeant, vel invidos. Certè illud immortalitatis studium à natura est, quæ cum frustra nihil faciat, ipsa siti æternitatis ostendit eam posse expleri; & ex appetitu, ad spem nobilissimam provocat, igniculo illo tantam lucem nobis præferens

rens, ut nulla anima ſe morti obnoxiam credat, niſi quæ ſui omninò immemor, non advertit cupiditatem ſuam.

Calore non minus quàm ipſo ſplendore diurno percipitur vicinitas ſolis; & ille, de quo loquimur, naturalis ardor cunctis inſitus, æque ac rationis ipſius claritas, immortalitatem commendat; nec deterius profectò argumentum quod à voluntate, quam quod ab intellectu ſumitur, cum utraque poteſtas, natura duce, aut ad verum, cujus pulchritudine trahitur, viam quærat, aut ad ipſam æternitatem.

Sed fruſtra de iſtis prolixior ſermo haberetur apud homines Chriſtianos, & ſtrictim ea attigiſſe ſufficit, ubi nemo de immortalitate ſua dubitat; neque ea recenſuiſſem, niſi me loqui, eruditioris viri imperium coëgiſſet.

Quibus machinis dirui poſſit novorum fortium de mortalitate animæ ſententia, egregiè nos docuiſti Iſaci, ait Leontius, ſed placet audire quæ certiſſima accepi ab amico; ignota vobis loquar. Etiam impiæ fortitudinis, cujus mentionem fecimus, ſchola fuit. Urbem quæritis? ea eſt cui nomen ſeu à luto, ſeu à luce rectiſſimè impoſitum: nihil enim illa præclarius, ſi fortunarum, ſi munerum, ſi ædificiorum dignitatem ſpectes: nihil, ſi vias ipſas, lutulentius. An per ſucceſſores ſtet adhuc domus, illa ubi ex condicto perditi homines conveniebant, ad ſui doctoris percipiendam ſapientiam, mihi incertum; ſed de iis quæ acta ſunt, erumpente illa impietate, nec ſe adhuc luci committere auſa, licet

cet obſcurè acta ſunt, referentis probitas dubitare non ſinit.

Aves quædam ſunt quibus lumen inimicum, & cum cæteris quę ſole gaudent, nulla ſocietas; illis quoque ex colore & cantu cum tenebris affinitas aliqua, ceu conſenſio; ut non mirum ſit eas interdiu latebroſis tegi, & ad lumen pavere. Qui primi impietatis magiſtri in Gallia extiterunt, bubonum inſtar, nocte tantum congregabantur, ſibi ex conſcientia metuentes, & ea calliditate diſpenſantes impietatem ſuam, ut ſe nefaria docuiſſe, negare omnino poſſent, ſi vocarentur ad tribunal. Soli qui conſcij eſſent, intererant nocturnis conventibus; quia tamen neceſſarij tyrones, ne cito periret recens malum, cautè delecti inter novitatum amatores, ſub his conditionibus admittebantur, ut ſecreta res eſſet, neque differentem magiſtrum priùs viderent, quàm ejus argumentis convicti, faterentur verum eſſe quod ab eo audiviſſent. Expectata ideo nox, ut vir ille à quo totam fabulam accepi, non vulgaris ſapientiæ oracula mirabundus exciperet.

Et hæc loci diſpoſitio erat; in ampliſſimo cubiculo exilis lucerna noctem ita amovebat, ut non tota abſcederet; lunam eſſe putares, orbe imperfecto, vix inter denſiſſimas nubes pallida cornua proferentem, nec viatoribus ita conſulentem maligna luce, ut securè poſſent iter carpere. In cubiculo adeſſe non paucos plus ex veſtigiis ſe prementibus, quam ex aſpectu aut vario vocum tenore, tremens tyro agnovit. In loci ambitu cathedrę plures;

inter quas una remotior, tacentes exceperunt, ipse qui novus accedebat, amico monstrante, in una sellarum acquievit; mox ille qui locuturus secesserat, ubi nulla exigui luminis posset timeri proditio, de Deo & providentia ita disserere cœpit, ut non sine pietatis sensu audiretur ab eo, quem cæteri mox suum fore, præmaturo gaudio existimabant. Media pars horæ in iis quæ de Deo, de animarum immortalitate, de judicio futuro credimus, ferè consumpta est, nec argumentis quibus religio firmaretur, deerat illa quæ affectus movet orationis vehementia, ut nihil eorum, quæ pietatem quoquo modo mentibus humanis infundunt, sincerus homo, causam ipsius agens, de industria omisisse videretur.

Post hæc admirationi datus est locus, dictumque submurmurantibus suffragiis; quicquid veteres Patres, quicquid omnis Theologorum chorus in hoc argumentum solidioris doctrinæ adducerent, illo sermone comprehendi. Reddito silentio, vox eadem audita est, majora se verioraque habere professa quæ de Religione diceret; à commiseratione impius sermo incœpit. Pessimum servitutis genus illud esse quo animus humanus cogebatur incredibilia credere, & quæ sentienda essent de Deo, ita accipere à majoribus, ut nefas esset simplicissimæ ætatis pietatem, vel leviter, nimiæ credulitatis insimulare. Ita quemlibet hominem nasci, ut jus ad rationem habeat, nec fidei leges justè nobis imponi ab iis, qui ideo solum sapientiores existimantur, quia priores nati sunt.

Plura dixit in gratiam libertatis; addiditque politicam potestatem, quæ cohibendis sceleribus justissimè sævit, nimis indulgere opinioni, cùm liberæ mentis homines, & fortiori sapientia imbutos, eadem loqui imperat, quæ plebs pro certissimis tenet, ob id solùm quia tradita sunt, & audire consuevit.

Inde ad argumenta illa ventum est, quibus oppugnatam Religionem adversus impios tuemur; quæ ut dissolveret callidus homo, primum ratiunculis usus, quarum tota vis in gratia verborum & eloquentiæ imagine, sensim venit ad illas argutias, quibus olim Christana Religio apud dicaces infideles scurriliter traducebatur. Nihil nobis reverendum, nihi sanctum, quod non luderet urbanus Evangelij obtrectator, impietatem ideo salibus condiens, ut venenum, cujus horror esse posset, si solum, voluptatis societate ad gustum accedens, sumeretur fidentiùs. Sic exhilaratis animis ita postea disseruit de Christo, ut ipse Iulianus Apostata desertionis suæ crimen diluens, & Lucianus in Deum facetiis atrox, impietate vincerentur. Interea, per vices, auditorum risu incitabatur scenica viri eloquentia, laudem ex sacrilegio captans, & quàm placeret cochinnatione admonita, semper in progressu impudentior.

Finito sermone, qui propiores novitio homini fuerant, blandè petierunt, quid sibi de doctrina ista videretur; sed anxiè, nec ad expectationem satis respondebat, integræ adhuc conscientiæ minis prohibitus, ne tantæ impietati suffragaretur. Laudavit tamen vi-

ri

ri in dicendo copiam, seque dixit amico multum debere, qui viam sibi præjisset ad honestissimorum virorum congressum, & stupendę eruditionis arcana. Non placuit perplexa laudatio, verbis ea arte dispensatis, ut nescires eam ne doctrinam, monstrum diceret, an miraculum. Frigidius ergo noctivagi abierunt quam venerant, nec magistri facta est Epiphania, qui non nisi credentibus suum vultum exhibere solitus erat; ut & apud illum visio esset fidei merces.

Hæc mihi ab eo relata sunt, qui nocturnæ concioni interfuit, ita fœliciter mixtus nequissimis viris, ut deinceps religiosior esset, impietatis enim atrocitate commotus, & ex periculo prudentissimus effectus, ne nomen quidem virorum fortium, sine stomacho audiebat.

Illos cognovisse, doctrinam eorum refutasse est; inquit Clinias. Quam enim lucem speres à vespertilionibus istis, qui testem impietatum suarum solem metuunt, nec ignis ferent etiam in commodum suum extenuato, nisi posset extingui. Utinam, ait Isacius, eo adhuc timore comprimeretur impietas! quam faciles apud nos judices habeat pluries experta, jam didicit ipsas contemnere leges, &, quòd magis mirere, diem. Nuper vir religiosus, nomine Nicon, unum ex istis obvium habuit in itinere, qui ex veste Deo sacrum agnoscens, admotis equo calcaribus ut velociori cursu ad eum pergeret, mox ut potuit audiri; Et heus tu religiose, inquit, mene nosti? cùm ille negasset; Ego, retulit homo, Atrebatius

tius vocor, ea vi mentis famoſus quam vos impietatem appellatis; & vos miſeri, qui futuram vitam expectantes, præſentem damnatis, & à Deo, qui nusquam eſt, mercedem laborum præſtolamini. His dictis vir inſanus verſis habenis eodem quo venerat curſu, viæ, à qua deceſſerat, redditus eſt, ubi puer, qui illi erat à pedibus, non ſine riſu dominum operiebatur, ſciens nihil niſi fatuum effari potuiſſe.

Et hi Philoſophi dicuntur! abſit ut Philoſophia illos pro ſuis agnoſcat, quorum mores cænoſi penè extinxere rationem, quorum ſchola diffluentis Epicuri fex eſt, & lenocinantis voluptatis proſtibulum infame.

Nova certè mihi, ait Clinias, omnia hæc ſunt, quę de fortibus viris ſinguli dixiſtis, ordinatiori modo quam qui extra ſcholam inter colloquentes amicos ſervari conſuevit. Leontius enim illorum dogmata propoſuit in Theocrito; deinde an verè fortes ſint qui talia profitentur diſputatum eſt, excuſſumque falſiſſimum nomen, quo ſordidos mores molliſſimi viri contegunt. Argumentis poſtea, duce Firmiano, Iſacius ineptiſſimam ſectam inſequutus eſt, redditaque rationum vi, animæ humanæ immortalitas, quam ideo perditi homines negant, quia timent. Pulcherrimè concluſit omnia Leontius, ea narratione quæ impietatis cunas detexit, oſtenditque quam timidè naſcens proponeret, quod jam adulta profiteri non metuit.

Sed aliquid reſtat, ô Firmiane, quod à te audire exopto. Iamdiu eſt enim quod ſiles; An exiſtimas eos omnes qui fortium virorum

nomine comprehenduntur, illius impietatis reos esse, quæ Evangelium abiicit, & pro fabulis habet, quicquid Deo revelante novimus? sapienter quæris, inquio. Hic qui ab igne superiori, ad nos usque interiacet aër, unum quidem corpus est, sed diversissimæ regiones sunt quibus distinguitur: in supremâ enim fervidus aër, ad terrorem nutrit cometas, ostenditque mortalibus: in mediâ turbulentus, & fulminum non tantum via, sed sedes est; nisi mavis locum appellare simplicius; quomodo enim fulmen sedet, quòd si quiescat, jam non est fulmen, caret enim illo ardore, & motu, sine quo nec concipitur?

Infima regio mitioribus flammis infesta est; qui enim in ea ignes aliquando videntur, nullius calamitatis prænuntii sunt; ardore item carent languidi, hebetes, & si fulgeant, nec suâ etiam luce noxii essent improvidis viatoribus, nisi in eos homines inciderent, quibus infirmior mens, & pavere facilis ad insolitum spectaculum.

Vides Clinia, ut diversas omnino regiones unum corpus obtineat, sitque pro locorum varietate ardentius, & turbidius. Non absimilis novorum fortium secta, distinctos quasi tractus habet; omnes namque qui ab ea nominantur non æquali impietate scelesti sunt. Quicquid Patrum religio credendum proponit, aliqui ex illis merum commentum existimant, eâ caligine obtenebrati, ut Christum impudentissimè negent, quem in ipsa cruce morientem, sole refugo, concus-

sa

ſa terra, diſſilientibus monumentis, totus orbis agnovit. Et de iſtis egimus.

Alios videbis qui Religionem quidem admittunt, verùm non totam: ut amotis, quæ minus placent, partibus, appareat quam ſapienter Chriſtiani ſint, qui, ut ajunt, non cæco quodam impetu id omne amplectuntur, quod timida plebs, ut legem certiſſimam mentis, nullâ prævia diſquiſitione ſuſcipit, ingens piaculum putans ſeligere quod credas. Iſti tamen quia non ad Calvini, aut Lutheri mentem, ſed ad ſuam, inſaniunt, fœlicius, nomen ſortiti, viri fortes etiam appellantur, cum diu patimur Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, & qui profeſſo odio famoſi, ſub ducibus ſuis certant. Nihil enim intereſt utrum legionarius, an vagus miles patriæ infeſtus ſit, ut pro hoſte habeatur. Quiſquis deſertor, civibus ſuis, & publicæ ſecuritati nocet, etiamſi in nullius certæ factionis partes tranſeat, bellum regno indixit. Et ut quis hæreticus fiat, & inviſo nomine dignus, præceptor erroris non requiritur, quem olim damnaverit Eccleſia, cùm ad illud ſufficiat motu proprio, & domeſtica quadam ſententia aliquid de integritate fidei detraxiſſe, quæ niſi tota non manet.

Quid ſtultius quam per partes Religionem admittere, quæ ſi in aliquibus jure inſincera exiſtimatur, in cæteris quoque verior nullo modo putanda eſt, nec perjuri aliàs teſtis in quacumque cauſa recipienda authoritas!

Virginitati Religionem ſimillimam dixerim. Illa enim virtus nunquam partim

corrum-

corrumpitur, & partim servatur; toto dedecore ruit, aut toto honore invicta floret: eadem prorsus Religionis conditio, depravari nisi omnino non potest. Quid ergo, vir fortis, mediam quamdam in Catholica Ecclesia puritatem imaginatus, media etiam fide, aliquid probas, aliquid respuis, quasi tibi mendacio inserta veritas ab orthodoxis proponeretur?

An non Alchymiæ ineptus & infœlix labor, qui argentum purgaturus, id tantum efficit solertiâ suâ, ut vel edacibus aquis liquescat, vel ignis ardore ita solvatur, ut jam non recte metallum appellaveris, sed aut pretiosam lympham, inutilem licet ad necessarios tuæ fortunæ usus: aut divitem fumum, qui multæ expectationis materies, tandem per varios orbes, in se ipsum sæpè revolutus, & motu inani ultimas frustratæ spei delicias agens, deluso possessore evanescit?

Virorum fortium, qui Religionem se emendare existimant dum funditus delent, operosior non est sapientia. Divinus enim ille radius, cujus beneficio intellectus noster ea certissimè credit, quæ nec sensibus, nec ipsâ ratione argumentum sui faciunt, ille inquam radius, unus est, & ideo à Theologis, licet varia, & lentè etiam servato quodam temporum ordine prodeuntia, nobis exponat, non multiplex vocatur sed unica revelatio. Cum igitur unâ prorsus luce omnia nobis innotescant, quæ credentes ab infidelibus secernunt, si illam in uno doctrinæ cœlestis articulo non admittas, eadem animi pertinaciâ in cęteris excludes; nec alia, tanto lumine extincto, ti-

bi

bi jam fides ſupererit, quàm humana quædam de myſteriis, quorum reverentior fuiſti, exiſtimatio, & amiſſæ Religionis inane veſtigium.

In eo ſtatu planè deſinit homo eſſe Chriſtianus, cum integram fidem partium reſciſſione, incogitans licet, abnuat. Et quia Baptiſmi æterno charactere inſignitus, ubique circumfert prioris inſtituti notas; ſimilis eſt omnino urbibus illis, ita Dominos ex fortunæ ludo alternantibus, ut conſtantiſſimâ nomenclaturâ, quem prius ſub alio hero obtinuere, titulum ſervent.

Nequaquam animi, ſed morbi vis, ea eſt quæ Religionem penitus abſumit, & cum ingens ſuſtulerit bonum, tantâ infamiâ miſerrimi hominis cerebrum verſat, ut ipſe qui deſertor Evangelii infidelium turmis acceſſit, perfidiam ſuam ignoret. Quis adeo hębes, ut illuſtrari ſuam domum opinetur, eodem quo perit incendio, & inimicum lumen præferat dulciſſimæ nocti, cujus ſecura cæcitas?

Fortes iſti qui ſe cæteris ſplendidiores exiſtimant, ſtultiſſimum Calanum, qui ſe judice flammis dignus, ſe quoque carnifice coram Alexandro crematus eſt, videntur imitari; ſua enim luce pereunt. Fœlix ille, & inter ſapientes juſtiſſimè reponendus, cui ſufficit ea quæ toti Eccleſiæ conceditur à Deo claritas, cur enim uni non ſatis ſit, quòd cunctis ſatis?

Alij quidam ſub nomine virorum fortium, integrâ Religione ſe illa omnia credere profitentur quæ Catholici. Sed in uno non obſcurè inſaniunt: firmitatem enim mentis

autu-

autumant non pavere ad cœleſtes minas, & hanc addunt nequiſſimis voluptatibus audaciam, ut iratum Numen, non tantum videantur contemnere, ſed provocare. Iſti multum abſunt à vera ſapientia, cum illius ſit (Davide teſte) principium, timor, neque minus à laudabili fortitudine, quæ nusquam pericula ſubit, niſi per illa ſit neceſſarium iter ad gloriam, quæ his emi mereatur.

Mortem non timere, cæteraque quibus miſeri mortales infeſtantur vitæ incommoda, laudabile eſt; ubi enim metus nihil proficit, inhoneſtè admittitur, & ad inevitabile malum firmandus eſt animus, ut ſi feriri neceſſe ſit, ſaltem intrepidè ab immoto, gravique fato vulnus excipias: ſed æternæ damnationi cum utiliſſimè occurrat timor ille Religioſus, quicumque adverſus divinas comminationes mentem obfirmat, fatuus eſt; & fortitudinis nomen ineptiſſime uſurpat, audacia illa animi quæ offenſo Deo, & etiam ad obſequium juſtiſſimæ vindictæ ſuppliciis properantibus, nihil vereri ſe, neque aliud, quam quod turpiſſima voluptas inſuſurraverit, conſilium accepturam, impie jurat.

Quamquam ego exiſtimem ſceleratam impudentiam fingi potiùs ab jis qui Evangelium admittunt, quam aliqua deceptæ mentis inſania concipi; ut ſcilicet, palam contemptis quæ obſcœnæ vitæ parantur ſempiternis ignibus ad breviora pericula, variasque adverſæ fortunæ injurias, inconcuſſi habeantur, & quietis non precariæ conſtantiſſimi poſſeſſores, intrepidos tamen non eſſe, quælibet

obvia calamitas adeo ostendit, ut nemo dubitet fortitudinem illam, qua se immobiles jactitant, frontis esse non animi.

Hic Leontius, qui virorum fortium acta ex conversatione noverat, postulavit se audiri, habere se professus non injucundam narrationem, qua serios sermones intermixta festivitate condiret, nec displicuit, scientibus quidquid ille proferret ad sapientiam pertinere. Sic igitur, cæteris sereniori vultu jam in eum intuentibus, Non commentum, inquit, exponam vobis, sed nostræ ætatis lepidissimam historiam.

Cromatius quidam fuit in notissima urbe, vir non ultimæ nobilitatis; hic ex Seneca omnibus instructus sententiis, quibus fortis videri posset, stoicum etiam vultum induerat, ut severum omnino crederes, nisi cùm dempta persona, inter paucos, talem se secretus exhibebat, qualem natura finxerat, mobilem, &, supra quam credibile est, effœminatum. Inter fortes tamen censebatur præcipuus, nec obscurè ferebatur illum ad acerbissimos casus eo semper vultu fuisse; quo cæteri omnes ad conspectum fortunæ placidioris; eorumque omnium, quorum est expectatio, aut cupiditas. Ad mortem, ut ajebant, amicorum humanus quidem sed miserabilis nunquam, nec dignus qui & ipse ploraretur; ad bonorum jacturam, pœnè lætior quàm tristior, & fornicum instar, quos saxa invicem prementia, & incumbentium corporum moles in statu suo continent, ex pondere firmissimus. Cęterum nullus ad divina sensus Chri-

ſtianum arguebat, & hoc præcipuè in laudibus apud ſuos, quod Religionem facillimam ſibi libertate mentis effecerat, quod conſcientiam ſuis moribus amicam, nec cum illâ luctaretur.

Vir ille duos omnino habebat filios, unum quem ſublata è vivis uxor triennem reliquerat, alterum, qui viginti annos natus jam Principi debebatur & regno, filia illi unica quæ jam matura viro, jam plenis nubilis annis. Accidit, ut ad arma natus juvenis, in neceſſario bello poſtularetur à Principe, ipſo etjam adoleſcente domum paternam exoſo, ubi nihil ætati ſuæ conſonum, nullusque quem ad juventutis ſolatium adhibere miſero liceret, præter Senecam & Patrem. Ut filius dimitteretur, bellum urgebat, imperium Regis, honor ipſe, cujus pars maxima, ubi pericula adeunda ſunt, celeritas.

Hic acerbè flere inter domeſticos vir fortis, querique ſe ſupra cæteros mortales infœliciſſimum, qui chariſſimo filio vivum funus ornare juberetur; totus enim belli apparatus, arma, ſagula, tubæ, ſarcinarum ad militares uſus collectio, ſigna, ſplendor equeſtris, doloris ampla materies mœſtiſſimo patri, ante vulnera, ipſamque dimicationem efferenti filium ſuum.

Totos viginti dies lugens pater, Regem, fortunam, Deum devovit, quòd ſe derelictum vellent, nec unâ domus orbitate placarentur. Interim ſi quis ex vicina nobilitate Cromatium viſurus acceſſiſſet vir fortis ſui Senecæ non etiam tunc immemor, admotâ gelidâ tempe-

rabat,

rabat, ne quod signum doloris appareret, tumorem oculorum; & ad constantiæ specimen grandia verba, ex semota præ dolore Philosophia iterum sumebat, vix ipse advertens ridiculam se comœdiam exhibere spectantibus. Quid plura? discedenti filio tanquam non redituro, ultima oscula posuit miserrimus Pater, & longo mœrore prosequutus abeuntem, testes etiam, quotquot erant in conclavi, esse voluit se à cæde filii immunem, se invitum privari charissimis amplexibus; sanctissimeque juravit, non ideo se liberos suscepisse, ut bellis immolaret. Post hæc alta solitudo, ut lacrymis totum se permitteret licentius; ipseq; inquirenti mihi, utpotè amico, cur per totum mensem publico abstinuisset, minimè negavit, se filij exequias menstruo dolore perfecisse, neque enim minus deberi acerbissimæ morti, quam certissimam existimaret. Hoc solum restabat desperato, ut lugubria indueret, sed admissus, non ostensus dolor faciebat hominis Philosophiam.

Filia ineptum patrem æque experta est: nubilem enim à se avelli vix tulit in matrimonium petitam à multis, quia solatio dilecta sibi virginis carere non poterat, eamque sine viro vetulam asservare domi constituerat, crudelis ideo Pater, quia mollis, nec amori modum imponens.

Ecce vobis imaginem fortissimi viri, nec dubito plures esse ex iis quos strenuos esse ajunt, & ad omnia invictos, qui non minus effœminatè peccant. Quàm multi sunt, quos occultus sub fortitudinis larva dolor conficit, a-

cultus ſub fortitudinis larvâ dolor conficit, atrox invidia, timor ingens, & ob hoc violentior quia collectus, nec ſinitur ab animo in ipſum corpus ſe effundere, ut in latiori minus noceat! fortitudo apud plurimos virtus eſt non ad ſoliditatem animi, ſed ad famam, & ad ſpectaculum ſerviens; coloribus illis ſimilis, quos in iride pulcherrimos oſtentat natura, apparent enim nec ſunt, & extra illos numerantur qui veri in purpurâ, in herbis, & in floribus nitent.

Ita Leontius, ad quem ego, diſſertationi finem facturus. Satis de impiâ fortitudine, ſatis, Leonti, quam parentes noſtri fœliciter ignoravere, & quam nos non ſine magnâ animi mœſtitiâ jure recenſemus, inter hujus ævi notiſſimas calamitates. Sed cur majoribus invideamus? infœlicitatis hic ordo eſt, ô Amici, ut quælibet ætas propriis malis laboret, & veluti quædam Nili ſtagnantis, & ſemina perversè miſcentis, exundatio, ſuis monſtris ſignetur.

VERITAS TOGATA.

SEPTIMA DISSERTATIO.

INTER eas artes quæ ad oculorum voluptatem inventæ ſunt, illa ſummopere mihi ſemper placuit, quæ corpora humana, licet ſine anima & ſenſu, educit ex lapide; & ſuperflua materiæ, ea prudentia reſecat, ut quæ componendo operi partes relictæ ſunt, ad naturæ invidiam, quod illa verius, ſimpliciusque for-

formavit, gratiſſima fraude adumbrent.

Artis amor viam ſternit ad artificem; & videndæ manus, cujus induſtria placuit, ſæpè fit deſiderium. Eo animo, ad Sarrazinij, ſculptoris noſtra ætate eximij, domum quadam die me contuli; & ne ſolus innocenti voluptate fruerer, Cyprianum mihi ſocum adhibui, ejusmodi artis admiratorem egregium, cum ritè procedit, cum vero aberrat à præceptis, ſeveriſſimum caſtigatorem.

Variæ in illa domo ſtatuæ erant, authore ſuo dignæ; & quæ Dædali etiam poſſent videri, niſi quod vinctæ non erant, nec fuga timebatur. Sed cur veritatem togata ingenioſiſſimus ſculptor feciſſet in marmore, cum ſatis non intelligerem, illum rogavi ut me conſilij ſui vellet eſſe participem. Tum ille, oſtensa Chriſti in crupendentis imagine; Si veritatem amas ſine veſtibus, ecce tibi nuda veritas; in hoc opaciſſimo ſæculo vix eam ſine amictu extra crucem invenies. Hoc ab artifice, fateor, non expectabam; quid enim ſubtilius à Theologo? nam certè veritas Chriſtus eſt, & dum Iudaica perfidia Domino patienti detrahit veſtes, ſcelerata manu, nec generi tamen noſtro inofficiosa, veritatem nudavit.

Suaviſſimum hominem inveniſſe me gaudens, poſtquam argutæ ſententiæ applauſi, ad illum denuo ſignum verſus in quo veritas ſub virginis repugnantis ſpecie, palla operiebatur; non enim ſponte veſtiri adparebat, ſed ab alia ex eodem ſaxo figura, ad hos cogi ornatus; petivi à ſculptore, an in ſexus reverentiam, novitatem hanc ſine Poëtarum

licentiâ, induxisset: turpe enim est muliebrem statuam, absque modestiâ conspici, & apud castos, inverecundæ imagini jure præfertur, etiam rudiori manu incisum, pudicum marmor.

Idem ferè quod ego Cyprianus: Cùm hoc signum fingeres, inquit, tene Christianum meministi, vir egregie? Et ideo timor invasit animum, ne adolescentum facilis amor, ad conspectum saxeę formæ exardesceret, si non tunicata sed nudata cerneretur? an te potius cogitasti veluti parentem figurę istius? opus enim tuum illa est, & filiæ vestes commodavisti, optimus Pater, ne illam videreris lenonio more, quibuslibet officinam tuam intrantibus, inhonestè prostituere.

Ad hæc sculptor ingeniosus. Non ea artis nostrę castimonia est, ut studeamus illas corporis partes abscondere quę, licet religiosius tegerentur, ostensæ tamen majorem in artifice peritiam arguunt. Præcipuum apud nos studium est, ea speculari, quę medici alio fine curiosissimè observant. Illi enim hominis constitutionem diligenter pervestigare consuerunt, ne in incognito corpore erret medicina, si illud ægrotare, aut lædi contigerit. Nos verò idem objectum non minori curâ intuemur, ut naturâ duce dirigatur ars nostra; & quia in patientissimâ materiâ homines formare, honestâ libidine audet, generationis quasdam regulas, ac præscripta, à doctiori percipiat.

Artis nostræ summus labor, summa laus, nudum exhibere humanum corpus, quod

tantâ charitate tanto veſtium ambitu obvelat, imperitorum ſculptorum coacta ad pudicitiam ignorantia. Si ſtudium illud tuo judicio crimen eſt, artem tolle, quę cæteras obſervationes adeo parvi ducit, & infra ſe habet, ut prorſus negligat, ſi iſtam prohibeas. Non ergo Religione ductus puellam veſtivi, cur enim ſola inter tot nudatas imagines ſtolam haberet, & Dianâ illâ quam videtis, eſſet caſtior, quę me, licet adventantis Actæonis aſpectum horreat, veſtimentum non obtinuit?

Meliori ævo, veritas nuda conſpiciebatur, & eam velo obducere, pretioſo licet, ac eloquentię manibus contexto, nefas erat: nunc verò ita contegitur, ut nulla ſub polis mulier, ad frigus arcendum, denſiori veſte utatur. Summa jam illius audacia eſt, aliquam ſui partem oſtendere; etſi aliquando priſtinę libertatis memor, & tam alto veſtitu condi non ferens, vultum exerit; ſtatim adſunt qui moneant, virginem non benè virorum aſpectibus patere; & cautius decentiusque facturam, ſi contremiſcat, ſileat, quærat tenebras, quàm ſi impavida hominum cœtibus interſit, & ea intrepidè dicat, quę raro benevolos auditores inveniunt.

Hoc ergo cùm obſervaviſſem ſignum iſtud confeci, ut ex illo ſpectatores agnoſcerent veritatem olim apertam, ita hodie abſcondi, ut vix aliqua pars ejus, abſque involucro & ſincerè appareat. Quia autem noviſſimi temporis opus eſt, ea veritatis latebra; Saturnum cum ſuis inſigniis, non ſeverum, & annoſum, qualis apud Poëtas fingitur, ſed juvenem feci,

qui reluctanrem puellam, iratamque ad novi officij ingratum munus, ipse ridens, insueto amictu circumvestit. Non ego igitur, ut ajebas, veritatem operui, quæ nuda apparere gestit, sed curiosus ævi observator, ostendi in marmore quid circa illam egerit sæculum præsens.

Probata sculptoris industria, non licentia artis, quæ pudoris jactura, studiisque audacioribus naturam æquare contendit, laudatisque cæteris operibus, quæ non minori artificio, sub variis formis, admirationem fecerant, ab officinâ digredimur. Domum deinde reversis, placuit in sculptoris mentem diligentius quærere, rectane essent quæ de veritate dixerat. Cyprianus diu in aula exteri Principis versatus, ultrò fassus est, se nunquam in ea veritatem nisi palliatam vidisse; neque mirum, ajebat; quicumque enim tumultuosæ huic vitæ se suamque quietem committit, fortunę amore id facit, cui cum sæpè inimica sit ex occasione veritas, tutius assentationis via, ad honores & divitias itur, quàm simplicitate morum, orisque libertate. Gemmarum veluti piscatum, in hoc aulæ fluctuantis oceano, dulcissima quædam spes avaris mentibus proponit, in periculorum præmium; nec alias naves inter infidos scopulos, ventorumque immanes rixas ferri videbis, quàm quæ in aquis placidioribus inutili labore divitias prosequutæ sunt, aut virium fiducia actæ, neglexere amnes ubi minus quęstuosa, verùm multò securior navigatio.

Cum itaque id sibi omnes, qui in aula vivunt,

vunt, proponant, necesse est eos, ut optatis fruantur, viris principibus placere, quorum opulenta, & non raro etiam prodiga charitas ad illam fœlicitatem gradum facit. Ut autem placeant, utilis silentij ars quædam summo studio addiscenda est, omni oratione & verborum ornatu efficacior. Non enim Turca solus mancipiis mutis utitur ad quædam suæ potestatis obsequia; ubique terrarum illud receptum est, ut nemo nisi elinguis, viris principibus adsit, ubi de regiminis seu sævitia, seu mollitie, promendus est animi sensus, dandumq;in Reipublicæ laborantis mala,consiliũ.

Calamitosa planè atque destituta veritas! Etenim pauperum more, nullum in loquacissima turba Patronum invenit qui causam oret: velut majestatis ream, omnes negant, timent, fugiunt, ne amicitiæ suspicione & ipsi rei, trahantur in communionem calamitatis, & plerumque illam nosse, sileas licet, si non scelus at culpa est.

Principibus non minus invisum veritatis jubar, quàm cometæ lumen; ad utrumque enim pavent, nec benè quiescunt, donec omnino desierit, hoc penitus novere, qui ad Regum studia facti, quoties de noxia silentij fide, tanquam proditores potestatis à plebe accusantur, nihil aliud respondere solent, quàm non teneri se in perniciem suam loqui; veritatem in aula damnatam; legem Corneliam revocatam hoc sæculo esse, quæ proscriptum juvare vetat, & in ipsa humanitatis officia, si misero conferantur, sævit; veritatem denique, quam post tot tenebras lucere ij omnes

optant, qui premuntur, regnantibus non videri amicum ſydus. Quis neget quod tam ingenuè fatentur; ideo illam tot nubium denſitate obtenebrat, aulicorum ſagax adulatio, nec aliam lucem regios oculos videre ſinit, quam quæ oculos demulcet & triſtes eventus, labantis ſcilicet imperij fata, negotiorumque turbines non prænuntiat.

Sic dicente Cypriano, Cletus adoleſcens, illius ex ſorore nepos, qui noſtro colloquio ſupervenerat, velle ſe in id argumentum aliquid proponere, modeſtè oſtendedat: quod ubi advertit Cyprianus locum fecit quæſtioni. Mox Cletus: Audivi inquit, iis qui ad imperium nati ſunt, ferè ſemper dari à naturâ non vulgare ingenium: quomodo igitur, pulcherrimæ veritatis formâ læduntur, & ad conſpectum illius, quaſi altera quædam Meduſa eſſet, attoniti primum hærent, mox duri & intractabiles, monitoribus ſuis lapideſcunt? Tum Cyprianus. Putas, ô Clete, quicquid pulchrum eſt neceſſariò amari? non ea eſt, crede mihi, rerum formoſarum fœlicitas. Quid ſole iſto ſpecioſius! & tamen illum quem omnes adeo libenter flores admittunt, &, ut licet, vario etiam motu ſequuntur, nunc erecti, nunc in terram adductis foliis cadentes, plurimorum animalium debilis acies reformidat; nec alia ex cauſa tenebricoſæ conſcientiæ pœna eſt ipſe Deus, quam quia lux, & radiis ſuis ea oſtendit, quæ videre non tantum dolor animi eſt, ſed etiam metus ac pudor.

Ut pulchra amentur, prius debent ab amante cum omni dignitate ſua concipi; idæa enim

eſt cauſà amoris, & niſi illa arrideat, forma ipsa, cujus imago cenſetur, non placet. Petis quî fit, ô Clete, ut formoſiſſima veritas, Principibus ſit odioſa; picturam illius in mente habent, non ad exemplaris fidem delineatam ſed corruptam, & qualem ex aulæ aſſentatricis Genio ſibi fecerunt, quid ergo mirum, ſi ex triſtiſſima imagine eam æſtimantes, reſpuant, ubicumque illa ſe obtulerit, poteſtatis errores utiliſſimè & modeſtimè increpatura?

Veritas certe cum arguit, pungit, nec niſi patientibus prodeſt. Quis Principum quæſo, inter tot adulatores ſuo quotidie lateri adhærentes, ita ad patientiam eſt eruditus, ut medentis manum ferre queat, ſi duram ſenſerit; ad ſalutaria vulnera abit à manſuetudine majeſtas, & pro miraculo habetur quoties ad rigidum obſequium, pacatos ſinit eſſe Reges, voluptarij regiminis & quodlibet audendi, absque ullo cenſore, conſuetudo.

Deinde, timeri à ſuis magnificum eſt, ſicut amari ab illis dulciſſimum. Hinc illud, quòd cum moleſtà veritas exponi principibus viris ſine quadam animi audacia non poſſit, dignitatis injuria cenſetur aliquid ex eo timore deponere quem cæteri habent, putanturque ij omnes, qui non poſtulatum conſilium ultrò dedere, charitatis pœnam mereri, peccaſſe quippe officiis, reverentiam abjeciſſe.

Alia etiam ratione inviſi ſunt regnantibus, veritatis nuntiatores. Nemo niſi egens oblata ab alio bona accipit, & in ſuos uſus transfert. Quid autem magis indecorum,

quam si illa deprehendatur in summo imperio egestas? sed quis inveniri negaverit, cum Princeps proprii consilii penuria laborans, agendi regulas à quocumque sibi dari patitur, & publicus indigentiæ suæ professor, omnes eos audit, qui inopi, expectantique, suam volunt infundere sapientiam? ut illa igitur paupertatis labes non appareat, oblata veritas, tanquam stips esset, trahitur in dedecus majestatis, & optimi consilii rejectione, ambitiosè probatur consiliorum abundantia.

Injucundum præterea est illis qui fortunarum arbitri sunt, à subditis accepisse beneficium, quod nulla rependentis gratia æquare unquam possit; ita enim, quicquid solvant, perpetui debitores manent, & hoc maximè videtur, cum quis apud Principem utilissimæ veritatis delator, famam illi seu servat, seu restituit, ab iis rebus eum abducendo quæ majestatem dedecorant; etenim cum fama nihil sit pretiosius, qui illam alteri contulit, in eo statu est, ut nihil nisi ea vilius à magnifico etiam datore possit accipere: & in altissima Regum fortuna, opibusque ingentibus, probri quoddam genus est, reddendi beneficij impotentia.

Illud quoque adverte: ad populi gustum imperare quisquis se credit publico licet odio dignus, maxima voluptate fruitur, & in ea probati regiminis opinione securus vivit. Hanc decepti animi tranquillitatem, captamque inconsulta plebe gloriam cognita veritas excutit, turbinis instar; nec fieri aliter

potest,

poteſt, quàm ut illi qui eam detulerunt, velut Regii doloris authores habeantur, eorumque gratia prorſus indigni, quorum pacem turbavere.

Cletus, etſi differentem avidè audiebat, nova tamen cogitatione incitatus, dicentis ſermonem iterum intercidere non dubitavit. Fœlix, inquit, Gallia noſtra, quæ regem habet in ea ætate poſitum à qua nihil tale metuendum eſt. Duodecim namque annorum Princeps, antequam ſuæ dignitatis totam majeſtatem induat, placidè audit, quodcumque illum ſcire Reipublicæ intereſt; & licet immaturus adhuc negotiis, utiliter tamen percipit ab iis qui ad formandos ejus annos electi ſunt, regiæ poteſtatis documenta, quæ adulto vix aliquis forſitan Ariſtides inſtillare auderet.

Neque dicas puerum ineptè ad tanta erudiri; conſiliorum enim imagines teneræ ætati creditæ, ad ſenectam uſque manent; ut etiam ſi in poſterum tota aula, adulationi, de more ſuo, ſerviens, taceret, ſemper tamen illæ, nihil majeſtatem reveritæ, nolenti loquerentur. Interim dum Princeps adoleſcit, & optimi regiminis forma, inter ſerios luſus, jucundiſſimasque variæ hiſtoriæ narrationes, imbuitur, ſapienter adminiſtrant regii tutores, acceptam poteſtatem: hos enim, quia ſupremi dominii inſigniis non fulgent, nec niſi ad pauciſſimos annos, & ſerviliter etiam potentes ſunt, veritas non pertimeſcit. Nam qua fronte eam nollent audire, aut exilio mulctarent libertatem ipſius; cùm igitur

Gallia Regem ad ſumma omnia natum, atque educatum habeat, & veritatis eximios cultores regni miniſtros, quibus innoxiè referri poteſt, varius Reipublicæ ſtatus, & laſſatæ plebis, ſeu calamitas, ſeu furor, nihil nobis deeſſe videtur, ad ſpem maximæ fœlicitatis.

Fruere, ait Cyprianus, Clete mi, ea conſolatione quam tibi creat ætas nondum calamitatibus inſtructa, naturæque benignitas. Id omne ſpera, & etiam crede quod optandum. Certè ſi Princeps, eâ quam tu retuliſti curâ excolitur, ante pubem virum habebimus, dolenſque hoſtis cito mirabitur in puero rege prætextatam ſapientiam. Sed de aulâ noſtrâ quæſo ne ſermo ſit, ſacra nobis eſt; quid autem in cætero orbe hodie agatur cùm in pueriles manus regnum incidit, non cunctanter, & cum libertate referam.

Nondum adultos Principes utiliter ea audire, quorum memoria in licentiori ætate poteſtati ſtimulos, vel frænum admovet, ubi jam nemo tarditatem, aut vehementima regiminis culpare audet, certiſſimum eſt, Clete; ſed rari ſunt qui regiam pueritiam moleſtare velint ſeriis ſermonibus, & ab iis rebus avocare quæ maximè illam delectant. Non inſtituere Principem, ſed propenſum habere ſtudium eſt illorum, qui etiam ſinceriores exiſtimantur, & tanta circa majeſtatem aſſentatio, ut ſenex aula cum juvene Rege minimis tota impedita ſit, jocos amet, juveneſcat. Etenim non pudet plurimę ætatis viros, indecoris narrationibus, futili alacritate, canos ſuos inhone-

honeſtare, aviculis immorari; & quaſi ad crepundia, poſt tot annos, à natura ipsa revocarentur, ea tantummodo laudare, quę primam ætatem inani ſolatio detinent, & dulciter fallunt. Inter hæc, veritatis maximum eſt ſilentium, nulluſque, niſi perrarò, qui ſapienti ſermone luſus interſecet, & futuro viro prodeſſe velit præmaturis conſiliis.

Eſt etiam quandoque in ea veritatis ſuppreſſione iniquitas maxima; timetur enim ab aulicis fœlicioribus, Principis ſolertia, & in diſtinguendis perſonis ſagacitas. Sciunt periculum eſſe fortunæ, ſi Rex aliquando advertat ſe malè effundere opes in immeritos, neque ſatis ſubditorum delectum habere in conferendis honoribus. Statim namque ut erubeſcit Princeps ad immodicæ liberalitatis conſpectum, fit parcior, gratiam non amplius inconſultè projiciens, ſed ex juſtitia diſpenſans; tarditate etiam quandoque commendans beneficia, quæ minus chara accipientibus eſſe ſolent, cùm maturè adveniunt. Ideo tanta arte providetur ne impubes Principes, annis licet procedentibus, iuviros evadant, ut durante ad rugas uſque infantia perpetuos tutores habeant, ſub gratioſorum titulo, iſtos regiæ benevolentiæ occupatores.

Ubi cautus Princeps, & rerum ſuarum providus, privatorum fortuna aut omnino non inſoleſcit, aut citò ruina premitur, veluti quoddam Reipublicæ incendium; ſub novitio Rege, nec ad imperium ſapientibus conſiliis facto, quiſque audet quod utile eſt, atque poſ-

poſſibile. Exhauſtis regni opibus ſaginatur rapax illa quorumdam hominum ambitio, qui divites ſe eſſe non credunt, niſi cæteri egeant; nec dignitatis crimen arbitrantur, tot miſerorum ſordibus ſibi comparaſſe fulgorem; tot quotidie lacrymis inebriari; &, quaſi puderet ornatus humanioris, civium quoque ſuorum ſanguine purpuraſcere.

Commoda certè eſt illuſtrium prædonum aviditati extenſa Regum infantia, & vafris hominibus non placueris ſi tolles à Principe puerile ingenium. Gratiam illorum vis aucupari? diſce loqui Domino tuo de venatu aut choræis; & frequenter illud ingere, non ideo naſci Reges ut ingentibus curis conficiantur: optimè diſtingui à ſubditis, voluptate, veſtium pompâ, & cæterarum rerum apparatu, quæ plebi admirationem faciunt. Miniſtros equidem deligendos ex eorum numero, qui ſapientiâ præcipui habentur, ut onus regium ſuſcipientes, etiam in caput ſuum totas plebis iratæ querelas miſerrimi adducant; ſi fortè aliquid in negotiosâ regni adminiſtratione ſævum eſt, & publico odio dignum. Servilem eſſe Principum illorum diligentiam, qui omnibus intenti, patrem familias agunt, & nimiâ ſollicitudine ſuam fœlicitatem perturbant. Pulcherrimum haberi, ſi Rex ingentium fortunarum creator ſit; illud enim oſtendere Deo proximam authoritatem, quæ ad tantum opus ſufficiat, & depreſſos quosque homines in eam excelſitatem poſſit evehere, quæ montium altitudinem æquet.

Si

Si in ſua aula fœliciùs, ut tu memoraſti, annos pueriles rex agit, ſi permittitur ea audire, quorum notitia regiis auribus, à cunis ipſis infundenda eſt: ſi jam veritatem non tantùm pati, ſed amare aſſueſcit, variiſque ſuorum anteceſſorum ſortibus eruditur ad illam regiminis formam, quæ ſecura, & optima; fœliciter & juſtiſſimè ſine dubio imperabit: virtutum namque omnium ſemina, ut audio, natura poſuit in illo Principe, & labore modico ampliſſimam meſſem dabunt.

Iam ſerenâ gravitate conſpicuus, jam ſecretorum animi cuſtos tenax, pauca, ſed ſapienter, ut fert ætas, loquitur; oculi nobiliori igne quàm qui cupidinis incenſi ſunt; neque tamen invenuſtiores, generoſam quandam manſuetudinem præferunt, quam nemo poſſit intueri, qui illicò Principem ſuaviſſimum non amet ſimul, ac tremat. Totus corporis habitus ad fortia & regia habilis: ſincera, ſed & acuminata indoles. Melioribus ſanè principiis non potuit natura commendare ſequentium annorum eximias dotes, nec flore pulchriori uberrimos fructus prænuntiare in ſpei noſtræ ſolatium.

Quanquam Gallus natalibus, & Sacramento ego ſum, longa tamen peregrinatione, à quâ & recens ſum, ut ſcitis, adeò patriam ignoro, ut certè quid in aula noſtra circa Regem agatur, prorſus neſciam. Hoc tantum de Principe lætus accepi, quod ſcientibus vobis retuliſſe, mihi fuit nova voluptas; nempe nihil eſſe moribus ejus auſpicatius, nec lente in

virum

virum promoveri, ut pueri solent, sed festinantur grandescere, & ad vota eorum, qui diu vicaria potestate regi minimè optant. Fortunatus ille, si adeò sinceris officiis colitur, ut non desint qui eas res illum moneant, quarum tam altum est in cæteris regiis silentium!

Quòd ajebas, veritatem apud nos non odisse regni ministros, tu videris Clete; in aliis certe regionibus vix aliquos invenies, qui in eminenti dignitate illam animi mansuetudinem servent, quam habuerant antequam ad istud munus assumerentur, cui commissa est publicorum negotiorum cura, & excelsissimæ potestatis non expetita minus quàm ponderosa solicitudo. Illi penè omnes qui fœlicitatem regni in manu habent, & velut sydera quædam, influxu suo subditę plebis varia fata constituunt, sævos adeo foribus suis janitores adhibent, ut sæpè non pateant nisi priùs oblata pecunia, tanquam bellua quædam transmarina ostenderetur, custodum clementiam emas, qui vacuis nihil gratuitò dare consueverunt præter atrocia verba, & fustium ictus.

Admitti in conspectum virorum illorum, ingens favor, dignusque quem multorum dierum inutili cursu, & patientia tibi compares. Accessistim tandem? quid oquaris vide; ora supplex, lauda; parum est, fortunam in fastu suo adora; & si aliquid ab ea non importunus petitor exigas, habebis propitiam. Veritatem dicturus superbissimas ædes intrasti? vel abjice consilium, vel desine sperare iterum audiri

audiri ab offensis, neque ferentibus inscitiæ, aut negligentiæ, suam sic insimulari sapientiam. Hujus enim libertatis, utinam non iniquius, certissimum præmium est, æternum vale. Pudet quippe in summo honore constitutos, ea peccasse quæ noxia adeo censentur, ut in suis etiam ædibus, ubi tanta veracium sermonum parcitas, monitores invenerint: & tolerabilius est, perire omnino rem communem, quàm communitatis provisores ad salutaria consilia coram hortatore suo erubescere.

His à Cypriano ita dictis, me diu silentem ipse invitavit ut id loquerer, quod animo versabam. Illud autem erat; nihil admodum novi esse quod veritas in Principum aulis non admitteretur; quamvis hoc certè ævo durius cum illa agatur, nec minori periculo gestare eam possis, quàm si adulterina quædam pecunia esset, & lege aliqua prohiberetur perniciosissimam mercem in publicos usus ferre.

Nostra ætate veritas, privatæ fortunæ certissimus morbus existimatur, sed ne Regius quoque sit, abesse jubentur ii omnes, qui contagiosa narratione communicare illam regnantibus possent; hoc apud Iberos frequentissimum, vocaturque aulæ securitas, utilissimorum hominum, vel honesta sub remotioris administrationis specie ablegatio, vel professum exilium.

Et hæc quidem cogitabam; sed stupendum magis videbantur concionatores ipsos, qui præcones veritatis à Deo sunt constituti, tan-

quam

quam jacentes tubas, amisso spiritu, in hoc aulæ silentio obmutescere. Sapienter certè debent loqui, sed tamen loqui: voces sunt, si officium spectas; cur autem non audiantur ubi sacer expectatur sonus, ad tam ingentia utilis, nullam, ut puto, causam prætexere possunt, nisi injuriosam majestati, cum vox incarnati Verbi prænuntia, nec sub ipso Herode tacuerit.

Suspensas in salicibus cytharas cernere, magnum apud Hebræos captivitatis indicium; sed nunquid apud nos, tot concionatorum otiosum munus, qui in materiis communioribus verbosi, & ad auditorum tædium acres, veluti pendentes hęrent quoties de veritate aperienda coram caligante potestate occurrit occasio? verbum Dei non esse alligatum, Paulus dixit: idemne dicturum Apostolum existimas si adhuc viveret? cùm in Hispania concionatori non liceat audiente Principe loqui, nisi priùs aliquis ex sacerdotibus aulicis ostensam in scriptis orationem judicaverit dignam delicatissimis auribus, eaque verborum temperantia concinnatam quam ferre possit, non assueta rigidioribus majestas?

Eadem servitute teneri vult suos concionatores alius in Italia Princeps, ne imperatæ modestiæ terminos excedant, ubi plebis concursus est, neve fortiori eloquentia exagitent eminentissimæ dignitatis licentiam. Adsint pauci, inter domesticos & familiares, veritatem, licet vehementior sit, neque ad aurium mollitiem accommodata, non omninò exturbari ajunt; sed nunquam publicè in ista aula

sine

ſine fræno illam videas; ut balbutire coacta, nihil prorſus eorum nitidè loquatur, quæ niſi in conſpectum ponat Eccleſiaſtes, audici plerumque vitio, ruborem incutiunt.

Verùm, placet inquirere, unde illa concionatorum tam cauta, tamque urbana eloquentia, quæ in dominantes quoslibet reos numquam incitatur, & ea ſuavitate poculum miſcet, quod niſi amarum morbo affectis non prodeſt, ut illud jam non immeritò vocare queas, vinum quoddam nectareum, humaniſſima porrectum manu, ad ſumentis delicias. Adeò namque molliter in vitia invehuntur, paucos excipio, concionatores illi, quibus diſſeminandi in aula Evangelium Provincia demandata eſt, ut Cytharædis ſimillimi, ſuis numeris, ſua modulatione publicum potiùs tripudium excitent, quàm ullum mortalium ad pietatem accendant. Lætiſſimos auditores ipſi lætiſſimi, decenti venuſtate ita exhilarant, ut nullus quæri poſſit ſe tædio, ſe dolore affectum, aut aliquid ex iis rebus audiviſſe, quæ à rudiori Eccleſiaſte in nobiliſſima tot purpuratorum corona, effuſa fuiſſent, ad terrorem animorum.

Novo plane Genio lepidiſſimi Apoſtoli in orbem Chriſtianum invecti ſunt, qui maxima cura hominum auribus, non ſaluti conſulentes periodos librant; vocem, corpus omne, ea arte diſpenſant, flectunt, ut nihil abeat à voluptate, etiam cùm de pœnitentia ſermo eſt, aut extremo judicio os tonſum, veſtis elegans, candida manus, eos adeo ſpectabiles efficiunt, ut tacentes quoque, ſi ſortè labaſcat memoria, audi-

auditoribus placere nihilominus possint.

Dum ejusmodi paratur concio amici invitantur, qui mirabundi excipiant; qui ad singula verba, vel levi risu, vel elato supercilio, decentissimum oratorem incitent, moneant limatam ad lychnum orationem, fœliciter eum pronuntiare, ad famam loqui.

Inter hæc ubi veritas? ubi vitiorum, ubi vanitatis profusissimæ, ubi sævissimæ voluptatis quæ suspirantem populum nusquam miseretur, increpatio? unde ista in Ecclesiaste orationis comitas animique mollities? quis ab Evangelio separavit quæ acriter prosunt, quis sustulit vehementiam?

Dum mihi facio quæstionem solutio oritur, luxque subita nubem discutit. Non sine consilio isti concionatores à veritate se abstinent. Aliqui ex iis, sperant; aliqui quod sperabant, jam sunt adepti. Futuræ fortunæ officere illi metuunt si rigide loquantur; hi, accepti beneficii memores, officiosissimâ urbanitate rependunt gratiam, indignumque judicant illis semper non placere, quibus olim utiliter placuerunt. Aliqui, quos neque spes, neque gratitudo ad illud veritatis silentium cogit, alia ratione obmutescunt.

Dulce est, secundas habere Principum aures. Si illis arrideas, tot laudatores certè habebis, quot ipsi adulatores, & circa te etiam populi concursio fiet, ex more illa loca cœco impetu replentis, ubi convenit, quicquid illi majus à fortuna potest ostendi. Illo cœtu privari, ubi semel gustaveris, magnus dolor; & quia, Principe averso, distrahitur ista concitatæ plebis

frequen-

frequentia, gratissimis sermonibus, prudentique silentio, fit, ne ille non reversurus abeat, quem cæteri sequuntur.

Sic nominis claritas latior quotidie evadit, dum à quibuscunque obviis iteratur illud, en homo notissimus aulæ, en Principis Ecclesiastes. Illa veritatis reticentia veluti clavis est, qua palatii fores, multis non perviæ, facilè reserantur: hac salutationes comparantur frequentiores, & etiam demissiores. Nam quos reveretur Princeps, alii colunt, libenterque illis tributum honoris debere se omnes fatentur, quod solvit primus.

Putatis autem illos concionatores Principum animos demulcere, æqualitate orationis? non ita, interdum namque inchoationes quasdam terroris habent, ne suavitate nimia fastidium sui faciant. Sciunt enim dulcia quæque nisi asperis misceantur non diu jucunda haberi, neque avidioribus convivis exquisitissimas epulas placere, sine sale & aceto. Verùm ea arte vehementes sunt, quæ diversitatem pariat, non quæ flectat ad illum animi mœrorem qui finis est Evangelii.

Iam aliquod tempus effluxit, ex quo unus illorum orationem habuit coram Ecclesiastico Principe, qui Regio licet diademate non insignis, Regiè tamen audire consueverat Evangelium, militibus stipatus, & suos potius concionatores territabat quàm ab ipsis terreretur. Quid expectas à prudentissimo Ecclesiaste? etiam Principi visus est multa minari, sic enim ille. Audacter coram te pronuntiabo, Eminentissime Princeps, nec dignitatis

qua

qua per totum orbem fulges, habebo rationem. Silere me non patitur populi clamor, communisque calamitas. Ad hæc verba nemo non fuit, qui maximam dicentis libertatem expectaret; fulgurationem tamen ejusmodi nec leve tonitru subsecutum est. In publica peccata quæ tot miserias in orbem invexerant, totam bilem effudit; illi omnino similis Imperatori, qui victimam immolaturus, nam & sacerdos erat, non expectato ictu, miserrimum hominem qui proximè stabat, ipsa, quam in bovem paraverat, securi percussit.

Ille profectò concionator etsi sæpiùs legerat Ecclesiam sponsam Domini sui, instar ordinatissimi exercitus esse terribilem, expavit tamen ut insuetis armis ferocem vidit; & providus veritatis amator timuit quoque, ne prodita ante Principem, à tot spathariis, qui vel ad decorem, vel ad præsidium dignitatis, longo ordine stabant, miserrimè trucidaretur. Certè ait Cletus, virum istum, veritatem vehementissimè amasse crediderim, cùm eam à se egredi non permiserit: totamque in pectore gestans, tanquam thesaurus aliquis esset, effundere sit veritus, ne sibi pretiosissimam raperet, circumfusa multitudo. Avara, sed utilis providentia. Nulli justius dici possunt curatores veritatis quàm isti concionatores, qui tanta eam cura contegunt; ne, ut odoribus contingit, vase aperto evanescat & pereat. Quid ad hæc tu Firmiane?

Mirum referam, inquio; maius veritatis silentium forte non fuit, illo quod obsessa nuper regiis armis præcipua regni civitate, ab omni-

mnibus omninò concionatoribus servatum est. cur dilectissimam antea urbem sedem imperii, irata majestas deseruerit, sparsoque milite, commeatu prohibuerit ea anni tempestate, quæ armorum licentiam compescere solet, Mysterium est. An digni quibus fames inferretur cives fuerint, & communem culpam æquaverit, aut superaverit trimestris propemodum pœnitentia, alta etiam quæstio; sed donec solvatur, illud notabo, nullum tunc Ecclesiastem ausum fuisse, pro Rege aut Reginâ loqui, ut religione non armis cogerentur miseri cives, ad utile sibi, justissimumque obsequium.

Famosis ubique libellis, scelerati authores, nullo arguente, deturpabant reverendam post Deum authoritatem. Augustissimæ Principis honor à petulanti plebe proscribebatur; nefariæ obtrectationis, in eos omnes quos absurdum vulgus reos censuerat, nulla cessatio, aut modus; ut linguæ pariter ac calami sęvities, hyeme, aquis in mediam urbem irrumpentibus, bello quoque, & fame esset atrocior.

Apud Christianos tamdiu calumnia damnatur quamdium stat pietas, & convitia prohibenti Deo, honor defertur. Quis tamen ex tot concionatoribus furentem contumeliam verbis insequutus est, ostenditque non eandem esse debere armorum & sermonum libidinem, etiam cùm ex justissimâ causâ sævit populus, postulatque ense & tumultu, quod precibus & longâ lacrymarum profusione à Principe non obtinuit?

Mirati ſunt plerique, quod poteſtas juſſos non haberet in obſeſsa civitate concionatores. qui ſubditos jam longa fame maceratos, adhuc tamen dubitantes regi parere, revocaſſent ad officium. Nunquam adeo extinctus in Chriſtiana plebe divinorum ſenſus, ut vehementi Spiritu excitari non poſſit. hunc ſi admoveant Evangelici Oratores, ſtatim emicabit Religio, latenſque ſub civilium armorum rabie conſcientia, ad cœleſtis iræ minas concutitur humanum pectus, & pauci ſunt, qui bellum obſtinare velint, ubi oſtenditur à Theologis non minus in Principem geri, quàm in ipſam pietatem.

Cur ergo inter tot militares tubas, quæ tum martem acuebant, ex buccinis ſacerdotalibus nulla audita eſt, qua populus admoneretur eas illum leges accipere debere quas Rex dediſſet; & ſi quid durius in illis cenſeretur, nunquam tamen licere mitiores morbos atrocioribus ſanare, & quærere patriæ excidio, turbidinibus ſcil. quibus placandis una ſæpè ætas non ſufficit, patriæ ipſius fœlicitatem.

Omnibus tributis, quæ regiam gazam augere à pluribus annis conſueverant, graviores eſſe illas oſtiorum & capitum exactiones, quas jam ferre cogebatur exhauſtum vulgus; nunquamque pacem ſub rigidiore miniſterio adeo acerbam fuiſſe, ut bello, & tot fortunarum periculis exturbari mereretur. Iras ergo poneret exaſperata plebs, & eam poteſtatem jam veneraretur, quæ rogata, non laceſſita illud dare conſuevit quod æquum eſt non negari ſupplicibus.

Num-

Numquam ſalubrius Reipublicæ conſuli, quàm quiete, & malorum, ſi quæ in illa ſunt, patientia; prætereà, Aulam in dies mutari, ipſamque rerum humanarum inconſtantiam quæ calamitatem adducit, brevi ipſiusmet daturam remedium, ſi non maturare illud velis, ſed expectes. Cogitarent omnes, nunquam ſubditos defeciſſe à Principe, qui prolixâ pœnitentia brevem noxam non eluerint; plebs denique ſaniora loqui diſceret, quàm quæ quotidie jactabantur, magno Chriſtianæ charitatis detrimento, non in ipſos tantùm regni miniſtros, ſed in Regem ipſum, quia in matrem.

Hæc certè decens erat non tacere concionatores; nullus tamen ex illis ſuſcepit læſi Regis patrocinium: Graſſabatur impunè per totam civitatem adeo audax calumnia, potensque ut nec in templis ipſis caſtigaretur. præciſis concionatorum linguis, majusne in hoc negotio veritatis ſilentium, vel gauderes ſeditioſus, vel doleres regi fidus? & hoc forſitan miraberis, Oratores Eccleſiaſticos, quorum maxima laus, oris pudor & ſermonis temperatura, modeſtiâ tamen peccare potuiſſe.

Ubi velut facto agmine plurimi in eodem corpore morbi conveniunt, iis qui mortem periculoſius urgent, promptior cura adhibenda eſt; nec medici crimen cenſetur cæterorum ad breve aliquod tempus negligentia. obſeſſæ civitati exiſtima, ſi lubet, non defuiſſe flagitia illa quæ pacatis temporibus concionatorum zelum juſtiſſimè accendunt; at certè plurima ex iis, ſubtracta annona lan-

guebant; & in communi hominum calamitate ipsa quoque scelera calamitosa, querebantur eripi sibi dilectissimum otium, amicas opes, subsidium voluptatum. tot vitiis majori ex parte inter arma, inter terrores, ipsamque pauperiem, quæ jam & divitum esse cœperat, quiescentibus, unum odium detecta fronte, & publicè furens insaniebat, ad infamandam potestatem quotidie solertius, atque atrocius; & quasi illud esset leve aliquod in Christiana civitate malum, convitiis exsaturari, professo odio illud omne fingere quo fœdari queat invisi nominis claritas, quilibet concionator in ea tantum vitia invehebatur, quæ tum aut nulla erant, aut certe latebant.

Quàm fœlix eâ tempestate obtrectatio, quæ fari, quæ scribere omninò sinebatur; & novo quasi privilegio donata, in immanis libentiæ, non excusationem modò, sed laudem, tumens proferebat, ubi criminari eam velles, oratorum silentium!

Ex his intellige quanta sit nostra ætate veritatis reticentia, quæ jam nec regibus in gratiam miseræ plebis, nec plebi in Regum favorem defertur: ut hodie prorsus nescias, turpiorne in Principes, quàm in ipsum vulgus adulatio.

Egregium volumen, ait Cyprianus, Clarissimi viri, apud Hispanos, Crossæi, intra paucos dies habebimus; ultima enim manu perpolitum opus lucem expectare, aliquis mihi retulit. à candidissimo authore plurima veritas tractabitur, ut qui audire eam nolunt, saltem legant, & quod fastidiunt aures, ad

men-

mentem perveniat patientiori oculorum ministerio. frustra opus illud speraveris, inquam, mi Cypriane; & si non omninò extingui conceditur lentissima disceptatorum sententia, saltem castratum habebis, ne aliquid potestati invisum in lectoris mente, libertate sua generet.

Certe æquum est, ait ille, ea sævitia ad castitatem cogi authores quosque libidinosos, qui obscœno calamo legentium mores inficiunt; sed pudico operi hanc inferri violentiam dolens audio, timendumque est, ne à scriptione, fœcundissimi ingenii viros, atrox pœna deterreat. Sed quia severissimæ animaduersionis in probatos authores legem ignoro, quæ, ut ais, eximium scriptorem inter reos incerto exitu detinet; dic quæso quâ ex causâ tot quæstionibus exagitantur scriptores veritatis?

Unum hoc restabat, ô Cypriane, inquio, ut Principes à mortuis discerent quod viventium nullus illis retulerit; sed illud quoque damnatum est, & in libros pœna constitua, qui vel modicè tractarent de abusu potestatis, doctores Catholicos illis præfici, qui de fide authoris cognoscerent, non satis fuit: revisores inventi sunt, qui severiori calamo illud omne rescindere omnino jubentur quod noverint hodiernæ administrationi gratum non fore; ita fit, ut qui de rebus politicis hodie scrîbunt, molliter, & palpando scribant; vel si audaces fortiori stylo peccantem potestatem pupugerint, castigentur acerrimé.

Crossæus ille, de quo mihi tu, doctores quibus cura fuit nihil irreligiosum sine censura in opere prætermittere, benignissimos habuerat, & illorum testimonio dignus censebatur, qui de Christiana Politia scriberet, ob singularem prudentiam. Sed miser, cùm omnia se absolvisse, quæ ad quietem authoris pertinent, arbitraretur, in revisorum manus delapsus est. vix credas quanta, & quàm utilia abraserint homines isti, totos articulos sustulerunt, ne in paucis viderentur perdidisse operam, & ruina minori spectatissimæ fidei mercedem meruisse.

Cùm Herodes infanticida filium quoque suum in cunis jugulari imperavisset, Augustus, qui tum Romæ degebat. accepto nuntio, pueri sortem miseratus dixisse fertur; meliori conditione apud Herodem porcos nasci, quàm liberos; cùm ille, qui religione ductus ab ejusmodi animalibus abstinere solitus erat, regiæ proli non parceret. Nec malè etiam quis dixerit, impuris plerumque authoribus, hoc perditissimo sæculo, meliùs esse, quàm iis, quos commendat argumenti sanctitas, atque mundities. Nam quis nesciat libros qui fictitiis amoribus veros ignes fovent, & creant, nullo opponente prælo dari, ut narrationum luxurie corrumpantur virginum mentes, & quid delusis parentibus peccare possint, otiosæ discant adulterio veritatis?

Librum scribe qui gratissimis erroribus, & varia rerum specie jucundus sit; qui amoris ingenium, fletus, somnia, furta, desperationem, fidem, non impuris omninò verbis enuntiet

nuntiet, obſtabit nullus, nec à reviſoribus periculum erit correptionis. Sed heus te miſerum, ſi in bonum Reipublicæ ea ſcribis ſinceritate, ut qui te legerit, agnoſcat id verè non agi in regno, quod agendum eſſe ratio docet, temporumque calamitas hoc jam Croſſæus didicit ſuo impendio, non nimia certè libertate reus, nam prudentiſſimè illum ſcripſiſſe certiſſimum eſt, ſed Genio ſæculi infœlix, qui fabulas amat, neque ſinit abſque fuco, & blanditiis veritatem oſtendi. An ergo inſulsè egit ſculptor, qui marmorea veſte eam operuit, ut quàm periculosè nuda appareat, nemo ignoret?

SCRIBENDI LIBIDO.

OCTAVA DISSERTATIO.

QUadam die inter feſtorum otia, poſtulaverat Marcellinus, ut de *Genio ſæculi* aliquid quod utile, jucundumque videretur, proponerem; necdum de argumento convenerat, cùm ille ſubita recordatione ictus, Dialogum ſe quendam, ab amico acceptum, eo fine attuliſſe, ut nobis oſtenderet, chartam protulit; & quia mihi jam debilior acies minutiſſimas literas, confuſis characterum imaginibus, adeò miſcebat, ut cohærere omnes viderentur, non ſecari intervallis, & ad ſuos uſus diſtingui, juniorem rogavi, legeret

ipse, qui sinceris adhuc oculis, senum ophthalmia, eaque lucis ambiguitate non laborabat. hic verò erat Dialogus, quem ad multos pertinere, & ad te forsitan, si tu quoque legas, scies.

ECCLESIASTES PLAGIARIUS.

DIALOGUS.

Æmilius. Crito.

Aemil. I Nunc & magistratus tuos lauda, quos tam sæpe jactasti, velut iuris amantissimos, & legum propugnacula : moriar! si prisca ætas unquam tulit iniquiores.

Crito. Quis iste sermo tuus Æmili? ex quo nos conjunxit quotidianæ vitæ consuetudo, non memini te cuiquam durum fuisse; si qui peccant, plus soles misereri quàm irasci; & adeò te mitem præbes iis qui plecti meruerunt, ut non desint qui hanc animi mansuetudinem vitium putent, & naturæ mollioris temperamentum. Ergò hucusque vixisti placidus, ut in Iudicibus nostris faceres rudimentum iracundiæ? Sed dic, quid peccavere tribunalia, vel potiùs, quid illis non dignum fecere, ii quibus tam acriter succensuisti?

Aemil. Nihilne censes Crito, quod publici fures impunè vivunt, sub oculis patientissimi Senatus? quòd proborum spoliis fortunam suam

am augent, exornant, & hoc in Regia urbe?

Crito. Mentem tuam non capio, Æmili; proponis ænigma, an oraculum? si vis intelligi, memineris te homini loqui, qui nec Oedipo magistro subtilitatem edoctus, nec in spelunca Sybillæ, Tripodi admotus est, ut Apollinem reciperet. Quid vidisti, quòd nostrorum judicum integritati tam malè conveniat, ut veluti constituat nocentibus pares, & in purpura reos!

Aemil. Audisti Philebum, Crito? illum dico concionatorem, qui nuper apud plurimos in pretio fuit, habitâ, de sanctis quibusdam panegyrica oratione?

Crito. Quid hoc ad judices, in quos ipse tu judex, jure an injuria nescio, dixisti sententiam?

Aemil. Ah, Crito, Philebus iste; hoc crederes? famam sibi quæsivit alienis sudoribus; quicquid in illo stupuit imperita multitudo, furtum est, & ut veriùs dicam, sacrilegium. Cur enim sacrilegium non sit, sacræ rei, & sacra in æde, usurpatio? DEUS bone! ubinam gentium sumus! ante ipsa altaria, notissimæ frontis homines conveniunt rapiendis concionibus, & hoc tacent judices vestri, nec unquam tantæ audaciæ fures citantur ad tribunal.

Crito. Ergo hoc est, quod volueras, Æmili charissime? jam non laboro ad tuam mansuetudinem absentem animum revocare, qui ab illa non discessit, ut video; & iræ specie, in latrones inultos, tam suaviter suos sales effudit; fateor lepidissima simulatio

decepit me; & jam in mentem venerat lenire indignantis animi acerbitatem; cùm jocus utres erat, mihi visa est, & risum prementis, ut ita dicam, severitas festiva. Sic ludis amicos, Æmili, & frontem adeo fingis, ut qui tibi conjunctiores sunt, quando non placet, motus tuos non sentiant? numquam mihi deinceps imposueris.

Aemil. Et inde scias, Crito, te non omnes personatos benè nosse, qui, quod non sunt se exhibent mortalibus, ut pessimæ artis ingenio, improbitatem non sensuris utiliter placeant, & vel sibi fortunam concilient, vel famam. Nihil communius in aula vultibus istis, qui iram, gaudium, benevolentiam, mœrorem etiam, præ se ferunt, ad gestantis arbitrium, æque; in omnem scenam parati, & etiam daturi lacrymas, in summâ mentis alacritate, si ita postulaverit adulatio. Sed ad nostrum concionatorem revertamur. Nihil suum proposuit auditoribus, præter vocem & audaciam.

O infœlicem! paucis ante diebus illa ipsa, quæ velut nova, & tanquam ex propriâ penu, tam ambitiosè promebat à Crescentiano, qui verè author, & magni nominis vir est, audiveram; & quia prima vox illa, aures adhuc meas quoddam modo feriebat, declamatoris sermo, mihi alterius echo omnino visus est, nisi quod majore tumultu diffundebat se, lassabatque fastidientem. Putas forte me solum, parum solertem audaciam animadvertisse? vix finierat alieni operis prædo, cum rumor excepit è suggestu descendentis ultima verba; non qualem excitat publicè laudata

vir-

virtus, vel apud populum fœliciter dicens eloquentia, sed qualis est furem indicantium, & poscentium raptoris meritas pœnas. Certè in tanta frequentiâ latere vix poterat misera avis, plumis non suis contecta; quas etiam ita malè concinnaverat, ut non in totum nuditatem suam velarent. Cutis enim quandoque inter tot colores fœdissimè se prodens, festivis ingeniis risum ciebat, aliis miserationem, vel etiam pudorem. Quid ad hæc dicis, ô Cito? non tibi videtur Plagiarius, qui sic alienis bonis imminet, ut nec vellet uti suis, si quæ forsitan, ingrata, & illiberalis natura laboranti concederet?

Crito. Plagiarium dicis, Æmili, sed cur, non satis video; facilius caperem si diceres Pelagianum: sed fortè vir ille cui tam prolixe maledixisti, non aliter fuit gratiæ injuriosus, quam illam abiiciendo, quæ oratores efficit auditoribus gratiosos.

Aemil. Non audisti quid lex vetus statuerit in latrones, qui insciis dominis servos alienos, spe fortunæ mitioris, vel etiam violenta manuum injectione, ad suos lares trahebant; illorum usuri ministerio, in quos nullum jus haberent? isti quos Plagiarios vocabant, non ignobili furto, ut cæteri raptores, peccabant in legem; non vestis, non pecunia, non ampla supellex sollicitabat improbas mentes. nihil altius, nihil utilius ipso homine rati: Quicquid industri, quicquid virium esset, in hoc facinus adornabant, ut furtivis mancipiis, non ut purpura, serico, aut metallis ditarentur. Verè Philosophi, si non fures, qui generis

ris humani dignitatem tam benè nossent, ut nihil æstimarent pretiosius.

Pejores habemus Plagiarios, Crito; quid mereri enim existimes concionatores illos, qui non servos tantum dominis, ut isti, sed liberos, tantâ spiritus, tantâ laterum contentione in lucem editos, veris parentibus subtrahunt; ut steriles animæ, laudis quidem avidæ, sed laboris non patientes, matrum fruantur privilegiis, imponant multitudini, fœcunditatis opinione?

O sæculum infœlix, in quo Salomon nullus qui jus matris discutiat, & dicat iterum, in non dispari causâ, Date huic infantem, ipsa enim mater ejus est! interim miseri fœtus, ab amplexu matrum avulsi, frustra gemunt in alieno sinu, dum de illorum natalibus nulla fit disquisitio: & inter tot fictitias matres, nulla penè plures liberos ostendit; quam quæ nullos enixa est.

Crito. Fallor, Æmili, vel tantâ animadversione plecti non debent qui tam commode studiosorum laboribus utuntur, ut suis parcant. Quid quereris? nulli meo judicio ampliori laude digni sunt, quam qui sedulo curant, ne sermo divinus illis excidat; cujus, vel syllabæ omnes, tot gemmæ sunt, quarum ingens pretium, quicumque oblatas non colligit, videtur ignorare. injustus planè es, Æmili, qui vis manna concessum inedia laborantibus, ad spectaculum solum effundi, non ad usum mortalium. Quis unquam ex agricolis noluit succidi messem suam? an propterea seminas, ut nemo sit, qui sublevetur egre-

giis laboribus, & qui te conservatorem vitæ suæ toties dicat, quoties tuis vigiliis utetur in subsidium suum?

Aemil. Dicam fortasse, Crito, quod nescias. Nulli, minori fructu, concionibus intersunt, quam qui scriptis tam sedulò mandant quodcumque audiverint. dum enim intenti suo furto, inhiant conceptibus, sententiis Patrum, orationis vel floribus; vel nervis totum illud quod animo insidere debuerat, nempe pietas, illos præterit: & sic miseri auditores, egent dum pleni sunt; quodque certè mirum est, illos videas in tanta rerum affluentia, quibus saginantur, tenues, &, ut ita dicam, sine temperantia sobrios.

Crito. Saltem fatere, Æmili, istorum de quibus agitur, laudabilem esse diligentiam. Quid? ergo crimen erit, auris suspensa, promptus animus, & manus expedita?

Aemil. Si hos laudas, Crito, lauda quoque furum diligentiam, qui non expectata saltem aurora, ante suum cursum implevere, quam sol primis radiis oculos nostros refecerit, confecta itineris sui media parte; & vigilantiores sunt utique, excubitoribus ipsis, qui servandis Principibus adhibentur ab custodiam. Non diligentia illa laudanda est, Crito, quæ ordinatur ad malum; sed illa quæ virtuti præsto est, sequi parata, & etiam currere quò vocaverit. Cæterùm nunquam mihi persuaseris, apum diligentiam imitari has vespas, quæ numquam mel conficientes, semper comedunt. Quid mihi curam illorum memoras, qui totas noctes insumunt transcriben-

bendis concionibus? otiosorum est planè ista occupatio. Neque enim videtur illorum æstimanda diligentia, qui ne unquam laborent, paucissimis horis laborant, & torporis amore, aliquas vitæ suæ partes, probrosissimæ simul, & ineptissimæ occupationi serviliter addicunt.

Crito. Unum hoc saltem concede, Æmili, fieri, non multâ impensâ, doctiores, qui sic colligunt.

Æmil. Immò, magnâ eruditionis, quam habere posset, jacturâ, hoc literatorum sordidum genus fruitur alienis laboribus. Sic enim animus, à quo nihil unquam suum extorqueas, arescit, velut ubera, quæ lac copiosè datura frequenter sugentibus, neglecta siccantur, nec amplius ministrant. Aliquos novi, qui cum possent non multo labore, eruere quod in illis natura posuerat, non parcâ manu; ita tamen prædæ assueverant, ut à se nihil unquam exigerent, de alieno fundo semper victuri, & paupertate, quam sibi suâ negligentiâ fecerant, necessariò raptores, si non vellent egere.

Paucos ex mendicis videas, qui, etiam facultate oblata artium ulli mancipare se velint, quæ illis fœdissimam hanc, sed dilectam libertatem adimeret, quâ, semper errabundi, & in patriâ suâ velut exules, omnibus penè sunt oneri, qui in suo consistunt. His, ne dubita, Crito, concionatores illos annumerare, qui arte projectâ, tanquam fœlicitatis non patiente, se torpori ita dederunt, ut nunquam moveantur nisi ad furtum, cum turpis, nec

minus

minus audax necessitas, pauperes ambitiosos admonuit diligentiæ. Tunc enim mirum est, quantum viæ conficiant isti languidi, ut alienis opibus subleventur; qui proprias, & honestè quidem conquisitas, ignaviæ amore, habere noluerunt.

Nulla fit concio celebris, cui non intersint homines isti, ita sine armis minaces, ut etjam illos cum solo calamo concionatores timeant: Non enim, ut quidam fures honesti, & in ipsâ sua sævitia non inclementes, aliquam partem bonorum quæ invenerint, spoliatis relinquunt; nihil est quod non rapiant manus acerbæ, & ita assuetæ latrociniis, ut nihil illas prætereat, nisi somnus obstiterit. Sed quam rarò dormiunt isti latrones, qui, non secus, ac ille Poëtarum Argus, plures videntur oculos habere, quam cæteris mortalibus, in legitimum usum natura concesserit!

Crito. Perge, perge, Æmili, delectat enim ad longum audire quid sentias de concionatoribus istis, ex genere mendicantium, qui voto paupertatis celebres, ordinem quemdam fecerunt in Ecclesia; quem tamen, ut verum fatear, nec suadet Evangelium, nec curia Romana satis approbat, nullum Ordinem suis unquam diplomatibus honestatura, nisi cujus utilitatem viderit.

Aemil. Benè est, Crito, non enim pro illis ità pugnas, ut non saltem dignos æstimes, quos irrideat vir sapiens & peritus: quando tu quoque meritos pungis dicteriis, & ad scommata provocas, venustissima defensione. Sed quoniam ad partes nostras accessisti, anteà hostis

hostis, si non re, saltem verbis, & vultu; dicam seriò quid liceat concionatori decerpere ex alienis laboribus, quos non ideo suos æstimare debet, quia, fontium more, sitientes advocant pulcherrima unda & publice funduntur.

Aliud est, flumen haurire, ut de Xerxis exercitu prodigioso narrat Historia, aliud ita opportuno amne uti, ut aliis relinquas. Licet quidem, ô Crito, delibare conciones virorum illustrium, sed illos non probo qui glutiunt. Fit enim eo modo sæpissimè, utipse, cujus labor est doctissima & exactissima concio, non plus semel suis bonis utatur, suadente scilicet verecundia; postquam isti fures, nullo pudore, ubique velut sua sparserunt improvidis auditoribus:

Quid ergo? Ecclesiastes, maximè novus, & rudis, ab alio concionatore nihil accipiet? facit quidem, sed modestè, non enim totum rapiet quod invenerit; sed aliqua, ut vir bonus, & non sine benefactoris reverentia, si opus est, mutuabitur.

Quis ferat Poëtam, qui Virgilii Æneidem, vel etiam Pastoralia, Musæ suæ partum diceret? scis quanta infamia vapulaverit ille qui paucos ejusdem Virgilii versus, suos dixit, ut fœlici adulatione, & quæ jam apud Imperatorem accepta erat, ignoto licet authore, principis gratiam aucuparetur. Nemo sordidior, quàm qui comptus est, sponsarum rusticarum more, ornamentis scilicet, quæ, nec sua sunt, nec nisi invenustè corporibus aptantur, quæ non ad hoc finxit natura, ut margaritis fulgeant, & in modico lapide circumducant ingens patrimonium.

Prudens

Prudens ergo ille & justus simul, ô Crito, qui sua cuique relinquit; ea quæ audiverit à peritis, & exercitatis, religiosâ conscientia contentus imitari.

Perlecto Dialogo omnes una voce Religiosum furem damnaverunt; & quia tum nullus inter nos lacius incompetens sacrorum judex aderat, dictum est sacerdotem reum, cognita causa, auditisque certissimæ famæ testimoniis, jure à sacerdotibus judicari potuisse.

In peccantes quoslibet alios nulla forte unquam fuit diligentia promptior, aut parcior miseratio; neque enim excipiendis suffragiis urna petita est, aut amplior expectata à protracto tempore veritas; derepentè singulis visum, æquitatis injuriam fore, si rapacissimi hominis mulcta vel ad breve tempus prorogaretur.

Damnato Philebo, scriptorum qui nostra ætate, novi cujusdam peculatus rei, malè partis divitiis intumescunt, & ut suas opes jactitant, quodcumque improba manu, melioris fidei viris rapuere, causa expensa est. Authoribus enim plagiariis illam indulgentiam concedi, quæ oratoribus negata esset, iniquum videbatur.

Tres omnino mecum erant in cella; Clinias, qui aliquot dierum rurali solicitudine detentus, in urbem se receperat, & cum nostro Marcellino, Stenius. Primusque Clinias, vindictæ ardore, dissertationis argumentum, silentibus adhuc cæteris occupans (author enim nescio quis, mutuata ab eo scripta, quasi ad legentis solatium, fœdissimo ambitionis

tionis genere, maximaque datæ fidei injuria, tanquam sua vulgaverat.) Diogenem, inquit, non magis in foro cum sua laterna olim impeditum fuisse, quam denuò impediretur, si redivivus in librariorum officinas se inferret, facillimè crediderim. is namque qui in maxima populi frequentia, virum bonum minime invenit, apud Typographos, qui tot volumina ad irritamentum studiorum, prætereuntibus ostentant, vix in aliquos ultimæ ætatis authores incurreret, ita à furto immunes, ut lectoris sui misericordia digni sint. qui audaciores ex illis fuere, libros integros patientissima manu excerpserunt, & fronte mutata ita nobis proposuere labores non suos, ut etjam aliquando eximiam laudem ex crimine sint consecuti

Quid tibi acciderit novimus Clinia, interfatur Stenius; verumtamem furto ansam dedisse dignitate operis, ingens gloria; nec minimum injuriæ solatium est, insidiosi amici jam detecta fraus, improbęque gloriæ ab omnibus stigma inustum. Si cætera deinceps paris insaniæ ausa idem successus maneat, minori authorum periculo egregii, sed nondum editi, labores infidis manibus credentur! nam quis adeò fatue superbit, ut famæ infœlicis amore, sponte ruat in certissimum dedecus? injuriam certe accepisti, verum illam æquavit raptoris tui pœnitentia: quicquid tibi detraxerat invisa prius, jam æquior, tibi fama restituit. quod sis author scripti, omnes agnoscunt. Sed, ô te rigidum, si tot fures esse existimas in librariorum officinis, quot apud illos novi autho-

thores inveniuntur, quia tu unum passus es. Ubi lampas unica ardet, plures videre lucernas non sobrii oculi est, & te abstemium pro unico fure plures intueri, cur non mirer Clinia? nisi ais, vini & doloris eosdem aliquando esse effectus, iratisque posse accidere, ut ad unius latronis conspectum turbam videant.

Nihil ad hæc Clinias: se acceptis duobus, qui, tanquam judices expectarent, tum fortè in mensa jacebant, recentiorum authorum libellis utrumque explicuit. Diversa frons, neque idem propositum: sed, ô rem stupendam, nec expectatam! unum è duobus furem esse palam fuit: mutuatæ passim non sententiæ modò, sed voces: transfusa in chartam audacem tota capita; nova prorsus librorum Metempsychosi, quam nec ipse Pythagoras agnovit. Uter ex illis raptor haberetur, ex phrasis inæqualitate judicare facillimum fuit: verùm, quod mirere, is erat qui grandiore titulo, & venustiori charactere, fortius ad sui conspectum lectorem invitabat.

Tum Clinias risu plenissimus, & fœlicissimo casu tumens: da alios, inquit, ô Steni; paucissimos licet ministraveris, nullo negotio, nisi mavis experto toties mihi credere, inter illos furem ostendam.

Et ego idem sæpius animadverti, inquit, Marcellinus; plurimosque inveniri authores, qui scrupulosè adeò quod in aliis placuit exscribunt, ut ex nimia fide nocentes sint. Ab Genio autem sæculi esse existimas, ô Firmiane eum animi motum qui calamos agit, illosque omnes ad furtum incitat, qui justissimo labore

expetitam

expetitam famam assequi, vel minimè optant, vel omnino non possunt?

Ita est, mi Marcelline: aliquis in cœlo Mercurius, qui verbosos authores minimè tacere imperat, & quod ab aliis acceperunt, repetitis vocibus ita importune iterare, ut sæpè cum plures libri apud te sint, si ex rebus ipsis, non ex voluminum mole, aut specie. Bibliothecam tuam æstimes; unum habeas. Quòd quædam sectæ supra modum vocales extiterint, & inter cæteras; loquacissimis scriptoribus qui eas acriter tutarentur, fœcundissimæ, multi autumant referendum in sydus, cujus imperio premebatur orbis, cum natæ sunt.

Ad hæc Clinias, tanquam cœli Apologiam suscepturus, in quod ego nolens peccassem. Ineptiis nostris astra oneras, inquit, ô Firmiane, qui garrulitatem mortalium sideribus impingis, quâ ergo cœli positura emerserit sæculum istud, quòd jam [illegible] rerum ordine fluit, petendum erit ab Astrologis, ut tot librorum, quos in sui pœnam ferax ætas non plus facit, quam patitur, latentes causas invenias?

Miserrimi certè cœlestium orbium perscrutatores; si illos cruciat adeo infœlix diligentia, & ad nullos usus profutura observatio. Quis enim superbissimi laboris fructus, aut gloria, sæculi tui Horoscopum in tabula delineasse, cui nemo credat, nisi qui ita insanit, ut brevem, vexatamque superstitioso calamo chartam, existimet complecti fata Regnorum, plurimæque ætatis certissimam Prophetiam. Qui in brevissima statua sculptor erra-

vit,

vit, in colosso turpius à justa partium ordinatione discedet, artem namque ipsam turbat immensi operis vastitas, & vix in maximo peccatur, nisi maximè. Credam ego sæculi totius Horoscopum recte Astrologos constituere; qui in privatis fortunis adeo hebescunt, ut jam apud plebem nihil habeatur Mathematicorum inscitiâ famosius? nisi aliam das quam quæ à Mercurio petitur, molestissimæ loquacitatis causam, nihil agis Firmiane, nostra ista garrulitas, cœlum innocens.

Si aliquis Mercurius scribendi libidinem indidit mortalium ingeniis, ille profecto est, qui apud Ægyptios Trismegisti nomine clarus, scripsit aliquando, eos homines prorsus Deo invisos, qui absque liberis migrant è vita: & quia jam latinitate donatus, peregrinus esse desiit apud nos celeberrimus author, liberos pro libris, ex Typographorum scilicet incuriâ positos, plurimi ex nostris sunt arbitrati, infinitorum jam propè voluminum Patres, ut ampliori generatione sibi Numen concilient.

Venuste, ô Steni, in duplici Mercurio ludis, inquio: sed cur notissimæ experientiæ suffragium neges, quæ verbosos nasci sub cœlesti Mercurio homines, quotidie ostendit? ideo fabulosus ille Poëtarum Hermes eloquentiæ Pater est habitus; cæterisque cœlestibus aptior ad ea significanda, quæ ex Deorum decreto referenda mortalibus erant sive adeundi illi essent soporis aptissima hora, sive insomnes. Loquendi certè necessitatem sydera minimè imponunt, cùm & tacendi sit libertas.

bertas, ſed eam tribuunt facilitatem, cui ſilentium, ſi durat, & maximè ſi imperatur, non leve ſupplicium eſt. Verùm, ſi à Mercurio aut aliqua alia poteſtate ſuperiori, loquax eſſe ſæculum negas, garrulitatis importuniſſimæ cauſas etiam apud nos inveniam.

Olim rariores qui ſtudia colerent: nulla jam pene familia ſine literis: & ſæpiùs licet modicæ ſint, eos tamen ad ſcribendum dant animos, quibus incitatur profundior eruditio, ſperatque, ſi diutius latere deſinat, poſſe ſe aliquid conferre in publicam utilitatem.

Lux non facile abſconditur; libertati nata, ſi illam opprimis, carceris ſui rimas ſcrutatur, quærit effundi. Putas autem patientius ingenii lumen, ſcientiam dico, cujus radiis exiſtimat ille qui ſtuduit, poſſe illuſtrari famam ſuam? labor eſt, ſed & dedecus putatur, latentes Muſas continuiſſe. Si exitum negas, animum certiſſime pulſant, & iratæ non ſinunt inultum diu vivere cuſtodem ſuum.

Quis Rhethoricam, quis Philoſophiam eâ condirione velit accipere ut ſileat; cerebri non tantum morbus eſt, coactus humor, & fruſtrà per occluſos meatus viam quærens; ſcientia quoque ingens capitis dolor, ſi exire non conceditur, acerbiſſimaque ægritudinis nullum omninò remedium, niſi lingua, aut calamus. Verum quia tot Profeſſores publice docere, quot literis operam dederunt, ridiculum æque ac incommodum, nec ſpes datur innumerabiles Magiſtros ferre poſſe auditorum patientiam, quilibet ſciolus chartam ſibi pro ſcholâ habet, eoque animo lectores

ctores quærit, quo & auditores quæreret, si coactis undecumque discipulis, liceret in maxima hominum frequentia habere concionem. Sciolos dixi, illorum enim qui se multa scire arbitrantur, cum paucissima noverint, difficilius est silentium. Minus solida magis fluunt: & ideò plurimorum qui hodie libros conficiunt, effusior eruditio, quia liquidior, illique deest ad continentiam firmitas.

Accessit ex recenti opinione sterilitatis verecundia: pudet enim inter tot scriptores non scripsisse, timeturque ne inscitiæ loco habeatur illa modestia animi, quâ multi sapientissimè famæ suæ consulunt, & ad maximum generis nostri commodum, silent.

Olim apud Iudæos nulla virgo quæ mater esse non cuperet, spe scilicet promissum in lege Messiam concipiendi, suoque partu eam comparandi apud mortales nominis claritatem, quæ nunquam esset interitura. Non omninò dispar plurimormu authorum ambitio, expectanti orbi ingentem se daturam filium adeò sperat, ut nulla ei pœna decerni à judicibus possit, virginitate atrocior. Verum quam miserè decipiatur, ipsa prolis nativitas ostendit: & pro masculo mollis fœmina, imbelli vagitu implorans nutricum opem, cui etiam sæpissime deest, quæ maximum censetur solatium sexus, venustas.

Plures certè authores calamo parcerent, si lectorum suorum, qui in utilibus & sæpe noxiis libentissime incumbunt, minor esset patientia; aut à Magistratu æquissima severitas castigaret illam prœli, cui indiscrete credun-

tur

tur quæcumque vel improbus author ſomniaverit, loquacitatem.

An Cuthembergius qui hanc artem in Germaniâ primus inveniſſe fertur, in poſterorum commodum laboraverit, certe ambigo; nam adeò jam facilis, Typorum ope, cujus libet operis, rumor ut qui nomen ſuum ſpargere ambit, modico pretio fiat notiſſimus, neque Notariis indigeat. Multiplices enim manus ars illa habet, volentique centies in pluribus chartis citò exhibebit, quòd ſemel in unam ſcripſerit.

Lapideum populum Romam olim incoluiſſe ex Hiſtoria accepimus, tot namque propemodum in illâ urbe ſtatuæ erant, quot cives; ſed jam fere apud nos librorum, quam hominum turba denſior. Quid ergo mirum, ſi in numeroſâ plebe latrones multi, & etiam ſine furto, aliis de cauſis, tot nocentes inveniuntur? in pacem publicam aliquos, in caſtitatem plures peccare, lector dolebis ſi ſapiens, & maxime ſi Chriſtianus.

Unico Apelli, Alexandro imperante, fas erat regios vultus pingere, cæteri artifices à Principe amovebantur, ne operis ignobilitate dehoneſtarent majeſtatem imperantis. hanc apud nos legem ferri in authores, ut nemo deinceps ſcribat, niſi qui optime, æquum certe non exiſtimo; ſæpiſſime enim in multorum uſum cedit ignobilis labor, & plebis auctoribus plebem delectari ita certum eſt, ut non ſine maximâ illius injuriâ, iſtos à ſcribendo calamos arceas, qui de rebus bonis quandoque utiliter ſcribunt, non ſervatâ licet argumenti dignitate.

Apud

Apud agreſtes, cibi viliores, dummodò abundent, convivia ſunt, nec protinus menſa damnatur quia illam faſtidit guſtus delicatior, omnino utiles cenſentur illi artifices, qui luteas domus conſtruunt, licet ad ſecandum marmor, & ad Vitruvii præcepta, quibus illi author venuſtatem ædificiis in ditiorum uſum contulit, ineptiſſimi.

An ideo pannus rudior emptorem non inveniet, quia ſericis dignitatem ſuam probant viri nobiles ? Civem in bello ſervaſſe præclarum erat apud Romanos, etſi hoſtem urbe exigiſſe, præclarius; cuilibet certanti, vincentique ſua corona : modica virtus, ſi non auro inſignitur, ſaltem quercu, neque tantillum præmium ſine invidis.

Stellarum, quæ nomen apud Aſtrologos non meruere, ſua eſt etiam utilitas. Minutiſſimæ ex illis lacteum iter conficiunt : & cœleſtem viam ſimiliter oſtendet, obſcuriorum authorum turba ignobilis, ſi de pietate cæteriſque virtutibus, ſincerè agent, & in eum lectorem incident qui res bonas ferre queat ſine ornatu.

Sed quis, oro, iſtorum librorum uſus, qui ad hoc ſolum modo editi videntur, ut authoris ſui nomen præferant ? Totum quod ab illis expectare debeat lector, titulus eſt, vel Epiſtola.

Quæ Herculis fuerat, mox Claudii, nec multo poſt Neronis ſtatua, non multo labore effecta eſt : cum artifex adulatio in ſolo capite luderet, & robuſtiſſimo Herculi, molles vultus addere, in Principum ſuorum gloriam,

præclariſſimum opus arbitraretur. Multos certè libros reperias qui facie tenus novi ſunt. Albertus Magnus qui tot annos in Cœnobiis malè jacuerat, jam ſorte meliore, prælo datus eſt. Hunc, cum adhuc temporum incuriâ in ſolitudine ageret, multi authores inviſere: & non repugnanti ſuſtulêre plures tractatus, quos jam vetuſtatis opera fuiſſe, prælum oſtendit. Quid nobiliſſimo labori fures addidiſſe autumas, ut ex illo non debitam ſibi gloriam captarent? frontem & nomen. Sacra etiam apud infideles ſepulchra fuiſſe novimus; at hæc noſtris temporibus videtur obliterata Religio: cum functos à pluribus annis authores, ipſumque Albertum, ſecuros à latronibus non præſtiterit, cinerum ſuorum ſanctitas.

Fures hos inutilia ſcripſiſſe, licet præclara ediderint, quis neget? acta enim agere ſuperfluum eſt, & otio proximus labor. Cumque diutius latere vix poſſet præclariſſimorum authorum eximia lux, eamque in diſquirendis authoribus jam diligentior ætas, velut quædam aurora prænuntiaret; quid nobis, quæſo, præſtitere illi ſcriptores, qui radios cito emerſutis authoribus, tanquam plus juſto dies illa expectaretur, adeò turpiter ſurripuerunt? alieni duces ſplendoris, neque Phaëtonte illo fortunatiores, qui ſolis Auriga, ſed imperitus, orbem non illuſtravit, ſed uſſit.

Tenebrarum cauſam agis, ô Firmiane, inquit Stenius, qui in eos authores inveheris, quorum ope promptior dies abſtulit plurimorum caliginem, in Albertum quoque officio-

sè

sè peccasse authores istos, aliquis non ineptè dixerit: illum namque è tenebricoso carcere, charitate ducti benefici homines eruerunt; nec meriti detractio est, nobilissimum scriptorem, ut securius erumperet, alienis vestibus, novoque titulo occuluisse; justius in illos impetum facies qui libellis suis orbem inquinant.

Adhæc ego; Optime mones, ô Steni, incendiarii namque latronibus sunt deteriores: neque ulla unquam Respublica eos tulit, qui tectis ignem subiiciunt, cùm tamen apud Spartanos furtum nulla lege prohiberetur, si arcanum; ut eâ occultè subtiliterque rapiendi licentiâ, quisque civium in asservandis quas comparavisset facultatibus, redderetur vigilantior.

Adeò benigne nobiscum egit amantissima parens natura, ut noxiæ stirpes paucissimæ sint, & ita ferè lateant, ut nisi diligentissimus inquisitor abditam in arduis, aut sole carentibus locis, perniciem investigaveris, in venena non incidas. Plantæ utiles, & dandis fructibus natæ, ad manum sunt, ut cultorem faciliùs inveniant. Nulla penè ubertas nisi illorum, quibus vita aut servatur, aut efficitur commodior. Utinam & sic de libris! sed heus! plures habemus qui venena virtutibus, quàm qui alimenta tribuunt; & publicæ salutis ea jam negligentia est, ut nullus ideo liber malus censeatur, quod pestem conferat suo lectori. Miraris non timeri morbum? emitur, & toxica, quibus intereat animorum sanitas, ita non obscurè cuilibet perire volenti apponuntur in

compitis, ut ex ipsâ ſæpiſſimè fronte librorum, religio, an pudicitia pulſetur, facillimè agnoſcas.

Malus liber, malo homine pernicioſior omnino exiſtimandus eſt, eadem enim cum loquatur, hoc plus habet, quod hæc ipſa ſemper loquitur, invenitque latebras commodiores. Etenim cum impiis, aut obſcænæ vitæ hominibus, colloquia miſcere nemo audet, niſi & ipſe perditiſſimus ſit, nullaque ei ſuperſit fama quam ſervare ſperet, aut cupiat. Verùm cum peſſimis libris agendi, nullus pudor; latitant enim quantùm volueris; & verecundus, ut plurimum, in publico animus, in abdito, ubi nullus ſtudiorum teſtis, aut judex, cùm impuriſſimis ſcriptoribus inquinari non metuit. quaſi honeſtius leno liber admitteretur, nefariis illis, & ad voluptatis miniſterium ſponte damnatis, qui ſcortorum proſtitutione quæſtum faciunt.

Tot libros amorum indubiè edit ſolitò acrior ſæculi hujus ſalacitas; cui, ut omnia in pejus ruant, acceſſit etiam hac tempeſtate, urbanitas quædam ſermonis, decorandis vitiis aptiſſima. Hac impuros quotidie calamos urget, ut quàm ſuaviter nocere, & incogitantem pudicitiam, gratiſſimis narrationibus, fictiſque variarum rerum eventis, perdere poſſint, omnes ſciant.

Muſicus qui ſe ad aurium ſolatium vocem inflectere arbitratur, ubique non rogatus cantitat, & frequenti modulatione ita ſæpè moleſtus eſt, ut nullos auditores habeat, niſi iratos. Quòd plurimi authores amatoriis libellis

libellis publicos mores inficiunt, facit eloquentiæ cujusdam, innatæque venustatis conscientia. quia licet in Næniis totam operam consumant isti authores, existimant tamen eâ gratiâ ornare se fabulas posse, ut propitios lectores habeant, eos omnes quibus ex animi levitate, aut inscitiâ, viluit argumentum solidius. Quàm miserum, virtutes interire, mores fœdari, ut inanissimi scriptores, nomen sibi apud otiosos, fictis amoribus comparent, verborumque blanditiis!

Dissertationem absolvit Marcellinus, exhausto imbribus cœlo, plerumque accidit magna siccitas, inquit ille, & nimiis aquis obrutæ prius, stirpes sitiunt. Tantam librorum copiam, ni ordinem suum natura mutaverit, excipiet sine dubio maxima scriptorum sterilitas, & loquacitatem sæculi hujus, fortunatioris ævi silentium æquabit.

INDEX.

A.

B.

C.

Camœ-

LEON-

Re-

FINIS.





